Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

14635

14635. V. N. d. 1.

PRAXIS CONFESSIONALIS PRIMA, ET SECUNDA PARS.

14635

K K LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

PRAXIS CONFESSIONALIS ET EXPLICATIO PROPOSITIONUM DAMNATARUM

à SANCTITATE D. N. PAPÆ

ALEXANDRI VII. ET INNOCENTIJ XI.

AUTHORE

P. F. JACOBO DE CORELLA Capucino

SS. Theologiæ Lectore, ac Missionario Apostolico

Provinciæ Purissimæ CONCEPTIONIS Regni-Navarrensis

SUPREMÆ COELORUM IMPERATRICI

MARIÆ SANCTISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ

AB EODEM DICATA.

Traducta ex Hispanico idiomate ad Italicum

à P. F. PETRO FRANCISCO DE COMO

Capucino Provinciæ Genuensis.

Ac demum Latino idiomati tradita

à P. F. FRANCISCO MARIA Gradiscano Capucino

SS. Theologiæ Lectore, & Guardiano.

PRIMA PARS

EDITIO PRIMA.

Permissu Superiorum, & Privilegio Sac. Cæs. Majestatis.

LABACI, Formis Joan. Georgij Mayr, Incl. Prov. Carn. Typogr. & Bibliopolæ.

ANNO M. DCC. XIII.

0300333301

REVEREND.mg AC CELSIS mg
FRANCISCUS CAROLUS È
COMITIBUS DE KAUNIZ
S.R.I. PRINCEPS DNUS DNUS
Episcopus Æmonensis, Cano-
nicus Salisburg. et Passav.
nec non Collegiatæ Eccliæ
Vetero Oettingæ Præpositus
Digniſ-
simus.

CELSISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI
DOMINO, DOMINO
FRANCISCO
CAROLO
EX
COMITIBUS DE KAUNITZ
EPISCOPO ÆMONENSI,
Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, &
Passaviensis Canonico, nec non Collegiatæ Ecclesiæ
Vetero-Oëttingæ Præposito dignissimo.

Principi, Mecœnati, ac Domino, Domino
Suo Gratiosissimo.

CELSISSIME ET REVERENDISSIME S. R. I. PRINCEPS

Domine, Domine Gratioſiſſime

PRaxis *hæc* confeſſariorum P. Jacobi de Corella Capucini Miſſionarij Apoſtolici, & Concionatoris Regij, *quæ* TUO CELSISSIME PRINCEPS *favore prælum meum ingreſſa eſt, eadem ab eodem ſub primo latiæ verſionis ſchemate tandem egreſſa Sacratiſſimis* TUIS *pedibus advolvitur patrocinium* TANTI ANTISTITIS *invocatura. Nec in dubium ſpes con-*

concepta revocanda, quin id ibidem sit repertura, quæ enim aliorum Reverendissimorum Præsulum in exteris Regnis, & Provincijs ad trigesies fermè iterato typo benignissimo sinu collecta est, â TUO *non abigent fata Sinistra.*

Inscribit igitur suo primo folio TUUM *nobilissimæ prosapiæ nomen, ut hoc unico tanquam vivâ virtutis ideâ irradiata in suis dogmatibus magìs magisquè inclaresçat. Fronti Suæ* ROSAM *gentilitiam* TUAM *inarat, ut tot clypeos nanciscatur, quot in illa folia, quibus protegatur, & ne livore Momico venata unguis quid inde in ludibria carpat spinas, quæ se se in vindictam exerant, timeat, ut insciisso vulnere discat, quid lacessere sit insidentem flori* MAJESTATEM. *Ne novercantis fortunæ volubili* rotâ *feratur in devia, sapientissimũ* AUDITOREM ROTÆ ROMANÆ, *nunc verò* GLORIOSISSIMUM ÆMONENSIS PEDI GUBERNATOREM, ET S. R. I. PRINCIPEM (*quem Clementissimum Numen, ut meritorum ponderi sublimitas graduum copuletur, ad majora serâ, & incolumi ætate conservet*) *sibi delegit in* MOECENATEM, *ut hujus unicâ authoritate censurarum teneat probatissimam. Vellem, & possem multa plura hic in* TUI *commendationem copiosâ suadâ conglobare, sed qui omnium oculis,* parcus verborum,

rum, factorum dives, *ut quondam Ennodius de suo Epiphanio ajebat:* Scripturientem de te calamum præproperè detines, Abrumpo.

Patere tantùm CELSISSIME PRINCEPS, *ut hic litterarius* de praxi confessariorum *labor* TUÆ *clementiæ ulnis excipiatur, & concede huic meæ observantiæ testimonio, ac demississimo obsequij argumento ad* TUI *sacratissimi vestimenti fimbrias accessum, nam quantùm memor meæ angustiæ, tantùm non immemor nobilissimæ, & antiquissimæ* TUÆ *familiæ adrepo, & dedico innisus Ausonio dicenti:* Illustris esse sanguinis etiam minima gratitudinis obsequia non repellere. *Aspice igitur sereno oculo* CELSISSIME PRINCEPS *opus hoc, & operis divulgatorem, qui cùm in hoc veluti debito tributo semetipsum* tibi *consecret, utriquè tuam propitiam dexteram protende.*

Reverendissimæ Celsitudinis Vestræ

Clientum infimus

Joannes Georgius Mayr.

INDEX
TRACTATUUM, ET CAPITUM
Primæ Partis hujus Libri,

Numerus, qui citatur, denotat paginam.

PRologus ad Lectorem, pag. xi.
Lamentatio adversus omissionem, & modicum Zelum aliquorum Confessariorum, pag. xiii.
Præambulum pro bono usu, & exercitio hujus Dialogi, pag. xxxvi.
Exordium, vel principium Confessionis, pag. 1

TRACTATUS I.
De Primo Præcepto.

Cap. 1. De Fide, pag. 17
Cap. 2. De Spe, pag. 21
Cap. 3. De Charitate, pag. 22
Cap. 4. De virtute Religionis, & vitijs ipsi oppositis, pag. 24

TRACTATUS II.
De Secundo Præcepto.

Cap. 1. De Juramento, pag. 32
Cap. 2. De Blasphemia, pag. 42
Cap. 3. De Maledictione, pag. 44
Cap. 4. De Voto, pag. 45
Pars 1. De Substantia, & valore voti ibid. 45
Pars 2. De cessatione voti, pag. 49
Pars 3. De irritatione voti, pag. 50
Pars 4. De dispensatione voti, pag. 53
Pars 5. De commutatione voti, pag. 55
Cap. 5. Exhortatio facienda Pœnitenti habenti consuetudinem jurandi, aut maledicendi, pag. 59

TRACTATUS III.
De Tertio Præcepto.

Cap. 1. De præcepto audiendi Missam, pag. 62
Cap. 2. De labore diebus Festivis, pag. 65
Cap. 3. De jejunio, pag. 67
Cap. 4. Exhortatio facienda non observantibus Festa, pag. 72

TRACTATUS IV.
De Quarto Præcepto.

Cap. 1. De obligatione prolium erga Genitores, pag. 74
Cap. 2. De obligatione Genitorum erga proles, pag. 78
Cap. 3. De obligatione mariti erga uxorem, & hujus erga maritum, pag. 82
Cap. 4. Exhortatio facienda inhonorantibus Genitores, pag. 84

)(Cap.

Cap. 5. Exhortatio facienda Genitoribus negligentibus in prolium educatione, pag. 84

TRACTATUS V
De Quinto Præcepto.

Cap. 1. De odio proximi, pag. 86
Cap. 2. De odio sui ipsius, pag. 89
Cap. 3. De homicidio, mutilatione & restitutione damnorum exinde procedentium, pag. 91
Cap. 4. De Duello, pag. 96.
Cap. 5. De Abortu, pag. 98
Cap. 6. De excommunicatione Canonis, si quis suadente Diabolo, & de aliquibus effectibus, & advertentijs hujus excommunicationis, pag. 99
Cap. 7. De Scandalo, pag. 107
Cap. 8. Exhortatio facienda viventibus in inimicitia, pag. 111

TRACTATUS VI.
De Sexto Præcepto.

Cap. 1. De Pollutione, pag. 115
Cap. 2. De Incestu, pag. 118
Cap. 3. De Adulterio, pag. 119
Cap. 4. De Raptu, pag. 124
Cap. 5. De Stupro, pag. 125
Cap. 6. De Simplici Fornicatione, pag. 127
Cap. 7. De Sacrilegio, pag. 130
Cap. 8. De Sacramento Matrimonij, pag. 132
Pars 1. De Sponsalibus ex parte viri, pag. 132
De Sponsalibus ex parte fœminæ, pag. 138
Pars 2. De impedimentis impedientibus Matrimonium, pag. 139
Pars 3. De Proclamationibus, vel denuntiationibus, pag. 144
Pars 4. De Impedimentis dirimentibus, pag. 146
Pars 5. De Impedimento Criminis, pag. 155
Pars 6. De Impedimento Violentiæ, aut metûs, pag. 157
Pars 7. De impedimento publicæ honestatis, pag. 160
Pars 8. De affinitate, pag. 161
Pars 9. De Impotentia dirimente Matrimonium, pag. 164
Pars 10. De Dispensatione impedimentorum Matrimonij, pag. 169
Pars 11. De debito conjugali, & de ejus abusu, pag. 179. abusus ex parte fœminæ cooperantis, pag. 181
Pars 12. De Divortio, pag. 185
Cap. 9. De cogitationibus, & verbis lascivis, pag. 189
Cap. 10. De denuntiatione facienda Tribunali, quando Confessarius solicitat ad turpia in Confessione, pag. 192
Cap. 11. Exhortatio facienda inhonestè viventibus, pag. 201

TRACTATUS VII.
De Septimo Præcepto

Cap, 1. De Furto, & quænam quantitas constituat peccatum mortale, pag. 203
Cap. 2. De Furtis minutis, pag. 208
Cap. 3. De Rapina, pag. 212
Cap. 4. De Restitutione, pag. 213
Pars 1. De Eo, qui mandat, ut furetur pag. 215

Pars

Pars 2. De Eo, qui cooperatur, & qui consentit, pag. 217
Pars 3. De Eo, qui participat, pag. 220
Pars 4. De eō, qui consulit, pag. 223
Pars 5. De eo, qui non obstat, aut non impedit furtum, vel non manifestat, pag. 226
Pars 6. De restitutione rei inventæ, pag. 228
Pars 7. De compensatione, pag. 232
Pars 8 De restitutione ratione injustæ damnificationis, pag. 237
Pars 9. De causis excusantibus à restitutione, pag. 240
Cap. 5. De contractibus, pag. 242
Pars 1. De conductione, aut locatione, pag. 244
Pars 2. De mutuo, & usura, pag. 246
Pars 3. De emptione, & venditione, pag. 249
Pars 4. De commodato, & precario, pag. 254
Pars 5. De contractibus depositi, pignoris, assecurationis, & hypothecæ, pag. 257
Pars 6. De contractu Censûs, pag. 261
Pars 7. De contractibus cambij, & Societatis, pag. 263
Pars 8. De contractibus promissionis, donationis, Emphyteusis, & feudi, pag. 266
Pars 9. De Custodibus portarum, seu portuum, pag. 269
Pars 10. De Ludo, pag. 273
Cap. 6. De Bonis filiorumfamilias, & de eorum furtis, pag. 278
Cap. 7. De Furtis Mariti respectu uxoris, pag. 283
Cap. 8. De furtis uxoris respectu Mariti, pag. 284
Cap. 9. De furtis famulorum, pag. 286
Cap. 10. De furtis Dominorum pag. 288
Cap. 11. De decimis, primitijs, & oblationibus, pag. 290
Cap. 12. De Debitis, pag. 294
Cap. 13. Exhortatio facienda furto auferentibus, & non solventibus, pag. 295

TRACTATUS VIII.

De Octavo Præcepto.

Cap. 1. De Suspicione, & judicio temerario, pag. 298
Cap. 2. De Murmuratione, pag. 300
Cap. 3. De audiente murmurationem, pag. 305
Cap. 4. De Restitutione famæ, pag. 306
Cap. 5. De varijs modis restituendi famam, pag. 310
Cap. 6. De contumelia, pag. 312
Cap. 7. De Restitutione honoris, pag. 313
Cap. 8. Exhortatio facienda murmuratoribus, pag. 315
Cap. ult. De nono, & decimo Præcepto, 316

INDEX *Tractatuum, & Capitum.*

TRACTATUS IX.

De Consequentibus confessionem.

Cap. 1. De Exhortatione à Confessario facienda finita Confessione, pag. 317

Cap. 2. De modo, quo Confessarius se gerere debet cum Pœnitente, qui per longum tempus Confessionem differt, aut Doctrinam Christianam ignorat, pag. 326

Cap. 3. Medicinæ præservativæ pro habitu peccandi, & occasione proxima, pag. 329

Cap. 4. De Pœnitentia satisfactoria Pœnitenti imponenda, pag. 332

TRACTATUS X.

Explicatio 65. Propositionum ab Innocentio XI. damnatarum.

Advertentiæ generales circa Decretum Innocentii XI. pag. 335

Explicatio 65. Propositionum damnatarum, pag. 337. & seq.

TRACTATUS XI.

Appendix de Casibus reservatis.

§. 1 Advertentiæ generales spectantes ad casuum reservationem, pag. 425

Explicatio casuum, qui ab Episcopis reservari solent, pag. 427. & seq.

TRADUCTOR AD LECTOREM.

Nter ornamenta, quæ Legislator Supremus Sacris vestibus sui Sacerdotis Aaronis inserta voluit, non infimum meo judicio Mysterij locum obtinet instita seu limbus ille panni prætiosi, qui auro & purpurâ intextus ad humeros alligatus super pectus ejusdem pendebat, dictúsque fuit rationale Judicij: *Rationale quoque Judicij facies opere polymito, juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, & purpurâ.* Exod. cap. 28. Quis autem non videt in hac aurea tela Sacerdotem sedentem in Tribunali Confessionarij delineari cum potestate judiciaria ligandi, & solvendi à duris culpæ vinculis Peccatores? Purpura, & aurum hanc vestem Aaroni componentia rubricantem sanguinem, & ardentem Christi charitatem denotant; tanquàm hujus sublimis potestatis in terra fundamenta: super humeros Sacerdotis Aaronis eam collocari, non verò Moysis, aut alterius sæcularis personæ, solis Sacerdotibus, non Laicis concedi, ac competere indicat: appellari rationale, & rationale Judicij: *Rationale Judicij facies*, ex se ipso patet nihil aliud intelligi quàm prædictam potestatem maturitate, discretione, & prudentiâ exerceri debere ita ut verè rationalis potestas vocari queat. *Rationale Judicij.*

In hoc autem rationali Judicij præcepit DEUS, ut inter gemmas, & carbunculos inibi in copia lucentes hæc duo verba insculperentur: Doctrina, & Veritas: *Pones autem in rationali Judicij Doctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Exod. cap. 28. Ubi ostenditur quemlibet

libet Sacerdotem hoc ſacrum rationale Judicij ferentem doctrinâ, & Chriſto, qui eſt ſumma, & ſuprema Veritas, imbutum eſſe debere ſub comminatione æternæ damnationis, ſi ſecùs acciderit. In doctrina verò, & veritate undequáque gemmis, & pyropis circumdatis admonetur, illibatæ vitæ exemplo omnibus, & in omnibus prælucere teneri; Sacerdotes enim ſunt luminaria in Summitate Sacerdotij poſita, ad hoc ut in hujus mundi ventoſo pelago fluctuantes ad Cœleſtis Patriæ portum ſalvos,
Matth. 5. & incolumes perducant. *Vos eſtis lux mundi*: ipſis ergo ſplendere, illuminare, omnésque Sanctitatis fulgoribus replere incumbit. Aſt, quid quæſo, ſignificat illud tam abſolutum DEI Præceptum, ut hæc doctrina, & veritas aforis ab Aarone portentur, nempe in parte exteriori pectoris correſpondente; *quæ erunt in pectore Aaron*, fortè ſimiles characteres in veſte talari, quæ noſtros cooperit Aarones, inſculptos prætendet? Fateor, quòd ſine gloſſæ interlinealis directione non tam facilè à Myſterij recondito me extricare valerem. Audiant ergo, & ſimul timeant omnes Sacri rationalis Portatores myſticum ſenſum; doctrina, & veritas juſſu DEI aforis ab Aarone geſta eſt cœleſte tremendum proclama, quo omnes rationalis Sacerdotes non tantum eſſe docti obligantur; ſed Doctores, qui inſtruant, non tantum Sancti, ſed Pauli, qui animas ſanctificent: *Pones*
Exod. 28. *in rationali Judicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron*, id eſt, ait Gloſſa, *ut ſtudeat Sacerdos doctrinam, & veritatem inquirere, & docere*: Non ſat eſt DEO, quòd Confeſſarij ſcientiâ pleni inveniantur, ſed inſuper requirit, ut eam ſuper alios effundant, & infundant, nec eorum doctrina ſatisfacit, ſi arida, ſicca, otioſa, & infructuoſa in ipſorum cordibus lateat, ſed ad extra appareat: Divinæ Majeſtatis voluntas eſt, ut eam communicent, hortentur, admoneant, ac indefeſſi ſuper humana campeſtria ſpargant, úſquè dum ejus fœcunditas velut roris cœleſtis peccatorum animas irriget: *ut ſtudeat Sacerdos doctrinam, & veritatem inquirere, & docere.*

Hinc Paulus igneo zelo iræ divinæ fulmina jaculatur contra eos, qui tanquàm mutæ ſtatuæ in Confeſſionalibus ſedent, & dùm doctrinam, & veritatem, quâ pollent, oſtendere operæ pretium eſt, ſub Venerabilis Stolæ rationali prævaricatores

Aaro-

Aarones utrámque abscondunt, nec verbum quidem proferentes ad pœnitentes, vel hortando ad virtutem ostensione ejus pulchritudinis, vel retrahendo à vitio ejus deformitate detectâ. Ex quo peccatorum non evulsorum rei constituuntur, ac in unica culpa eorum tepiditatis omnes culpas de die in diem semper magis propter eorum taciturnitatem per orbem grassantes incurrunt. Expectent, dicit Paulus, hi canes muti super se terribilissimum DEI Judicium, qui aliquando notum faciet, quàm accensa sit ejus ira contra ipsos. *Revelatur enim*, dicit Doctor Gentium, *Ira DEI de Cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem DEI in injustitia detinent*: & meritò, cùm ejus voluntati resistant, nihil curantes horrendam potestatem, quam per Hieremiam indicat præcipiendo, ut loquantur: *Propheta, qui habet somnium, narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè.* *Ad Rom. cap. 1.* *Hierem. cap. 23.*

Quia verò aliqui excusationem adducent, cum illo Hieremiæ, *A, a, a, Domine nescio loqui*, quasi ad extra doctrinam, & veritatem communicare nesciant; ut similis excusatio tollatur, utpotè quemlibet Sacerdotem dedecens, & maximè Aarones, qui in cœlesti foro judiciariam habent potestatem; ideo præsentis libri prælo submini strantur ipsis verba, modus, & tempus loquendi, & hoc rationale Judicij doctrinâ, ac veritate eorum Ministerio necessaria porrigitur. Utinam eodem induantur, & eâ attentione legant, quam requirit summa necessitas mundi per tenebras ignorantiæ ad perditionem labentis, sanguinisque vocibus exclamantis, *Adjutorium*; Proh dolor! non fert animus hoc perpendere adeo miserandus est ipsius status, quocúmque nos vertamus, non nisi libertates, dissolutiones, profanationes videmus, non nisi vitiorum, odiorum, rapinarum, simulationum fœtores sentimus, qui bonum odorem à virtutibus justorum manantem supprimendo, grave præbent fundamentum timendi, ne infectus, ac quasi totaliter corruptus existat, & ut testatur D. Joannes. *Totus in maligno positus*: Ex tanta igitur corruptela quid expectandum? *Hierem. cap. 1.* *1. Joan. c. 5.*

Zelus ergo animarum benigne Lector, sicut primæ traductionis ex Hispanico Idiomate ad Italicum, præsentis praxis Confessionarij præcipuus fuit scopus, ita hujus secundæ ex Ita-

lico ad Latinum unicum est motivum ad imitationem Authoris ejusdem, qui DEI Gloriam, & animarum salutem in omnibus Hispaniarum Regnis suæ doctrinæ profunditate, & fœcunditate mirabiliter promovit, ampliavit, & evexit, ut videre est in reiteratis tam collationum suarum moralium, quàm utriusque hujus Tomi impressionibus; ex quo apparet, quàm gratum, & æstimabile sit hoc opus; gratũ quidem propter dulcem, & propriam methodum, quâ Confessarijs doctrinam, & pœnitentibus veritatem porrigit: Confessarios exaudiendo Confessiones exaudire docet, & Pœnitentes deformitatem peccati apperiendo docet conteri: æstimabile verò; quia quod ab alijs speculativè, & in abstracto traditur, ab hoc practicè, & in concreto ostenditur, ita ut etiam rudiores non possint illud non percipere, ac ejusdem directione in egregios Confessarios, peritos animarum Piscatores, & vineæ Domini optimos Cultores evadere; quapropter perpensâ magnâ utilitate eventurâ, quandocúmque Latino Idiomate in lucem ederetur, intentum executioni mandare obedientiæ meritò fœtus operæ pretium duxi, adhoc, ut, quod ante duodecim Annos Hispania, & deinde Italia possidebat, nostræ etiam Germaniæ fieret commune.

Vita S. Hilarij.

Accipe igitur benigne Lector librum ea inscriptione, *quâ* usus fuit D. Hieronymus, in elogium operum S. Hilarij, dum scripsit Letæ, *Hilarij libros inoffenso decurras pede.* Hoc idem tibi annuntio, tantum lege, & quemlibet ad eundem legendum invita, nihil enim reperies, à quo offendaris: *inoffenso decurras pede;* Stylus fortè nimis familiaris displicebit, sed memento, morales materias lepore discursûs difficulter tractari, & explicari, quippe, qui ut plurimum obscurum reddit proprium subjectum, à quo moralis Theologus, utpote ex sua natura allundè obstrusus abhorret; in omni simili eventu placeat reflectere ad dictum D. Augustini teste Sennensi Bibliothecæ 4. Malo, me reprehendant Grammatici, quàm non intelligant Populi. Vale.

GLO-

GLORIOSISSIMÆ VIRGINI MARIÆ ÆTERNI VERBI PARENTI.

Cœlorum Imperatrici, Angelorum Reginæ, ac Dominæ Universi, &c.

PRINCIPISSA SUPREMA.

SUblimem dignitatẽ tuam, DEipara Virgo, agnoscens ad tuos Sacros pedes meæ servitutis tributum depono, ad Venerabilem tamen tuum conspectum oblatione tam tenui, prout est parvulum hoc volumen, comparere erubesco. Dianæ fabulosa Deitas olim fluctuantium in bivijs manuductrix putabatur; At Tu Domina verè es illa, quæ famulos tuos in decernendo suspensos manuducis, & dirigis. Perplexitates meæ Te Ducem, Te Objectum desi-

derant: Ducem quidem, quatenus animum liberare digneris ab ambiguitatibus, quibus inter obligationem,& reverentiam anceps hæret; Objectum verò, exiguum hoc munus tibi consecratum admittendo. Pusillanimitatem meam tantæ Reginæ Celsitudo detinet, cujus aspectus Cœlis terrorem, & Angelis timorem incutit; dulcis tamen Pietas adeò amabilis Matris, quæ est miserorum refugiũ, &tribulatorum solatium, cor meum ita exhilerat, ut omni anxietate deposita hunc mei tenuis ingenij partum reverenti obsequio tibi dicare præsumat.

Congratulatur tecum meus affectus, ac tuas laudes enarrare peroptat. Tu es ô Domina Oceanus aquarum ita profundus, ut ab humanæ mentis navicula transmeari non sinatur. Calamus etiam eruditissimus tuæ admirabilis Excellentiæ Sphoeram attingere, aut politior eloquentia tuarum prærogativarum umbram delineare non valet. Tu es illa Palma ita ad gratias evecta, ut Angelorum, omniúmque Sanctorum plantæ ad ejus altitudinem pervenire non possint. Cedrus eminens in Libano Ecclesiæ: Cypressus ad cœlestis Sion delitias elevata: Platanus quæ aquarum

rum Divini verbi rivo fœcundata ad talem magnitudinem excrevit, ut Cœlos transcendens ad Beatissimæ Triadis supremum Montem suâ pulchritudine appropinquaverit: Torcular rutilans Cœlorum: Turris splendens Gloriæ: Sol radians Firmamenti, & Planeta ita fulgens, ut Astra Angelica, Sanctorúmque Stellæ coram te lumina à tui Splendoris excessu obumbrata videantur, Regiam tuam Majestatem Seraphim, & Cherubim honorant, eique omnium Cœlestium Spirituum Chori obediunt, de Ministerio sibi in tuum honorem commisso gloriantes.

Cessent perperam impensa præconia, quæ delusi Poëtæ falsis Deitatibus carmine cecinerê, nec pulchritudinem Helenæ Ovidius celebret, Tibi, & non ipsi convenit id, quod expressit, cùm dixit.

Nec tibi per usquam Phrygiam, nec Solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.

Et si Sacræ Litteræ commendant prodigiosam Saræ fœcunditatem, ingeniosæ Rebeccæ solertiam, celebris Rachaëlis pulchritudinem, fortis Deboræ strenuitatem, generosæ Judith animum, vigilis Ruth prudentiam,

tiam, ac inclytæ Esther gratiam; Hæc omnia rutilantis Lucis tuæ umbræ fuerunt, tuæ Claritatis caliginosæ figuræ: notæ ænigmaticæ, quæ in parvo compendio brevem tuæ ineffábilis Gloriæ Idæam delinearunt: Tibi encomia debentur solemniora, quæ inter illustriores es Illustrissima, inter pulchriores Pulcherrima; & tui fulgores tam gratiosè corruscant, ut te deficiente nulla alia æqualis esset capax honoris.

Hæc igitur lux est, quæ si non orta fuisset.
Nulla fuit misero festa videnda mihi.

Dignitatis tuæ plenitudinem in sola periodo recolligam, æterni Patris Filius te in dignam Matrem elegit, potuit quidem ejus Omnipotentia meliorem fabricare Mundum, potuit infinita ejus Sapientia pulchriores formare Cœlos, potuit immensus ejus Amor Angelos, & homines excellentiores producere; At nec ejus potentia, nec sapientia, nec Amor meliorem Matrem creare potuerunt. Hæc enim Sacra Dignitas ultimus omnipotentiæ Patris terminus fuit; Dignum Sapientiæ Filij Objectum; Et justa Amoris Spiritûs Sancti Occupatio. Filia es infiniti Patris te dulciter diligentis, Mater immensi

Filij

Filij te attentè venerantis, Sponsa Divini Spiritûs te singulariter dignificantis, & tota Sanctissima Trinitas in tuarum virtutum sublimitate délitiatur. DEUS non es, nec esse potes, attamen post DEUM melior, & admirabilior.

Abstineat nunc meum debile ingenium ab ulteriori discursu: quia ab excessu hujus Lucis à Cœlo tam luminoso procedentis allucinatum excæcari pertimescit, si nimium audax Splendores suos recensere contendit; quapropter laudes in deprecationes convertens Majestatem tuam in Sapientiæ domo constructam doctrinæ Cathedram regentem, ac Sapientum eruditissimam Magistram humiliter invoco, quatenus mearum cogitationum felix emporium existere digneris; Gloriam tuam omni laude dignam cor meum prædicare debuit; at supplex implorare tuam Protectionem hujus operis, negligere non potui; sine hac enim evidenti augmento caruisset.

Te canerem solum meritis memor, inque libellis
Crevisset sine te pagina nulla meis.

Sterilis meæ inhabilitatis ager pungentes solùm spinas producere valet, verùm tuo-

rum florum amabilia folia hoc opus exornando Lectori etiam nõ totaliter ingenuo agreſtes ſtipites non apparebunt mei calami tractus.

Cum regnat Roſa, cum madent Capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Siquidem mei labores tibi conſecrati, & quaſi ſtrata tuo adorabili conſpectui mei diſcurſûs extenſi, roſæ videbuntur, licèt arbuſta ſint ſylveſtria.

Quid quid calcaverit pes tuus, Roſa fiet.

Finem à tua liberalitate prætenſum obtinere firmiter ſpero, hæc mea tamen prætenſio proprijs meritis tanquàm exinde vana non nititur, ſed pia tantum tui Cordis conditione fulcitur, omnes Cordis affectus Majeſtati tuæ anima mea conſecrat, ac mea devotio te cordicitùs humili gratiarum actione ſalutat.

Salve Scala, polũ penetrans, & ſydera tangens:
Quæque DEUM nobis, nõſque DEO revehis.

Si Scala es, per cujus gradus animæ ad DEUM aſcendunt, nè, quæſo, tui memorum Domina obliviſcaris; tua interceſſio non derelinquat illum, cujus erga te propenſio, ac ſervitus nunquàm oblivioni tradetur, ita ſupplex proſternitur.

Minimus, & tuorum ſervorum infimus.
Fr. Jacobus de Corella.

PROLOGUS AD LECTOREM

VAlde diversa res est charissime Lector speculativa à practica, non semper quòd speculatur ingenium executione approbatur, de multis Idæas universales formando intellectus discurrit, quæ non semper ad actum secundum ipsis conformem reduci possunt. In principijs speculativis medicinæ nulla datur incurabilis infirmitas, & tamen in praxi quàm plurimi inter manus Medicorum moriuntur; hujus origo est, non solùm adagium illud irrefragabile *Contra vim mortis non est medicamen in hortis*: verùm etiam summa difficultas, quæ reperitur in regulando cum speculativa praxim: nec minus inter casus conscientiæ aliquis adeò arduus est, cujus resolutio à generalibus Theologiæ moralis principijs non habeatur, & hoc non obstante in exercitio Confessionarij insuperabiles quotidie difficultates occurrunt: nec non immodici errores committuntur, adeò difficile est, ad *hìc & nunc* generales applicare. Hâc consideratione positâ Theologiæ Moralis speculationes in hoc Dialogo ad praxim (Utinam feliciter) redigere conatus fui, præmissâ non ordinariâ diligentiâ in ponderando res, & casus, quos mihi prolixa experientia, & longa Confessionarij praxis submiserunt; non tantùm tempore Missionum à me in varijs Regnis, Provincijs, & oppidis peractarum cujuscúmque generis Statuum, & personarum conscientias tractando, & extricando sed etiam extra hoc exercitium in alijs casibus, quos præ manibus habui. In hoc Dialogo non solùm casus frequentiores, sed plures sat singulares Majorum Doctorum doctrinâ resolutos invenies, quos ut fundamentaliter citarem, proprijs locis vidi; resolutiones etiam, quæ à Sacris Canonibus pendent, ut sincerè allegarem, in earum fonte examinavi, novitatem devitavi, quæ est temeritatis Mater, & levitatis Filia, prout S.

Bernardus ait: *Novitas Mater temeritatis Soror superſtitionis, Filia levitatis.* In vijs familiaribus, & ſemitis antiquis, dicit Hieremias, veritas, & rectitudo inveſtiganda eſt. Hieremiæ cap. 6. *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* In opinionum electione nec laxiores, nec ſtrictiores ſequor, ſed inter utrásque medium teneo, quod ſecundum Philoſophum certum eſt punctum: Opiniones aliquas favorabiles referre non prætermitto, ad hoc ut Confeſſarij diſcretio juxta caſuum exigentiam, & urgentiam ijs uti non recuſet.

Difficillimum ſemper fuit, velle omnibus eſſe acceptum, ita ut ejus effectus totaliter apparuerit: genia enim hominũ tam in ſentiendo ſunt diverſa, quàm in vultu differentia, nec omnes in uno dictamine conveniunt, nec idem velle habent, ex quo diverſa etiam judicia, & rerum conceptus proveniunt.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus;
Velle ſuum cuique eſt; nec voto vivitur uno.

Dubia mente feror, hoc opus omnibus gratum fuiſſe, ſuadere tamen mihi potero, non omnibus diſplicuiſſe, quinimò pluribus placuiſſe affirmare licebit; ſiquidem de hoc me certum reddunt tot replicatæ impreſſiones paucos inter annos in diverſis Regnis habitæ, cùm hæc, quæ in lucem prodit, Decima nona ſit. Bibliopolis, Impreſſoribus, alijsque pluribus devinctus maneo pro cura, & ſolicitudine exiguos meos labores notificandi, & dilatandi, perpensâ enim eorum intentione de communi Confeſſariorum, & Pœnitentium utilitate, tanquàm cooperantes non niſi laude, & æſtimatione digni ſunt; hæc tamen cura gratior mihi fuiſſet, ſi de prædicta intentione certior factus, aliquos errores evitâſſem, quos præli feſtinatione, vel correctoris deficientiâ commiſſos in hac Decima nona impreſſione, licèt non totaliter, emendavi. In Impreſſionibus Barcinonæ, & Valentiæ Anno præterito 1689. factis ab initio definitionum moralium ſeries appoſita fuit, quas licèt non reprobem, meas tamen eſſe non declaro, ſed has ordine Alphabetico in fine hujus operis tractatu 18. pono. In relatis pariter impreſſionibus videtur Catalogus 68. Propoſitionum Michaëlis de Molinos à Sacra Romana Inquiſitione, & à Sanctitate Innocentij Papæ XI. damnatarum, prodierunt etiam in lucem aliquarum præcedentium impreſſionum Indices Alphabetici non exactè citati, omnibus

his

his mendis hæc decima nona impressio caret, in qua valdè copiosus pro commoditate Lectorum Index habetur.

Copia, varietas, replicatio, & continuatio curarum adeò mihi tempus abripiunt, ut opera aliàs promissa prælo dare non queam, huic tamen jam data est prima, & secunda pars Collationum Moralium, & quamprimùm tertiam, in qua de Sacramentis in genere, & in specie agitur, Typis mandare canabor.

Defectibilis conditionis humanæ proprium est aberrare: *Negare non possum, nec debeo*, ajebat Augustinus, *sicut in ipsis Majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nulla temeritate reprehendi*: Et si Augustini ingenium de se ita humiliter sentit, superbè saperet, qui non est Augustinus, aliter de se sentire. Hac reflectione perlectus liber, haud dubiè defectus ex inadvertentia, vel imperitiâ commissi oblivioni tradentur, si aliquid laudabile in hoc opere reperietur, omnium bonorum Auctori laus tribuatur, qui pro communi animarum emolumento ex sua benignitate hanc miseram creaturam id edocere dignatus est. Vale.

LAMENTATIO
Adversus Omissionem, & modicum Zelum ALIQUORUM CONFESSARIORUM.

Cui comparabo te? Vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Magna est enim, velut mare, Contritio tua, Quis medebitur tui? Ex Threnis Hierem. *cap. 2. vers. 13.*

1. CAlamitatum, & miseriarum diluviem fervidus, & ardens Hieremiæ Zelus Jerusalem vaticinatus est, ita tristes ejus lacrymæ in threnis expressæ testantur. Horridam ejus solitudinem simul & semel flevit, ac miratus est: *Quomodo sedet sola Civitas*, non habitatoribus materialibus destitutam, sed virtutibus viduatâ perspexisse ingemuit, prout Hugo Cardi- *Thren. c. 1. v. 1.*

Hugo Card. ibid. Cardinalis interpretatur: *Sola virtutibus, & operibus bonis*, quin imò tam deteſtabili vitiorum inundatione affluentem, ut objectum adeò miſerandum perpendere non valens ſuſpiria excitavit, & in lamentationes æquiſſimas prorupit: *Sed Hieremias Propheta flens, & planxit lamentatione hac in Jeruſalem:* O Jeruſalem, *Ex Ante. Thren. Hierem.* Jeruſalem, nonne tu Populus ille electus eras, quem Divina Pietas intensè dilexit, nonnè illa delitioſa Reſpublica, quæ habita- *Thren. 1.* toribus abundare gloriabaris? *plena populo*: nonnè in te quaſi in amœno viridario virtutum jucundiſſimi flores exuberabant? quomodo jam in ſylvam incultam converſa non niſi ſpinas Sylveſtres producis? inter mille Divina Clementia te in unicam *Oſeas c. 1. v.* Sponſam elegit? *Sponſabo te mihi in ſempiternum.* In viduitate *19. Thr. 1.* conſtituta Sacrum Sponſum amiſiſti. Eheu quàm funeſtum divortium? *facta eſt quaſi vidua Domina Gentium*: ad thronum Principatus ſuper alias Provincias exaltata, *Princeps Provinciarum*, quomodo nunc alienis ſubjecta ad miſeram captivitatem redacta es?

Vide Lyran. hìc. 2. Jeruſalem juxta communem litteralium Expoſitorum ſenſum noſtræ Sanctæ militantis Eccleſiæ figura eſt, de qua in myſtico ſenſu timeo, nè Prophetæ luctûs præteriti ſuper Jeruſalem modernis lacrymabilibus temporibus verificentur: magna virtutum deſolatio in animabus Chriſtianis cernitur; ut jure merito Oſeæ Prophetæ verba nobis appropriari valeant: *Oſeas c. 2. v. 2.* *Non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia DEI in terra.* Non eſt imprimis veritas, ſed deceptiones, ſimulationes, duplicitates, mendacia: examinentur Tribunalia, Miniſtri, negotia, converſationes, commercia, & virtutis exilium, mendacij introductio, ignominiosè patebunt: obſerventur viſitationes, congratulationes, commiſerationes, cæremoniæ, totum hoc meram fictionem redolet: perluſtrentur Confeſſiones, & Confeſſionaria, nèc hæc à tam pernicioſo contagio libera erunt: Non eſt miſericordia, pietas, compaſſio: *& non eſt miſericordia*; quia pauperum miſeria eleemoſynis non ſublevatur, & quod ſenſibiliùs eſt, hæc Chriſtiana charitas in multis DEI Miniſtris decreſcit, qui reprehenſibiliter ſacro pulpiti, aut Confeſſionarij exercitio non vacant, vel ſi oppoſitum contingit, debitus Zelus Evangelicus deeſt: Non eſt Scientia DEI: *Non eſt Scientia DEI in terra*; Scientia vana; & mundana intellectus

ctus Catholicos absorbet, qui in fabularum, novaliorum, comediarum, inutilium librorum curiosis, & exitiosis lectionibus delectantur, à studio autem Spiritualium voluminum abhorrent: Schola orationis non frequentatur, ac Christi Domini Crucifixi pretiosus vitæ liber non pervolvitur: Scientia DEI est, & vocatur Sacra Theologia, divinam hanc facultatem plerique culpabiliter ignorant: ô utinam illi, saltem, quibus incumbit, eandem apprehenderent.

3. Cùm igitur in hac mysterioſa Jerusalem tanta virtutum inopia habeatur, pergrandis tamen regnat vitiorum excessus: *Maledictum*, sequitur Oseas, *id est*, addit Lyranus, *detractio proximi, & vituperium, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & Sanguis Sanguinem tetigit*: Maledictiones, & execrationes, detractiones, contumeliæ, fraudes, odia, homicidia, furta, injustitiæ, impuritates, adulteria, aliavè peccata in hoc campo hactenus felici adeò pedem fixerunt, ut adinstar horribilis diluvij universam terram impietatis aquis inundantibus occupaverint: *inundaverunt*: taliter, ut sanguis, qui bonos corroborabat mores, abundantes componat rivos reciprocè se tangentes: *& sanguis sanguinem tetigit, cùm peccatum peccato additur*; explicat D. Cyprianus: adeò miserandum est hoc infortunium. Ut terra ipsa hujus sanguinis rubedine tincta, si ad exigendam vindictam os non aperit, prout alijs temporibus accidit, aperiat tamen oculos pro extrema hac fatalitate deflenda: *propter hoc lugebit terra*: terræ lugenti præ peccatorum pondere viæ Cœli planctum associant, tanquàm derelictæ, eò quòd recto virtutum incessu nemo eas perambulet: *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem (interlin. ibi) Patriæ Cœlestis.* Quin imò turbæ sub Luciferi vexillo annumeratæ viam perditionis sequuntur: *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam*, dulces interim semitæ gloriæ ad flebilem solitudinem redactæ sunt propter paucitatem perseverantium in eis: *Arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.*

Oseas ibid. Lyran. super eum locum.

D. Cypr. apud Glossam ibid.

Gen. c. 4. v. 10. Oseas ibi. v. 3. Thren. c. 1. v. 4. Inter. ib. Matth. 7. v. 13. ibidem.

4. Prædictum luctum comitatur ejusdem Jerusalem miserabilis status: *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te Filia Jerusalem? magna est enim, velut mare, contritio tua*: angustias tuas ô Jerusa-

Thren. c. 2. v. 13.

ô Jerusalem mens exprimere non valet; contritio tua summa est, sicut summa est turbatio, alteratio, motus, & amaritudo maris: *Magna est velut mare contritio tua:* Ast proh dolor! non enim hæc tua major est ærumna: jucunditatem pareret tua afflictio, si jacturæ tuæ medella foret: magis deplorabile est, quòd tua contritio sicut infructuosa, & tuus dolor inutilis, ita
ibidem. plaga tua sit incurabilis: *Quis medebitur tui?* pauci, aut nemo te curare potest, respondet glossa interlinealis: *aut nullus, aut rarus:* in nemine aut in paucis Hieremias opportunum remedium pro materiali Jerusalem aperit, & pro mystica Jerusalem, quæ est anima peccatrix, nec minus Hugo Cardinalis in Sacerdoti-
Hugo Card. in eum locum Thren. bus remedium invenit: *nullus Sacerdotum medebitur tui, ô homo peccator:* Quomodo nec minus? Sacramenta esse pharmacum pro quolibet malo culpæ, & in Sacerdotibus potestatem vigere sanandi ab omni peccatorum infirmitate, veritas Catho-
Hierem. c. 1. v. 22. Interlin. hic. lica est: *Nunquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi?* Glossa interlin, hic: *Nunquid resina Pœnitentiæ non est in Galaad? aut Medicus, id est Sacerdos, cujus medicamine curari debuit, non est ibi?* Ita profectò remedia dantur, & medicinæ, & Medici, & Sacramenta, & Sacerdotes: *Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* quare ergo tot sunt infirmi sine cura? quæ tam periculosæ contagionis origo? dantur medicamina ita efficacia, & tamen infirmi ad statum adeò fatalem pervene-
Hierem. ibid. runt, ut meritò de ijs plangi possit: *Quis medebitur tui? Nullus, aut rarus.*

5. Causæ, propter quas remedia potentissima SS. Sacramentorum suo carent effectu, plures sunt, & inter has aliquæ summa sui cordis amaritudine ab Hieremia numeratæ, & aliæ summa eruditione à Cardinali S. Charo signatæ: *Prophetæ tui,*
Hierem. Thren. c. 2. v. 14. in quit Hieremias, *viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam* provocarent: Sacerdotes, Confessarij, Concionatores, Doctores, & Prælati sua munia adimplentes, veros Prophetas à DEO antiquo Populo assignatos repræsentant, secùs autem facientes sunt velut Prophetæ, de quibus Hieremias hìc conquæritur: Ab his doloroso Jerusalem excidio non providebatur: quia ejus dementias, & illusiones non revelabant, nec ad pœnitentiam gentes invitabant: Confessarij, pariter pœnitentium damna non restaurant; aut

quia

quia ex inadvertentia (nè dicam ex ignorantia) ea non penetrant, aut quia infideles non patefaciunt; prout dicit Venerabilis Rupertus Abbas: *Quia viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam Medici tam imperiti, quàm infideles, ut te ad pœnitentiam provocarent.* *Rupert. supr. Hier. l. 1. c. 19.*

Insaniæ, & illusiones dantur in peccatoribus, ijdémque defectus, ait Hugo de S. Victore, in Ministris reperiuntur: videlicèt, quòd juxta proprium genium, inclinationem (& fortè passionem) pœnitentibus prospera annuntient, horribilibus minis terrorem incutiant: *Quando, & quibus volebant, promittebant prospera, quando, & quibus volebant minabantur adversa.* Favorabiles sententias inquirunt, & sequuntur pro uno pœnitente, & tamen eadem in simili aliorum casu sequi recusant; mel & lac sub lingua eorum, erga personas sibi geniales; fel autem contra dissimiles: Diviti licèt perverso adulantur, pauperem quamvis justum increpant; sic protestatur D. Hieronymus: *& ut loquar, quod sentio, difficile hoc maledicto quis carere potest, cum & malis frequenter adulemur propter potentiam, & bonos despiciamus propter inopiam.* *Hugo de S. Victore t. 1. Annot. elucid. in Thr. Hierem. super hunc versum.* *D. Hieron. tom. 5. l. 1. in lam. Hieron. 6. 2. in hunc versum fine.*

6. Peccatorum insaniæ, & deceptiones multæ sunt, quæ tamen ipsis à Confessarijs non revelantur: *Viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam;* & cum plaga non aperiatur, consequenter nulla est cura, & sine remedio jacet infirmus. Pœnitens dicit se suam conscientiam examinasse, & Confessarius advertet hoc multoties esse falsum: *viderunt tibi falsa*; quia nec de numero seu quantitate, nec de qualitate seu specie peccatorum, nec de necessarijs circumstantijs se accusat; quod facilè in plurimis personis cernitur; & si Spiritualis Medicus hunc errorem non detegit; dum per interrogationes defectum necessarij examinis in pœnitente supplere non valet, quomodo curabit eum? *Quis medebitur tui?* suorum reatuum processum Confessario tanquàm Judici pœnitens referre desinit: dicendo, de alijs non esse sibi conscium; si autem aliqua adhibeatur diligentia in interrogando, & ipsum examinando, multa peccata tacuisse deprehendet; imò plurimi de his non se accusant, eò quòd Confessarius, ut ipsi dicunt, non interrogaverit: exquirat igitur, utrùm in Confessionibus præteritis post usum rationis cum remorsu conscientiæ aliquod occultaverit peccatum in ta-

li, aut tali materia? &c. Nisi enim cum Zelo hoc exerceatur ministerium, solicita applicatio deest; & hac deficiente non aperitur peccatum: *nec aperiebant iniquitatem tuam*; quarè plagâ in corde occultâ remanente ipsum sine remedio mori necesse est, infirmitate non detectâ infirmus perire debet: *Quis medebitur tui?*

7. Culpa non est mea, respondebit Confessarius, si ex malitia aut verecundia pœnitens suum non referat peccatum; ego non dico ipsi, ut taceat; ipse reus est, & testis, ego Judex juxta allegata sententiam ferens: si ergo exactè non fuit confessus ipsi, & non mihi imputandum est: Non nego Confessarium esse Judicem, qui juxta allegata à pœnitente debeat sententiam ferre, sed nec Confessarius negare poterit, quin sit Medicus animæ infirmæ ad suos pedes procumbentis: tanquàm Judex sola pœnitentis informatione indiget, sed tanquàm Medicus pulsum tangere debet, ac omni possibili modo ad eam curandam ejusdem infirmitatem penetrare. Verum quidem est, quòd subinde etiam zelantibus, & huic exercitio magis intentis soleant pœnitentes ex propria malitia, aut verecundia occultare peccatum; sed pariter verum est, hoc crebrò contingere, aut quia Confessarius, sicut tenetur, pœnitentem non interrogat, aut quia modica humanitate, & nimio rigore cum eodem agit. Cùm DEI mandatum Achan transgressus fuisset, accessit ad Josue, qui ut ipsum induceret ad confitendum peccatum, dixit ei: *Fili mi, da gloriam Domino DEO Israël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris:* Non severè, aut vultu exasperato excepit, nec duris sermonibus eum allocutus est, ut nos iste magnus Bellidux, ait Abulensis, instrueret, quòd suavitas valde potens sit remedium pro animando peccatore ad suum aperiendum peccatum: *Vocavit Josue Achan filium suum, est enim modus dulcis ad suadendum conveniens; & hoc ut induceret eum ad confitendum quid fecisset:* Qui Confessionem accedit, ut plurimum reverentiâ & verecundiâ præoccupatur; reverentia hujus Venerabilis Tribunalis timorem incutit, & verecundia proprias miserias detegendi liberum linguæ usum impedit: ideóque necesse est, ut Confessarius velut Pater ipsum incitet, & velut Pastor absolvat: quia si pœnitentis timori, & verecundiæ Confessarius verborum asperitatem, in modo duritiam, in agendo inhumanitatem

Josue c. 7. v. 19.

Abulen. in eum locum. Q. 47.

nitatem superaddit, & contra Spiritûs Sancti dictamen pauperculi pœnitentis cor affligit, *cor inopis ne afflixeris*? Clarum est à suâ culpâ manifestanda retrahi: Non sic, non sic agendum est, ait S. P. Augustinus: *Sacerdos, adsit benevolus, paratus erigere, & secùm oves portare: Adjuvet confitentem --- Juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cùm opus fuerit, etiam increpando: Sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudij:* Benevolentiam, affabilitatem, ac promptitudinem in sublevando à miseria lapsum ostendat; ad imitationem Pastoris Divini cum ovicula aberrante, proprios humeros animarum pondere onerare sit paratus; interrogationibus pœnitentem adjuvet, ut suos melius exprimat defectus; benignæ exhortationis dulce lenimentum applicet; animam ejus perhumaniter excipiendo consoletur: & quamvis enormium culparum multitudine, quasi innumerabili, gravatum cernat, nec terrefiat, nec terrefaciat, quin imò firmâ spe de infinita DEI misericordia suffulciat: & cum post totius veneni vomitum aliqua reprehensione opus fuerit, hæc cum summa discretione fiat: demùm si salutem ejus æternam quærit, hanc consequetur, si socius, & particeps ejus afflictionis erit. *Eccl. c. 4. v. 3. D. August. lib. de vera & falsa pœnit. c. 2. Lucæ cap. 35. v. 4.*

8. Aliæ quóque fraudes, & falsitates inveniuntur in pœnitentibus: *viderunt tibi falsa*: qui de offensa DEI oretenùs dolere protestantur, cor autem eorum longe est à requisito dolore: hi sunt velut Cycnus in veteri lege à DEO rejectus, quia externo ejus candori internus non correspondet, ait Cardinalis Cajetanus. *Prohibetur Jsraëli Cycnus inter alia animalia, quia cùm albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur*: hujus avis cantus est valde sonorus, nivis candorem præfefert in plumis, at carnem excessivè nigram habet: Verba multorum pœnitentium sat candida apparent, internum tamen valde diversum est ab externo; anima verè contrita plumis candidis ornatur; ast intrinsecùs non est semper anima verè pura, quæ extrinsecùs pœnitens videtur; quia non rarò inter os, & cor evidens datur oppositio, hæcque in constantia, quâ propria tuentur crimina, dignoscitur: hinc Confessarius hujus rei conscius eorum vulnera prodere debet, ne de illo verificetur, *nec aperiebant iniquitatem tuam*, repræsentet peccatori sordidam culpæ maculam, DEI offensæ abominationem detestabilem, damna, quæ exinde *Levitic. c. 11. v. 18. Deut. c. 14. v. 16. Cajet. Cardinal.*

in animam resultant, ad verum cordis dolorem validis rationibus ipsum concitando: si hoc modo non procedit, quomodo infirmitas sanabitur? lethalis pœnitentis morbus sæpe manifestari negligitur, ideo nec mirandum, si ejus status inde immedicabilis remaneat: *Quis medebitur tui?*

9. Non minoris ponderis est alia lacrymabilis deceptio multarum animarum: *viderunt tibi falsa*, quæ vitæ emendationem coram Confessario firmiter promittunt, & tamen verum emendationis propositum non habent, quod optimè Confessarius advertet ex modo, quo pœnitens confitetur sine verecundia, sine pudore, & rubore, aridus, frigidus, languidus, ac mille alijs defectibus non modicè vulgaribus, & communibus; inter quos principalis est, quòd continuò cum eodem peccatorum fasciculo, & semper recidivus compareat, nullâ ex plurimis præcedentibus Confessionibus emendatione deprehensâ: quare Spiritualis Judex juxta verbalem pœnitentis relationem non se dirigat, nec sufficit, quòd ore proferat, se propositum habere non offendendi DEUM; sed ad opera sua respiciat, quæ fideles sunt cordis testes; & quando opera contraria sunt verbis, his minimè est credendum. Horologia aforis lanceolam quamdam habent, quæ horam indicat, estque velut lingua, eandem dicens, & ostendens, & fidem ipsi præstamus nobis suadendo illam esse horam, quam sphœra indicat; sed hoc credimus, quando horologium benè incedere Solet; malè enim incedendo, quod index aforis monstrat, falsum esse putamus. Lingua est mysteriosum cordis ostensorium secundùm Venerabile Christi DEI nostri dictum: *Ex abundantia cordis os loquitur*: quod profert, tunc fide dignum censetur, quando morum horologium benè incedit; si verò hoc est inordinatum, linguæ voces fidem non merentur; quia turpem fraudulentæ notam à Michæa Propheta relatam incurrit: *Lingua eorum fraudulenta in ore eorum*: Verum est, quòd pœnitentis cor cernere non possimus; & ut discretè Spiritus Sanctus asseruit, cordis intima penetrare difficile est: *Vestigium cordis boni difficilè invenies, & cum labore*: non dicit esse impossibile, sed difficile, arduum, *& cum labore*: Laboret Confessarius interrogando pœnitentem, utrum sit recidivus, in lapsu frequens, in occasione proxima constitutus, à quo tempore, & cor pœnitentis ei aperietur:

Simil. Mat. c. 12. v. 14.

Mich. c. 6. v. 12.

Eccl. c. 13. v. 32.

tur: ſicque formare poterit judicium, ejuſdem propoſita non eſſe vera, cùm unâ, binis, & repetitis vicibus poſt propoſitam emendationem verbis ſuis non ſteterit.

10. Hujus veritatis, & pro Confeſſarijs neceſſariæ doctrinæ probatio in perſona Regij Prophetæ David patebit, qui poſtquàm amicabile cum Saul habuiſſet colloquium, & ab eodem de non offendendo ſecuritas oblata fuiſſet, in tutiorem tamen locum, ut Sacræ teſtantur Paginæ, David cum ſocijs ſe recepit: *David, & viri ejus aſcenderunt ad tutiora loca:* Nunquid David perſpexit aliquid in Saul, à quo poſſet terrefieri, aut fortè Saul metuenda comminatus eſt? non, & tamen timet, ac locum ſecuriorem quærit, qua de cauſa? *quia ei, qui ſemel decepit eum,* dicit eruditus Vega, *non amplius fidit,* Experientia Magiſtra in David de inconſtantia promiſſorum Saul, verbis hujus non fidit; quia operibus contraria adinvenit. Hoc idem in multis animabus experitur Confeſſarius: emendationem promittunt, at promiſſa non ſervant, à vitio abſtinere proponunt, & tamen non abſtinent, meliorem ducere vitam pollicentur, verùm in executione datam fidem violant, & hoc non ſemel, bis, aut ter, ſed frequenter contingit; hac ergo poſitâ experientiâ pœnitentis verbis non eſt fidendum. Fragilis quidem eſt humana conſcientia, hæc tamen fragilitas aliquo modo curari debet; ſi ſuavitas non prodeſt, ad rigorem tranſeat: ſi abſolutio eſt fruſtranea, negatio abſolutionis ſit remedium: ſi ſuavitas olei ſanitati non conducit, acre vinum adhibeatur: medicina amara vitioſos expellet humores, quos dulcis potus expellere nequivit: ſi hoc modo non agitur, in cura aberratur, & infirmus inſanabilis remanebit. *Quis medebitur tui?*

1. *Regum.* 14. *v.* 23.

Vera in lib. Judic. tom. 3. *n.* 14. 60.

11. Ex neglecta mendarum pœnitentium manifeſtatione plurimi infirmi ſpirituales non curantur, ut ex Hieremia jam probavimus: nunc alias cauſas ab Eminentiſſimo Hugone adductas examinare ſupereſt: *Nullus Sacerdotum medebitur tui, ô homo peccator: quia vel idiotæ ſunt, vel ſi ſciunt, nolunt:* Aſpera eſt prima vox, quam hic eximius Doctor profert: *Quia vel idiotæ ſunt;* mea reverentia affirmare non audet, verbum hoc in aliquibus DEI vices gerentibus verificari, dum in ſacra Confeſſionarij Sede aſſident: poſſibile tamen eſt, nec repugnat, aliquem æquo minus ſcire, ad cujus pedes ſi pœnitens aggravatus,

Hugo Card. in Thren. c. 2. v. 23.

ac morbo periculoso tactus procumbat, quomodo curabit eum? corporalis Medicus noscere debet infirmitatem, quæ personam affligit, pharmacorum virtutem, aliavè, quæ præsenti morbo noxia aut utilia esse possint: si horum unum ignoretur, occidet, non sanabit. Idem dicendum de Spirituali Medico currit enim eadem paritas. Damna evidentia, quæ ex imperitia Confessarij sequuntur, commemorare non est opus; quando æterna Veritas Christi Domini nostri Salvatoris Sapientia exclamat, quòd si cæcus cæcum ducat, certum sit amborum præcipitium: *Matth. c. 15. v. 14.* *Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*: Si cæcitas in pœnitente à peccatis causata defectum visionis in Confessario indocto ipsum ducente comitem habeat, ambo in perditionis foveam profundam cadent. Si Nauta, cujus vigilantiæ navis gubernium committitur, in arte nautica imperitus est, ignorat vortices, lineas nescit, scopulos non advertit, procul dubio navim ad portum desideratum reducere non poterit; quin imò ipse & eum sequentes inter feri elementi undas spumantes miserè peribunt. Ah Confessarij! DEUS vos Nautas constituit, ut in Sacramentorum navi ad speciosissimam Gloriæ Civitatem per turbidum hujus sæculi mare animas deferatis; peccatorum procellæ sunt frequentes, culparum tempestates valdè familiares; quia passionum effrœnatarum turbines nimiùm sunt impetuosi, ac appetituum indomitorum venti supra modum furibundi: Si has regendi naves modus ignoratur, nec vestra spiritualis vita est secura; quia in vestrâ imperitiâ & aliena, & propria periclitatur conscientia. Theologia Moralis vastissimus est campus, plurima sunt scienda; necessarium est studium continuum, ut apprehendatur, quod nescitur, & nè oblivioni tradatur, quod apprehensum est: si nullum, aut exiguum est studium; quomodo scientia necessaria comparabitur, aut acquisita custodietur? Ars artium, & difficillima est regimen animarum: ô quàm deplorabile est videre tot ex imperitia Medici jacere infirmas! *Quis medebitur tui? Nullus; quia vel idiotæ sunt.*

12. Alia ratio à Purpurato adducta, cur animæ non curentur, est; quia, quamvis Confessarij docti sint, eas curare nolunt: *Vel sciunt, nolunt*; animas infirmas curare nolunt illi, qui, cùm eorum curæ incumbere possint, propria quærentes commoda, & utilitates, otiositate, & pusillanimitate ducti fructuoso

Con-

Confessionarij Ministerio non invigilant: inutiles erunt meæ rationes ad convincendos aliquos in hoc culpabiles, qui proprio amore capti ad honestandam suam excusationem mille motiva excogitabunt: at si coram hominibus, nescio an coram DEO similis excusatio sufficiens sit dijudicanda, Sapientissimi Magistri, & Severi Judicis Christi perpendant parabolam, in qua servus acceptum talentum post petitam rationem restituit, ideóque ad perpetuas tenebras condemnatus: *Inutilem servum ejicite in te-* *Matth. 25.*
nebras exteriores: Dissipavit fortè talentum sibi traditum? Non: *v. 30.*
integrum restituit: *Ecce habes, quod tuum est*; & tamen condemnatur? & quid de illis erit, qui accepta talenta malè insumunt, ac potentias, sensus, vires, substantiam pessimè, quia in DEI offensam, impendunt? hunc servum tanquam inutilem condemnat *inutilem servum*, quia unicum talentum otiosum tenuit, licèt suæ amissionis excusationem oculis hominum non levem proposuerit, scilicet, quòd cognito rigore, quo Supremus Judex sui talenti rationem petiturus esset: *Scio quia homo durus es*; ejusdem amissionem timuit, & ne dum alia superlucrari negotio prætenderet, etiam capitale cum prætenso lucro perderet; adeóque melius judicavit, accepti talenti rationem reddere, quàm id impendendo se ejusdem jacturæ periculo exponere: *timens abij, & abscondi talentum*; Verè excusatio frivola non *Ibidem.*
videtur, sed quod inter homines excusabile apparet, ante DEUM gravior fuit accusatio; quia realiter, quod pallio timoris operiebatur, simulata pigritia erat: *Serve male, & piger*; fuit piger *Ibidem*
declaratus, & tanquam inutilis condemnatus: *Vide*, inquit *v. 26.*
Magnus Chrysostomus, *quomodo non solum rapaces, & qui aliena invadunt, nec soli malefactores, verùm etiam & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio.* Excusationes ab aliquibus tepidis ad suam tegendam omissionem adductæ referuntur, & confutantur in peroratione secundæ partis num. 8. &c. Interim hìc deflendum animas infirmas non sanari, eò quòd cum eis curæ periti Medici negentur, in manus minus peritorum cadant, adeóque sine remedio remaneant: *Quis medebitur tui? Nullus, quia si sciunt, nolunt.*

13. Alij infirmis conscientijs sanitatem conferre nolunt, quamvis modum ipsas curandi calleant: *vel si sciunt, nolunt*: quia ad Confessionarium absque efficaci desiderio sanandi, sed sola inten-

intentione ipſas exaudiendi, ac breviter expediendi accedunt; neceſſarium eſt tempus, & tempus quietum pro examine pœnitentis circa principalia fidei Myſteria, pro ipſius conſcientiæ tortuoſorum ſinuum ſcrutinio, & pro formando judicio gravitatis, ponderis, ſpeciei, numeri, ac circumſtantiarum ſuorum peccatorum, nec non obligationis famæ, & rei reſtitutionis: mora aliqua opus eſt pro notitia, an peccatum ſit reincidentiæ, habitûs, & occaſionis proximæ, pro incutiendo horrore ad malitiam peccati, repræſentandâ gravitate, ac deformitate DEI offenſæ, pro commovendo ad verum dolorem, & efficax propoſitum, pro conſilijs ſalutaribus dandis, pro inſtructione modi, quo vitam ſuam inſtituere debeat, & pro multis alijs, quæ in illo venerabili loco occurrere ſolent; quòd ſi Confeſſarius cum feſtinatione procedat, quomodo tot obligationibus ſatisfacere poterit? cum frequenter pœnitentes tales ſint, ut omnia iſta, & multò majora requirantur. Chriſtus dulcis noſter Dominus, qui tanquàm Divinus Magiſter ad nos erudiendum venit, optimam in hoc doctrinam impertietur. Attentè conſideremus ipſum ad puteum Samariæ miſeram illius peccatricis animam curantem, & omiſsâ conſideratione laborum, itinerum, famis, ſitis, quæ perpeſſus eſt, ad noſtræ tepiditatis confuſionem in animarum ſalute quærenda: ut meum intentum ſequar, objicio ſolùm oculis PP. Confeſſariorum pacem, moram, & quietem, quâ ſe cum anima illa detinuit eandem interrogando, audiendo, examinando, replicando, proponendo, cum cæteris, quæ patenter in illo devoto, pio, & prolixo colloquio peregit: Poterat quidem breviter curare, convertere, & expedire ipſam; ſed ad noſtram doctrinam patienter ſecum gerere ſe voluit: prætermiſsâ feſtinatione, qua mulier pro ſervitio domûs aquam attingere conatur, præcipuum negotium, quod eſt ſalus animæ, diligenter quærit, nec à fame, ſiti, aliſque ærumnis ſe reſtaurare Benignus Dominus cogitat; ſed ſolius alimenti pretioſi ipſius cordis eſurem ſe oſtendit; diſcamus hinc vanos abjicere reſpectus, quibus ad pœnitentem citò expediendum allicimur. Pro negotio enim tam arduo longi mora temporis opus eſt.

Joan. c. 4. v. 5.

14. Interdum contingit, quòd pro tunc pœnitentis conſcientia extricari non poſſit; quia vel ipſemet ſe detinere nequit,

vel

vel in ipsius cura moras trahere necesse est; quid in simili casu agendum sit, Cœlestis Magister in facto alterius peccatoris nempe Zachæi docuit: Ascendit hic arborem, ut videret Christum, qui pios oculos ad eundem convertens, licèt immediatè potuisset, distulit tamen ejus animam sanare, dicens ei, ut descenderet, domum pergeret, ubi maturè suæ conscientiæ negotium tractaret, *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*: Perpendamus omnia verba: jubet eum solicitè descendere, *festinans*, quia æternæ salutis opera non pigrè, sed fervidè agitanda sunt: ait *hodie*, hodie, non cras, ô mirum notandum! de die crastino ô Christiane non es securus, hodie animæ tuæ remedium sollicitare debes; si crastinum expectas, fortè ad castrinum non pervenies, & in æternum te perdes, *hodie*, si, dum has lineas legis, culpâ (quod DEUS non permittat) gravaris mortali, te per Christi Crucifixi Sanguinem obsecro, ut de hoc abominabili statu egrediaris, *hodie*, considera, quòd, si hac nocte pravâ conscientiâ morieris, æternitatis nox horribilis perpetuis tenebris te cinget, ac formidanda abyssi vorago te obruet: Addit Christus, se in domo Zachæi moraturum: *Oportet me manere*, hujus inæstimabilis visitationis Zachæus ipse anxius esse debuisset, verùm immensus Dulcissimi JESU amor proprium quæstum reputat animarum suarum salutem: in illo *manere*: stat mea principalis reflexio: pro curando Zachæo necessarium erat manere, qui, cùm fuisset vir in negotijs, & contractibus immersus, oneratam habuit conscientiam, multisque restitutionibus obnoxiam: quapropter non festinanter Christus Dominus eundem dimittit, nec coram illa hominum multitudine ipsius curæ incumbit, sed hoc ad tempus magis opportunum, & quietum differt: Suadeamus ergo nobis, quòd ad perniciosa conscientiæ vulnera sananda non sit properandum; singulariter illorum pœnitentium, qui cum interno valdè intricato accedunt. *Lucæ cap. 19. v. 5.*

15. Non inficior tamen, quin aliquando abbreviari possit confessio, quando nimirum persona est bene dispositа, capax, & distinctè conscientiam suam explicans: prout Redemptor noster in lapsu Petri ostendit, solo aspectu, quasi cœlesti manu eum erigendo: *Conversus Dominus respexit Petrum*: Ast signentur circumstantiæ: Petrus sagax, discretus, & bene instructus

Pœnitens erat: peccata ipsius pauca, & opere completa: si hujusmodi pœnitens accedat, non est dubium, quin citò expediri possit: dentur mihi pœnitentes similes Petro, illaqueatam, aut in culpis inveteratam non habentes conscientiam, tunc sine difficultate concedam, ut breviter expediantur; Verùm si dissimiles dentur conscientiæ, ac dispositiones diversæ, quomodo tam brevi tempore omnia requisita peragenda erunt? Possibile non est, ut morbi interni hoc modo curentur: adeóque ex defectu curæ necessariæ in statu perditionis animæ perseverabunt, sicque motivum erit audiendi, *Quis*, medebitur tui? Nullus, quia scriò huic muneri nolunt incumbere, *nolunt.*

16. Hæ sunt universales, & ordinariæ causæ, propter quas plurimæ animæ infirmæ in sacra Confessionis Piscina salutem non consequuntur, unde jure merito illam derelicti Paralytici quærellam ingemminare possunt: *Hominem non habeo,* hominem non habent, qui earum conscientiæ plagas Zelo Evangelico ipsis aperiat: hominem non habent, qui cum maturitate patratorum criminum turpitudinem ijsdem monstret hominem non habent, qui discretè absolutionem suspendat, quando propter malam dispositionem eam demerentur: hominem non habent, qui sapienti prudentiâ, & prudenti sapientiâ earum curæ vacet: hominem non habent, qui pacificè ipsos in Confessionali exaudiat, culpas examinando, gravitatem perpendendo, solidisque rationibus ad scelerum detestationem hortando: Et ô utinam non eveniat, quod nec cogitare, nec sine rubore exarare fas est! nempe, quòd, qui pij Pastoris munus exercere tenetur, cruenti lupi officium gerat!

Joan. cap. 5. v. 7.

17. Lacrymabiles sunt calamitates, quas patiuntur animæ dupliciter miseræ sub incurabili statu gementes; innumerabiles sunt lacrymæ, quas super tam infaustum casum Hieremias effundit, & plangentes suos oculos extendens, à malo incurabili ad deflendam mortem post hunc secuturam transit, suasque lacrymas exiguas censens, suspiria ignita ad Cœlum transmittit, ut ardentiora impetret: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei:* Cor Prophetæ adeò perfringitur, ut, juxta Lyranum, totum se ipsum in lacrymas resolvere cupiat: *Vellem totus resolvi in lacrymis;* Cruciatur ipsius Zelus in figuris ænigmaticis contem-

Hierem. c. 9. v. 1.

Lyran. hìc.

templans populum à DEO electum, Sanctæ Ecclesiæ filios insanatos, extinctos ex carentia applicationis Medicorum Spiritualium: commoti sunt Cœli, terra tremuit, obscuratus est Sol, Luna conversa est in Sanguinem, Stellæ obnubilatæ sunt, & insensibiles creaturæ in morte naturalis Filij DEI sensibilia signa dederunt: Gratiæ divinæ mortui cernuntur modo plures ejusdem DEI Filij adoptivi, ex quo nostri Prophetæ cruciatus justificantur, & tamen dura aliquorum Christianorum pectora insensibilia jacent, nec tot calamitatibus commoventur, nec damnis ita evidentibus remedia parant.

18. Reprehensibilis hæc inordinatio ex inæstimabilis pretij unius animæ inconsideratione provenit, quæ majoris est valoris, quàm Cœlum, & terra, nec totus Mundus, ut dixit Elias Cretensis, tantidem æstimari potest. *Universus Mundus unius animæ pretium non adæquat*, summa aviditate bonorum temporalium consecutio exquiritur, eorúmque amissio timetur, & proh dolor! quàm modica solicitudo in pretiosissima unius animæ Margarita lucri facienda adhibetur. Hujus valorem noverat D. Bernardus, ut manifestant ejus lacrymæ in perditione illius effusæ, pro cujus conversione, quantum potuit, licèt inutiliter, laboravit: *Manet utique mihi ploratus, & ululatus multus*, ait mellifluus Doctor, *quamvis nihil mihi conscius sim, quò minus annuntiaverim ei*: Adeò turbatus est devotus ejus Spiritus, licèt suâ culpa anima illa deperdita non fuerit; & quales fuissent ipsius gemitus, si suâ negligentiâ perijsset? quantus autem esse deberet Confessarij dolor, cujus culpâ una, & plures animæ pereunt? justum quidem erit, exclamat Hieremias, ut excessivi signa doloris ostendat: *Ululate Pastores, ululatus*, explicat Lyranus, *est vox confusa, & est signum magni doloris*: Si animæ pretium non nunquam penetrare cupimus, ad Sanctissimæ Crucis arborem eleventur oculi, ubi pretiosissimos sui Sanguinis Carbunculos Mundi Redemptor in animæ pretium deposuit: inæstimabilis thesaurus, & infiniti valoris est Capitale, quo Spiritus hic nobilis redemptus est: incomparabilis ergo erit ipsius valor: pro quo proinde recuperando tot & tam ingentia tormenta, labores, dolores, ac pœnas amantissimus noster Dominus sustinuit: ab alijs non tanti æstimatur; & hæc est

Elias Cretens. in or. 1. Nazian.

S. Bernardus

ratio, cur tepidi ab ejus quærenda ſalute ſe retrahunt, aut pigri ejuſdem perditionis participes ſe reddunt.

19. Noſtri Prophetæ planctus Sancta Mater Eccleſia approbat, & comitatur, ijſdem verbis ſuum exprimendo dolorem: *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam:* Interlinealis, *Vox Eccleſiæ facti ſunt filij mei perditi, quoniam invaluit inimicus.* Dolet, & lacrymatur hæc pia Mater ſuper filiorum ſuorum perditionem, *facti ſunt filij mei perditi*: Filij, quos ſalutaribus Baptiſmi aquis regeneravit; doctrinæ Chriſtianæ lacte aluit, & pane cœleſti Evangelicorum Præceptorum nutrivit, miſerè perditi ab ipſa conſiderantur, quia communis hoſtis vis, & fraus contra ejus arma ineptè à proprijs Miniſtris geſta prævaluit. Deplorabile eſſet, ſi infideles noſtræ Sanctæ Religionis inimici arma Catholica vincerent, ac negligentiâ, pigritiâ, & omiſſione Capitum, Ductorúmque exercitûs Chriſtianas Civitates occuparent: Contra noſtræ S. Eccleſiæ filios perpetuum infernus ſuſtinet prælium, ejúſque furibunda prævalet ſuperbia: *invaluit inimicus*, in multis animarum electarum conquiſitis dominatur fortalitijs, plurimóſque Chriſtianos milites in tyrannica captivitate detinet; & quæ tot infelicium ſtragum origo? Eh ne ſint hujus Sacræ militiæ capita? lacrymabilis fatalitas eſſet, quod hoc ſummum infortunium ex difformi Miniſtrorum Eccleſiæ ſomnolentia derivaret. Miſerandus caſus, ſi hoſtibus Civitatem aggredientibus vigilia dormitaret ejúſque ſopore Urbs per adverſariorum ingreſſum deperderetur: juxta Evangelici Prophetæ vaticinium Confeſſarij ſuper muros Eccleſiæ ſunt conſtituti Cuſtodes: *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes*, *Sacerdotes*, addit Cornelius à Lapide, *ſunt cuſtodes populi* hæ cuſtodiæ à Hieremiæ calamo ſpeculatores dicuntur: *Conſtitui ſuper vos ſpeculatores*; ut ſignificaret vigilantiam qua myſticas Civitates tueri debent: Si hæ cuſtodiæ dormitant, procul dubio inimicus animas arripiet, ac Mater Eccleſia proſpectâ aſtuti inimici tyrannicâ victoriâ plorabit: *invaluit inimicus*, propter gravem Miniſtrorum negligentiam, quorum vigilantiæ filiorum ſuorum tutelam commiſit; *facti ſunt filij mei perditi.*

Thren. c. 1. v. 16. Interlin. hìc.

Iſaiæ c. 62. v. 6. Cornel. in Num. c. 3. v. 7. Hierem. c. 6. v. 17. Lucæ c. 19. v. 41.

20. Non admirabor amplius propter tot Sanctorum lacrymas, & Eccleſiæ planctus, dum DEI & Domini noſtri gemitus

mihi

mihi objiciuntur; hunc plangentem cerno ſuper illam Jeruſalem, ſuper quam tranſactis ſæculis Hieremias flevit: *Videns Civitatem flevit ſuper illam:* Ejuſdem lacrymas in morte Lazari ſpiritualem animarum mortem repræſentantis video: *Lacrymatus eſt JESUS:* flevit quóque vehementius, inquit D. Paulus: *cum clamore valido, & lacrymis:* Et hæc reſonantia ſuſpiria emiſit, ait D. Thomas, & alij, dum oravit in horto, ubi non communes, ſed ſanguineas effudit lacrymas; quin imò quaſi oculi ad ſuum manifeſtandum dolorem non ſufficerent, voluit, refert S. Bernardus, ut omnes ſui Sanctiſſimi Corporis pori oculi eſſent pro fletu, & ora, pro ſumma ſua proteſtanda amaritudine: *Chriſtus non contentus fuit lacrymis oculorum, ſed totius corporis ſanguineis lacrymis peccata noſtra flere voluit.* Plangit Chriſtus ita exceſſivè conſiderando ſanctiſſimam ſuam Paſſionem fore: plangit, quia tam immenſi beneficij plures perverſi Chriſtiani ſe immemores, & ingratos oſtendent: plangit, eò quòd Judas Sacerdotali charactere inſignitus cum poteſtate animas curandi miſerabiliter harum, & propriæ detrimentum faciat: plangit, quia Apoſtoli, quibus ſui gregis cuſtodiam, oviúmque ſuarum vitam commiſerat, ſomnolenti, & reprehenſibiliter negligentes ſunt: *invenit eos dormientes:* plangit quia inimicum in aggreſſu animarum ſolicitum prævidet: *Ecce ſatanas expetivit vos:* & vigiliæ ſomno deditæ jacent: plangit denique, quia, quòd pro tunc contigerat, impoſterum frequenter renovabitur, & modo in praxi videtur: cuſtodes dormiunt: Sacerdotes non vigilant: negligentes ſunt Confeſſarij, & Dœmon animas tam pretioſo munere à Chriſto redemptas abripit. O meæ vitæ JESU, quod ego non ſentio, plangis, & quod ego non plango, ſentis! Sanguineas tuus amor effundit lacrymas de mea tepiditate afflictus; quæ utinam ejus igne accenderetur! O Dulciſſime Jesu, ſi quis amaras tuas lacrymas abſtergere valeret! magna ex parte tuæ allevarentur pœnæ, ſi mea ſuum attingerent finem vota, & ego in hujus libri Lectoribus conſequi potero intentum, propter quod ſcribo. Homo, qui has legis lineas, ſive Confeſſarius ſis, ſive non, Ter Sanctum DEUM tuum JESUM dulciſſimum diligere nè gloriaris? non dubito: ſolatium aliquod amantibus ejus paſſionibus præbere nè cupis? affirmativam teneo; ſiquidem

Joan. c. 11. v. 35.

Ad Hebræos cap. 5. v. 7.

Apud Cornel. in eũ locum. S. Bernar. ſer. 3. in Dom. Palmar.

Matth. c. 26 v. 40.

Lucæ c. 22. v. 31.

faciliter potes: Si Sacerdos es, animarum saluti seriò incumbe, per quod ablato in Christo sui doloris objecto cordis ejus quoque pœnas temperabis: Si Sacerdos non es, DEI tui angustias etiam lenire vales; non ignoras, propter tuas angi culpas, desine peccare, & ejusdem planctus cessabunt: non te latet, ipsius lacrymas exinde oriri: revertere ad DEUM tuum, & tanti doloris motivum in eo cessabit: Clarum, & notum est, quòd tua tepiditas, durities, ac modica contritio tantæ tui Domini amaritudinis sit origo: impietatem tuam detestare, ingratitudinem abominare, inconsideratæ tuæ vitæ fervidè te pœniteat, tuique Redemptoris animum gaudio replebis. Amantissime JESU, persuasiva mea modica est, mea efficacia debilis, rationes meæ insufficientes, quia Spiritûs mei tepidi sunt effectus; divina tua gratia characteres hos bono animo formatos corroboret; virtus tua mei feruoris debilitatem suppleat, ut hæ litteræ oculorum portam animatæ ingrediantur; sicque cordis intima adeò salutaris doctrina penetret; indue Domine tui amoris igne hos characteres, ut ad oculos ardorem ferant, quo cor transfixum tuo amore ardeat, tuæquè infinitæ bonitatis dulcedine animam capiendo ad vivum desiderium pijssimas tuas lacrymas abstergendi deferat.

21. Hæc omnia motiva relata nostram tepiditatem convincere deberent eandem obligando ad diligens studium salutis animarum, quæ tam dolorosis eventibus subjectæ sine opportunis remedijs cernuntur; & si supradictæ rationes desidiam nostram non excitant, stimuletur hæc à timore gravi, cui est obnoxius, quicúmque perditionis animarum est causa: *Duplici contritione contere eos*, ait noster Propheta; & Glossa interlinealis addit: *Duplici contritione, id est, gladio, & fame, animæ, & corporis.* Et quis hic erit, ad quem hæc duplex pœna dirigitur? Confessarius dicit S. Laurentius Justinianus, cujus culpâ animæ naufragantur: *Duplici contritione atteritur Pastor, duplicisque judicij efficitur reus: sui videlicèt, & ovium perditione, præsertim earum, quæ ex ipsius convincuntur perijsse incuriâ*; geminatum erit ejus supplicium, quia duarum causarum reatus ipsi imputabitur, nempe perditionis animæ ex ipsius incuriâ perditæ, & peccati reprehensibilis suæ omissionis, eodem enim tempore reum, & complicem utriúsque se constituit,

Hierem. cap. 17. v. 8.

D. Laurent. Just. lib. de Instit. & reg. Præl. c. 5.

uti

uti ponderat eruditus Cornelius ſuper illa verba Apoſtoli: *Neque cõmunicaveritis peccatis alienis*; quæ vir doctiſſimus ſic exponit: *Confeſſarij enim, qui peccatoribus, v. g. concubinarijs, uſurarijs, ſimoniacis, confitentibus non ſatis contritis, aut non habentibus propoſitum efficax emendandi ſe, aut nolentibus reſtituere per ſimoniam, uſuram, & alia injuſtè acquiſita, eos abſolvunt; omnibus eorum peccatis communicant, eaque in ſe tranſcribunt, omniumque rei fiunt, ac pro eis pœnas dabunt.* Eadem pœna, quam pœnitus promeretur, refunditur in Confeſſarium, qui opportuno remedio eum non adjuvat ſolvendo à peccatis; ac horum peccatorum non reparatorum, nec non omiſſionis, & commiſſionis tanquàm cauſarum, quòd non fuerint reparata, ſtrictiſſimam rationem reddere tenebitur Confeſſarius, qui pœnâ quoque condigna mulctabitur. In hoc caſu ponderanda eſt pariter ſententia à Rege David fulminata in illius raptæ oviculæ parabola, à Nathan Propheta ipſi propoſita: vivit DEUS, dixit David, dignus eſt morte, quicumque hoc fecit: jubeo, & decerno, ut quadrupliciter ſolvat: *Vivit Dominus, quia filius mortis eſt vir, qui fecit hoc: ovem reddet in quadruplum*: Ovis hæc eſt anima, qui unam perdit, in quadruplum ſolvere tenetur; & qui plures perdit, ait Elias Cretenſis, quam pœnam promeretur? *Cui tandem ſupplicio obnoxius eſt, qui multis fortaſſe animabus ob culpam ſuam, & ſegnitiem exitij cauſam præbuit*: adæquatum ſupplicium videtur non inveniri pro impio delicto, quale eſt, eſſe cauſam perditionis unius aut plurium animarum, pro quibus Redemptor noſter tanta perpeſſus eſt. Certiſſimum eſt, quòd DEUS ſtrictiſſimam petet rationem, non tantùm peccatorum commiſſionis, ſed etiam omiſſionis, & quòd in hoc genere culpæ ante divinos ejus oculos magni ponderis erunt negligentiæ in cura ſpiritualis animarum ſalutis; prout ſententiosè docuit Magnus Eccleſiæ Pater Hieronymus. *Neque enim* (inquit eximius Doctor) *Solum pro noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omnium, quorum abutimur donis, & nequaquàm ſumus de eorum ſalute ſoliciti*: notanda, & digna reflexione ſunt poſtrema hæc verba: *nequaquàm ſumus de eorum ſalute ſoliciti*: perpendantur ſeriò, dum tranſeo ad confirmandam doctrinam ſequenti caſu à Cæſareo, & Patre Alphonſo de Herrera relato.

1. *ad Th. c. 5. v. 22. Corn. ibid.*

2. *Reg. c. 12. v. 5. c. 6. Elias Cret. orat. 1.*

D. Hieron. ad cap. 44. Ezeh. v. 10.

Cæſareus. Herrera.

22. Fuit

22. Fuit, inquiunt, vir usurarius, qui avaritiâ fervens, non in Cœlestibus & Spiritualibus, sed in terrenis, & mundanis congregandis thesauris omnem suam curam & solicitudinem posuit, haud cogitans, hujus mundi bona transitoria esse, & Sola cœlestia permanentia: multò minus, an licita essent media ad suorum thesaurorum augmentum adhibita; cùm enim cupiditas sit radix productiva ramorum omnium malorum juxta sacram Apostoli phrasim: *Radix omnium malorum cupiditas*; necessariò sequitur, quòd hac pessima arbore in terra cordis plantata plurimi exinde oriantur rami, qui animæ facultatibus dominentur: Viri hujus contractus iniqui erant, hominem se esse non meminerat; pro ipso excitando ab hac sui ipsius oblivione gravis percussit infirmitas, annuntians mortem adesse, suorum corruptibilium thesaurorum eum exspoliare paratam. Verissimum est illud experientia comprobatum adagium, mortem esse æquò univoce correspondens vocibus vitæ: *Qualis vita, finis ita*: atque hæc antiqua sententia novum pro sua authentica testimonium habuit perversi hujus Christiani infaustâ sorte. Ingravescente infirmitate cum mortalibus accidentibus appropinquavit tempus ultimam suam declarandi voluntatem; & vocato Notario ipsemet ægrotus eandem hoc terribili, & formidabili stylo ennuntiavit. Inprimis animam meam Dœmonibus commendo, quatenus eam ad infernales carceres deferant, ubi æternis tormentis patrata delicta luat; Scandalizatus, ac perteritus Notarius replicavit: quid nam dicis? es ne stultus? forsitan te DEUS à sua misericordia rejecit? anima commendari debet Domino, qui eam creavit, subjunxit infirmus, nec verbum proferas, sed quod de ore meo prodibit *ad litteram* scribe, cùm hæc sint justa judicia severitatis, & æquitatis Supremi Judicis. Item præcipio, ut mea uxor mecum ad infernum portetur, siquidem me de meis pessimis contractibus nec admonuit, nec reprehendit, quin imò gaudebat de conquisitis lucris, quia suis vanitatibus ac profanis ornatibus commodè inserviebant. Item præcipio, ut filij mei mecum veniant, cùm iniquis mercaturis mihi socij fuerint, ad hoc ut capitale augeretur, ac pinguiori fruerentur hæreditate. Item præcipio, ut meus Confessarius (audiant, & perpendant negligentes) sepultus sit in inferno, & ijsdem, ac ego, puniatur pœnis, cùm me non debitè dispositum à peccatis

1. *Tim.* 6. 6. *v.* 10.

peccatis absolverit, nè à mea amicitia excideret, & munera à me oblata amitteret: hac ipsamet forma inscriptum, & conclusum est testamentum, quo facto justo DEI judicio comparverunt Dœmones, qui rapientes usurarium, uxorem, filios, & Confessarium omnes simul colligatos ad infernum duxerunt. O utinam iste confessarius unicus esset, qui propter incuriam in suo Ministerio damnaretur! Tu, qui hunc funestum casum legisti, expavesce, nè quid simile tibi contingat.

23. Hæc supplicia, quæ debent culpabiles terrefacere, eodem pariter tempore spem diligentium animare valent. Clementissimus noster DEUS magis ad prœmiandum, quàm puniendum pronus est; Si ejus severitas contra tepidos minas jactat, ejus bonitas sedulos confortat, & invitat. Maximum ejus amor reservavit prœmiũ pro illis Sacerdotibus, qui bonum proximorum Zelantes eorumdem animarum saluti strenuò invigilant. Fulgebunt, inquit Daniel Propheta, tanquàm lucidissimæ stellæ in Empyreo per totam æternitatem, omnes qui viam justitiæ, & virtutis docent. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*: Floridam, & pretiosam coronam nec tempori, nec gelu subjectam Remunerator Supremus præparavit âd cingenda illorum tempora, qui fervidi pascunt ovile Christi summi Pastoris: Id affirmat Caput Collegij Apostolici Petrus: *Pascite, qui in vobis est, gregem DEI - - - & cùm apparverit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Ingens est DEI amor erga animas suas, ut has erudiret, de Cœlis in terram descendit, ruvido naturæ nostræ sacco se induens; nè perderentur, laboravit, sustinuit, sudavit, mortuus est. Ex quo arguitur valdè sibi complacere in ijs, qui suis votis cooperantur, in animas perditas, vel perdendas lucrifaciendo. Quàm magna esset obligatio unius Parentis summoperè proprio filio affecti erga eum, qui inter Barbaros captivum eundem redimeret, & insuper suâ operâ, & applicatione Regnum, aut Principatum ipsi obtineret. Pater Cœlestis intensè diligit animas, quarum plurimæ captivæ inveniuntur inter tyrannicas peccati catenas, si Confessarius à jugo tam miserando eas liberat, ac in statum gloriæ coronam, & Regnum consequendi constituit, adeò utile exercitium, ac pia occupatio non nisi accepta ipsi esse potest.

Daniel cap. 12. v. 3.

1. Petri c. 5. v. 2. c. 4.

24. Valde notandum est, quòd in die Judicij à Christo Domino nostro in suo Evangelio proposita aliorum bonorum operum pro justis præmiandis non fiat mentio, quàm operum pietatis: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: Sitivi, & dedistis mihi bibere, &c.* Et ratio est; quia cùm noster Clementissimus DEUS principaliter suam infinitam misericordiam exercere intendat, consequenter de similibus operibus tanquàm suo fini conformibus præcipuè est solicitus: eleemosyna, quæ ad subveniendum temporalibus necessitatibus proximi ordinatur, est Divinæ Majestati valdè grata; sed absque comparatione gratior est illa, quæ ad Spiritualium indigentiarum remedium tendit; tantaque est unius ab altera distantia, quanta est demissio rerum temporalium ad altitudinem rerum Spiritualium, & quanta est differentia inter corruptibile corpus, & animam rationalem, tanto æstimabilior est eleemosyna, quâ panis doctrinæ spiritui esurienti subministratur, quàm illa, quæ ad alendam carnem, quæ est cibus vermium, dirigitur. Sequens casus erit pro doctrina hac testis exceptione major.

Matth. c. 35. v. 35.

Saxon. in vit. Erem. nat. Relig.

25. Narrat P. Fr. Joannes de Saxonia, egregium fuisse Confessarium, qui licèt aliquibus defectibus implicatus esset (noxa humanæ conditionis propria, quod in hoc periculoso stadio nec strenuus quidem miles ab aliquo vulnere sit immunis) talis tamen erat ipsius Zelus in animabus curandis, ut summa delectatione laboriosum, & fructuosum Confessionarij Ministerium perageret, in quo omni vigili attentione se gerens à tyrrannica Dœmonis captivitate fideles liberare conabatur; & ut hoc suum exercitium ab humanis respectibus magis depuratum esset, nevè bonus ejus Zelus adhærentiæ pulvere coinquinaretur, pauperum confessiones diligenter excipiebat, à quibus majus præmium in terra, quam multiplicationem laboris sperare nequibat. E vita migravit hic pius Confessarius, & DEUS ad nostram doctrinam salvum factum ostendit mediante promptitudine, & fervore in exaudiendis Confessionibus, aliàs damnandum, si pro tam sibi grato servitio misericordiâ motus non fuisset. Casus iste, alijque similes debent, ô devote Confessari, tua extendere desideria, nè te à succurrendis tuis proximis subtrahas; quando enim ad lapsus sublevandos manum porrigis, ut tu stes, DEUS ad te suam extendit;

Fidelis

Fidelis est Dominus, inimicis suis gratias & favores largitur; quanto magis benedictionibus replebit illum, qui sibi per peccatum inimicos, reddet amicos.

26. Alias excusationes non invenio se eximendi ab hoc Sancto exercitio, ad quod nos incitare debet tot animarum cura destitutarum commiseratio, Sanctæ Matris Ecclesiæ planctus propter tot filios perditos; & potissimum lacrymæ, Sanguinisque rivi dulcissimi nostri Salvatoris. Per has ergo pretiosissimas, & per hunc inæstimabilem sui Sanguinis thesaurum demississimè rogo: genuflexus obsecro: quantum scio: quantum possum: hortor, & suadeo: ac omnibus possibilibus medijs consequi desidero, ut Venerabiles Patres Sacerdotes, Ministri Altissimi, Servi ejus domestici, ejúsque militiæ Capitanei se excitent, consecrent, incumbant tot animarum remedio, tot infirmitatum curæ: necessitas animarum clamat: esures fideles panem petunt: siti exhausti Christiani aquam salutis efflagitant; non negetur eis. In Sancto Pœnitentiæ Sacramento pro tanta infirmitate Christus medicinam deposuit, pro tanto morbo salutem, pro tanta fame alimentum, pro tanta siti aquam, Zelus noster hanc distribuat, solicitudo nostra hanc exponat, charitas nostra hanc impertiatur; his indigentium clamores cessabunt: plurima damna evitabuntur, & eradicatis spinis militantem nostram Jerusalem occupantibus, hortulus iste virtutum floribus triumphantem Jerusalem ornantibus replebitur, qui in terra multiplicati æternæ gloriæ fructus in Cœlo promittunt, Amen.

PRÆAMBULUM

Pro Intelligentia modi practicandi HUNC DIALOGUM.

TRia principalia sunt Confessarij munera : Primum est Judicis; Secundum Magistri ; Tertium Medici : quo ad primum Judicis, quod exercere tenetur circa quodcúmque peccatum à Pœnitente depositum.

Primò. Ferre debet judicium, an peccatum sit mortale, vel veniale, & lepram à lepra distinguere ; advertendo ad materiam, an sit levis, vel gravis, interrogando utrum actio cum plena advertentia, ac deliberatione facta fuerit, quòd necessario requiritur, ad hoc ut culpa sit mortalis, juxta illud commune Theologorum prolatum : *Non est peccatum, nisi voluntarium*, & per extensum docet Tho. Sanchez in Sum. lib. 1. in documentis, & generalibus Principijs. *Cap.* 1. *&* 2. *& seq.*

Secundò debet à Pœnitente exquirere circumstantias speciem mutantes : v. g. Si peccatum est furti : an fuerit factum in loco sacro, vel rei Sacræ ; Si contra sextum Præceptum : an peccaverit cum persona libera, conjugata, &c. de quo DD. in materia de Pœnitentia tractant, & eruditissimè de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 4. 5. *&* 6.

Tertio in quacúmque peccatorum specie interrogare debet Pœnitentem de eorum numero ; & quando is præcisè non recordatur, ut insinuet tempus continuationis in peccato, idémque committendi frequentiam ; juxta dicenda *in tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 10.

Quartò interrogare debet Pœnitentem, utrum actio, vel cogitatio, de qua se accusat, fuerit in sua opinione mortaliter peccaminosa, vel non; quia, ut omnes Theologi docent, in materia conscientiæ actiones humanæ in tantum sunt peccaminosæ, in quantum procedunt à conscientia tales judicante : hæc interrogatio tamen non est necessaria, quando materia per se ipsam est nota : v. g. in fornicatione, furto, homicidio &c. Benè verò, quando materia est obscura, & Confessarius sufficiens habet funda-

fundamentum dubitandi, quòd ignorantia, aut inadvertentia possit excusare, aut aggravare malitiam actionis: v. g. maledictionum materialium, juramentorum cum veritate, & justitia, murmurationum de rebus levibus, vel publicis, desiderij rei alienæ sine intentione damnificandi proximum, furtorum rerum minimarum, & similium materiarum, quæ cùm sint venialia peccata sæpius erroneo judicio solent judicari mortalia; è contra alia, quæ ex sua natura sunt mortalia, aliqui erroneè existimant esse solùm venialia: v. g. cogitationes inhonestæ voluntariè admissæ, delectationes morosæ, amplexus, oscula, tactus impudici; & subinde ipsasmet mollities voluntarias plures ignorantes putant non esse peccata mortalia, adeóque pro his in similibus materijs hæc interrogatio quadrat: Verum tamen est, differentiam esse faciendam inter Pœnitentem, & Pœnitentem; aliqui enim sunt bene instructi, & optimè noscunt. quodnam sit, vel non sit peccatum; cum his superflua est similis interrogatio, nisi in aliqua materia obstrusa, & extraordinaria; quando probabiliter de eorum incapacitate dubitari potest. Alij autem sunt rudes, stupidi, & tardi ingenij, hi in prædictis materijs sunt interrogandi, quo conscientiæ dictamine operati fuerint, & an se peccaturos putaverint, vel non.

Quinto: quando actiones aliquis motus irascibilis prævenit: v. g. maledictiones, contumeliæ, dissensiones, aversiones, rancores, interrogandum est, utrum has elicuerint cum plena advertentia malitiæ, quam secum ferunt; quia deficiente hac advertentia nequit esse culpa mortalis, prout docent Theologi in Tractatu *de actibus humanis*, *ubi de voluntario*. Cum Tho. Sanchez, *ubi supra*; & ad ferendum judicium, an in illis actionibus intervenerit gravis culpa, vel non, poterit Confessarius se dirigere juxta modum dicendum *in Tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 32. *& seq.* Nec debet angi Confessarius ex eo, quòd circa aliquod peccatum non possit determinatum formare judicium, an sit mortale, vel veniale; in hoc casu, si post factas debitas, ac necessarias interrogationes neqneat se ad alterutrum resolvere, tanquam de peccato dubio ferat judicium. Hæc eadem difficultas occurret, quando aliquis se accusabit de cogitationibus, cum dubio, an consenserit, vel non, in hoc teneat modum adductum *in Tract* 6. *cap.* 9. *num.* 153. *& seq.* Genericè loquendo, ad pœnitentem lethalis culpæ condemnandum in materia gravi sufficit illa deformitas, & turpitudo, quæ ipsi obiecta fuit in actu peccandi, quamvis expressè non sciret, an esset peccatum mortale, ita docet Vasquez 1. 2. *Q.* 19. *art.* 6. *disp.* 56. *cap.* 3. *num.* 10. Sanchez *l.* 1. *in Decalog. cap.* 11. *num.* 7. Idem dicendum de circumstantijs speciem mutantibus; v. g. in adulterio, ut Poenitens pro

adultero condemnetur, sufficit, quòd hic gravius quid putaverit esse, peccare cum conjugata, quàm cum libera; quamvis expressè nesciret illud peccatum nomen adulterij præseferre, & sic de alijs circumstantijs speciem mutantibus discurrendum.

Sexto: Ad munus pariter Confessarij tanquàm Judicis pertinet, obligare poenitentem ad restitutionem famæ, honoris, & rei alienæ, quotiescumque in hoc genere damnum proximo intulit, & quidem immediatè audito furto, ad finem confessionis non differendo, facillimum est enim obliviscei, & propter hoc periculum oblivionis, si necessaria est alicujus voti dispensatio, vel commutatio, aut opportuna aliqua admonitio, quam primum res audita hoc requirit, debet exequi.

7. Velut Magister tenetur Confessarius Pœnitentem ignorantem edocere, quodnam sit peccatum mortale, vel veniale; quomodo debeat conscientiam suam examinare, aliavè omnia ad bonam Confessionem requisita: ad Magistri pariter officium spectat interrogare Pœnitentem, ac interrogationibus eidem peccata, in quæ potuit labi, suggerere, quod multum juvat Pœnitentem ad sua aperienda peccata. Christus Dominus noster, quando in templo Doctorem, seu Magistrum egit, Sanctus Lucas 2. testatur fuisse audientem, & interrogantem, *audientem illos, & interrogantem eos*: ita pariter se gerat Confessarius, audiat, & interroget, nec observet quodam Socraticum silentium, quo ut plurimum timidi Pœnitentes terrefiunt.

8. Velut Medicus debet Confessarius medicinas salutares, ac morbi Pœnitentis proportionatas applicare; & hæ assignantur *in Tract. 9. cap. 3. num. 26. & seq.* Debet pariter eidem dulciter, suaviter, non asperè suorum peccatorum turpitudinem repræsentare, solidisque rationibus ad eorum detestationem commovere, quæ pro majori commoditate in fine Præceptorum patebunt *cap. 1. tract. 9. num. 2. & seq.* Sic etiam in fine cujusli bet Præcepti brevis aliqua exhortatio fieri poterit cum narratione alicujus casus, ut melius cujuscumque culpæ turpitudinem noscere queat.

9. Cautè tamen in hoc procedere debet Confessarius, nec ad has se extendere, antequàm Pœnitens suam persolverit confessionem, etenim, si pol quamlibet accusatione multiplicet reprehensiones, contingere potest, quò Pœnitens obliviscatur, vel terreatur, vel ipsius libertas omnia ennarrandi minuatur. DEUS nomine canum suos Ministros appellavit: *Psal. 67. linguæ canum tuorum*; ubi advertit S. Augustinus, non dentes, sed linguam laudâsse: *nec eorum dentes, sed lingua laudata est*: lingua canis suavis, & efficax est pro sanandis plagis; lingua Confessarij consimilis esse debet: Non dentes immediatè ostendat Pœnitenti, sed patienter integram ejus confessio-

nem

nem prius exaudiat, & postmodum auditâ seriè hortetur, & quasi manu ducat ad suarum culparum contritionem, quæ si sunt juramenta, imprecationes, cum dicendis in fine secundi Præcepti: Si odia, ut in fine quinti, & sic respectivè de omnibus alijs; universaliter loquendo ad cujuscúmque speciei peccati gravis abominationem excitandam utatur doctrinâ positâ in fine omnium Præceptorum. *Tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 1. Velut Medicus debet quoque interrogare, an peccatum sit reincidentiæ, & habitûs, quando materia fundumentum præbebit; & *cap.* 3. *tract.* 9. erit sermo de materijs, in quibus hæ species peccatorum occurrere solent: debet etiam in sexto Præcepto interrogare Pœnitentem, utrum fortè in occasione proxima sit constitutus, & pro tunc differre, aut negare absolutionem in casibus assignandis in Explicatione Propositionum. 60. 61. & 63.

10. Quando Confessarius Pœnitentem absolutionis esse incapacem judicat, nec posse eum absolvere quam primum advertit, debet ipsum de hoc admonere, nec confessionem prosequi permittat; cùm ad cætera ejus peccata audienda jus non habeat: frequenter tamen accidit, quòd Confessarius admonere teneatur Pœnitentem de perverso habitu, & quòd deinceps sine emendatione deneganda ipsi erit, tanquàm incapaci, absolutio: In hoc casu, si probabiliter opinatur, quòd possit absolvi, tantùm permittat, ut prosequatur suam confessionem, & in fine de pessimo suo statu certiorem reddat, juxta modum *in Tract.* 9. *cap.* 1. in decursu autem confessionis absolutè non proferat aliquid, per quod significetur, esse incapacem absolutionis; aliás eveniet, quòd timens ejusdem negationem subticeat aliquod peccatum: finita ergo confessione prædictam solùm exhortationem adjiciat, admonendo ipsum, quòd absolutio non propter commissa peccata differatur, aut negetur, sed tantum propter habitum contractum, quia evidenter indicat defectum doloris, aut propter occasionem proximam, quæ nisi deseratur, absolutionis incapacem reddit Poenitentem.

11. Modus autem, quo Confessarius debet à Pœnitente exquirere suorum peccatorum numerum, patebit *in tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 3. *& seq.* ubi per extensum poterit videri praxis examinandi peccatorem pessimæ vitæ diu addictum; & licet hic modus in uno tantum genere peccati practicetur, sufficienter tamen, dummodò benè percipiatur, pro omni vitiorum genere inservit, cùm sit idem modus interrogandi, & solùm materiæ, de quibus fit interrogatio, differant.

12. Quo ad peccata consuetudinis, seu habitûs necesse est summam signare ignorantiam (ne dicere velimus potius errorem, aut inadvertentiam)

tiam) & hæc est, quòd inattentis circumstantijs, propter quas solùm absolvi posset consuetudinarius, aut malè habituatus, non obstante Decreto Innocentij XI. posito in tractatu 11. ubi explicatur Propositio 60. damnata, aliqui plures ex similibus absolvunt, dicendo, quòd prima vice ad eorum pedes compareant, & consequenter nesciant, an peccata confessa procedant ex habitu, vel non: his dico, quod, hoc concesso, & posito aliunde probabili dubio, debeant interrogare Pœnitentem, an non nunquàm antecedenter se accusaverit de hac specie peccatorum; & sic se gerant in omnibus materijs, in quibus ordinariè intercedit habitus, ut videre est *in tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 27. postmodùm habitâ verâ notitiâ peccatorum ex habitu, seu consuetudine negare ipsi absolutionem; illicò enim cum nosco Pœnitentem esse habituatum, nequeo ipsum absolvere, quamvis prima vice ad me accedat, cùm per hanc circumstantiam non desinat esse, qui est; alias sequeretur, quòd hic malitiosè mutando Confessarium posset à quolibet absolvi, quia prima vice, exauditur, quod est falsum, unde, si non absolvuntur consuetudinarij, ratio est, quia modica eorum emendatio veri doloris, ac propositi carentiam arguit: atqui hoc idem verificatur in nostro casu! ergo non ex hoc, quòd prima vice contreatur, potest habituatus absolvi; nisi aliqua ex illis circumstantijs loco citato positis concurrat.

13. Confessarius pariter advertere debet, quòd ex triplici capite non excusari possit à peccato mortali: primo ex parte intellectus, quando non committitur cum plena advertentia: secundo ex parte voluntatis, quando non habetur perfectus consensus: tertio ex parte materiæ, quando haec est levis; ita ut ad peccatum mortale necessarium sit, omnia hæc tria concurrere, plenam advertentiam, plenum consensum, & gravem materiam ut ex professo habetur in prima parte mearum Conferentiarum moralium *tract.* 2. *sect.* 4. *Conf.* 1. §. 2. *num.* 9. *& seq.* Subinde etiam peccatum ex sua natura veniale potest fieri mortale ex quinque capitibus: primo ratione ultimi finis: secundo ratione finis adjuncti: tertio ratione scandali: quarto ratione contemptus: quinto ratione periculi: quod etiam explicatur loco citato *Conf.* 2. §. 1. *num.* 4. *& seq.* Mortale quoque potest fieri veniale, & è contra ex conscientia erronea, qua operans putat mortale, veniale, & è contra: ut fusè declaratur in Conferentijs *tract.* 1. *Conf.* 1. *n.* 9. *& seq.*

14. Solicitus sit Confessarius in examinando, ut jam dixi, Pœnitentem de aliquibus speciebus peccatorum, & an hæc sint reincidentiæ, vel habitus, ad formandum deinde judicium, utrum sit incapax absolutionis juxta Propositionem 60. damnatam ab Innocentia XI. cujus explicatio habetur

prin

prima hac parte *tract. 9. cap. 3. num. 27.* & advertendum est in quod nam vitium soleat frequenter labi; hæc inquisitio poterit fieri circa recitationem divini officij, de quo agitur in hoc libro *tract. 12. cap. 3. & tract. 13. cap. 2.* Circa omissionem Prædicationis Evangelicæ, & doctrinæ Christianæ, ad quod tenentur Parochi, *tract. 14. cap. 4. & 6.* circa transgressionem Religiosorum quoad eorum vota, *tract. 15.* Circa omissionem Judicum, & circa peccata, quæ alij officiales committunt in suo ministerio *tract. 16.* pariter si peccata dependeant ab aliqua proxima occasione, interrogandum est modo assignato *tract. 12.* Hujus libri *cap. 1. num. 11. & seq.* Pro notitia, an debeat negari absolutio, & regulâ in prima parte *tract. 10. num. 231. & seq. & in 2. part. tract. 17. num. 267.*

15. In secunda parte hujus libri tracto de obligationibus, tam generalibus, quàm particularibus, quas habent respectu suorum officiorum, Sacerdos, Parochus, Religiosus, Monialis, Judex, Advocatus, Secretarius, Testis, omnésque alij Ministri; ut Confessarius his imbutus prædictorum defectus, & omissiones noscere valeat. Dantur aliqui Pœnitentes, qui confitentur tantum peccata patrata contra DEI, & Ecclesiæ Præcepta, nullam facientes mentionem de omissionibus, & commissionibus habitis in proprijs ministerijs; vel ad summum genericè se accusant dicendo, me accuso de defectibus commissis in meo statu, officio, absque specificatione alicujus rei in particulari; cùm tamen certissimum sit, eos aliquando gravissimis omissionibus, & turpissimis commissionibus in ipsorum ministerio gravari: Et hoc fuit motivum editionis secundæ partis hujus praxis, in qua subijcio oculis PP. Confessariorum obligationes personarum publicarum, quo ad particularem earum statum adhoc ut his benè instructi de specialibus earum culpis interrogare eas possint. In eadem secunda parte omitto obligationes Mariti erga uxorem, sic etiam Filiorum, & Parentum, Tutorum, Dominorum, & servorum, cùm de his omnibus in prima parte agendo de 10. Præceptis disserverim.

16. In fine cujuslibet tractatus, tam in prima, quàm in secunda parte, apponetur exhortatio congrua pro suadendo Pœnitenti adimpletionem obligationum sui status, ac vitæ emendationem; & quamvis pluribus non desint verba, & rationes pro dictis exhortationibus, pro alijs tamen, qui hac facilitate non pollent, superfluæ non erunt; videbitur fortè aliquibus personas Ecclesiasticas, & Religiosas non indigere similibus exhortationibus, cùm propriæ obligationis conscijæ supponantur; nihilominus prudens Confessarius cum omnibus, & quolibet in particulari ita se gerat, licèt enim eandem sciant, si non adimplent, corrigi debent, & quia

tanquàm rei ad Tribunal accedunt, velut rei corripiendi sunt; insuper cùm Confessarius gerat vices, & tanquàm Christi substitutus loquatur, hocque Pœnitenti doctiori sit notum, libentius audiet Verbum Domini, quàm ignorantes, & indocti, qui eminentiam Personæ à Confessario repræsentatæ non concipiunt: Lector etiam per dictas exhortationes, velut per digressiones, & novas doctrinas à tædio alleviabitur.

17. Ne Pœnitens obliviscatur culparum contra particularis sui status obligationes, vel Confessarius de eisdem interrogare, adverto, quòd Sacerdotes in tertio præcepto possint se accusare, de defectibus commissis in recitando divino officio, & Missa celebranda; Parochi in quarto, de omissionibus in eorum Ministerio, in administrando Sacramenta, concionando &c. Ministri Tribunalium in quarto, & octavo; Testes agentes in secundo; & alij Ministri in quarto; sicque decem Præcepta percurrendo confessionis processus concludetur absque periculo, quòd obligationes propriæ generales, aut particulares sine examine transmittantur.

18. Modum, quo Confessarius debet se gerere in confessionali, per extensum Theologi Morales tradunt; breviter dicam omnium primò, peti debere à DEO per intercessionem suæ purissimæ Matris MARIÆ Dominæ nostræ Sanctissimæ lumen pro sua obligatione adimplenda, & animabus ad veram viam salutis dirigendis. Angulos, & loca remota, quæ suspecta habentur, fugiat, sed in loco decenti, & aperto confessiones excipiat, nunquàm verò in domibus, aut cubiculis privatis absque urgenti necessitate: oculis ad terram fixis, à vultu Pœnitentis prospiciendo, ejusque qualitate, patria, nomine indagando caveat; imò posità ejusdem notitiâ gerat se, ac si non nosceret: non sine causa unum præ alio exaudiat: pro suo posse nimium circumstantium ad Confessionale accessum impediat propter periculum revelationis, & nè Pœnitens de hoc dubius aliquod peccatum occultet: non ducatur passione exaudiendi potius divites personas, quàm pauperes, fœminas, quàm viros, neque festinè procedat suggerendo Pœnitenti, ut se expediat; quia hic nec sua confessione contentus, Nec Confessarius cum hac festinatione solidum judicium statûs, & peccatorum ejusdem formare poterit: solicitus sit in inquirendo circumstantias necessarias, numerum, & species peccatorum: caveat tamen à quibusdam interrogationibus nimium curiosis, & impertinentibus, præcipuè in materia obscœna: torvum aspectum nunquàm ostendat Pœnitenti, nec asperè cum eo agat, reprehendendo ipsum ante persolutam confessionem, qua tamen completâ suaviter, & affectuosè ad emendationem

tionem hortetur, validisque rationibus corrigat; nec audiendo, quòd Pœnitens per integrum annum confessus non fuerit, ad reprehensionem immediatè procedat, aut aliquid proferat, sed peracta confessione eidem objiciat, quàm difforme sit in uno Christiano, integrum sine confessione transigere annum; verum est quidem, ut dixi, dulciter, & suaviter debere se gerere cum pauperculis Pœnitentibus; cum mulieribus tamen, sicut à nimia severitate, & asperitate, ita ab excessiva benignitate, ac quasi blanditiè, in verbis Confessario cavendum est; hoc enim, & ipsas, & Confessarium in aliquo metuendo periculo constituere posset: cum his denique gravitas, sed suavis: suavitas, sed modesta practicanda est, ita ut gravitas sit accepta, & suavitas cauta: in pœnitentia imponenda non sit personarum acceptator: sit Judex justus, ejúsque justitia fundetur in processu delictorum, non in qualitate personæ, divitis, aut pauperis, nobilis, aut ignobilis. Cætera cujuscúmque prudentiæ, ac experientiæ meliori Doctori quolibet Magistræ remitto.

19. Unum ex præcipuis â P. P. Confessarijs observandis est vivere vitâ illibatâ in Sanctis moribus, & conversatione ædificativa; quandoquidem contrarium agentes, nec Deum lumine singulari veritatis ipsis assistentem experientur, nec penes proximum efficaciam aliquam eorum exhortationes obtinebunt, vitam relaxatam ducendo. Confessarius, qui bonam vitam non gerit, Dei inimicus erit, & Deum, qui fons est veritatis, inimicum habendo, eandem tanquàm potentia indignus non promerebitur. Lumen culparum qualitates penetrandi, prudentia conscientias dirigendi, discretio Poenitentibus salutaria consilia applicandi, & aliæ prærogativæ pro sublimi, ac laborioso Patris Spiritualis ministerio subeundo, dona sunt, quæ aliquo modo promereri debemus, & quia plurimi demerentur, ideo timendum, nè Deus ea deneget, vel suspendat. Proximus etjam, qui Confessarij actiones incorrectas cernit, quomodo ipsius documenta, doctrinam, consilia magni pendet? quo animo, ac genio ad ejus pedes procumbet? Si Ministro gratia deest, consequenter etjam charitas deerit, quæ ab eadem gratia aut non distinguitur, ut docet subtilis Doctor, aut si juxta D. Thomam distinguitur, indivisibilis tamen ejus socia est; deficiente autem charitate in Confessario certum est, quòd zelo opportuno confessionali non incumbet, ipsius consilia parum proderunt, inefficacia erunt ejus verba, modicum fructum ex animabus colliget, quinimò suo malo exemplo causam habebit ruinarum.

20. Multùm quoque interest, quòd Confessarius vitam ducat solitariam â mundo semotam, quia cum sæcularibus, præsertim Poenitentibus,

tibus, conversatio domestica, & frequens venerationem, æstimationemque minuit, & hâc diminutâ facilè est, deinde ipsius consilia parvi pendi; experientiâ enim mihi Magistra, propter Confessarij familiaritatem Pœnitentes integrè non confitentur, detenti pudore referandi suos defectus coram semper exposito proprijs oculis; & hac de causa plurimæ confessiones Sacrilegæ fiunt. Multo minus Confessarius à Pœnitentibus munera recipere debet; tum quia per hoc vilescit ejus conceptus, tum quia non ita liberè operari poterit, quasi muneribus alligatus: non rarò asperè cum Pœnitente absolutionis indigno agendum est, arduus est hic saltus, & cum Pœnitente etiam ignoto difficulter exhibitus, quomodò ergo cum offerente munera exhibebitur, tum denique, quia si Confessarius à Pœnitente pro suis laboribus mercedem accipit, dicet illi DEUS: *Recepisti mercedem tuam.*

21. Postremò PP. Confessarijs materiarum moralium, & casuum conscientiæ studium injungo, adeò ut (si possibile est) nulla dies transeat, in qua his aliqualiter non vacent: Theologiæ moralis cursus valdè prolixus est, & pro totaliter transmeando temporis jactura vitanda est, quin potius ejus momenta solicitè lucrifacienda: in prima parte mearum Conferentiarum moralium, & in Antiloquio partis secundæ §. 1. fusè probavi, quàm necessaria sit scientia, & studium in Confessario; ubi etiam expono damna ignorantiæ, & modum legendi, ac pervolvendi libros; ibique patebit, quantum interfit PP. Confessarijs, in oratione, & lectione librorum spiritualium esse exercitos: cùm enim plurimæ personæ virtuti, ac perfectioni addictæ ad eorum pedes compareant, pro secura earum directione rerum Spiritualium notitiam, & peritiam Confessarius necessariò habere debet.

DIA

DIALOGUS. INTER CONFESSARIUM, ET POENITENTEM.

Qui per decursum Confessionis comprehendit praxim selectiorem Theologiæ moralis, in qua Confessarius secundum Officium Judicis judicium fert de gravitate, specie, & numero peccatorum; Pœnitentique pœnitentiam satisfactoriam imponit; velut magister Pœnitentem instruit, ac ignorantiæ ejus tenebras tergit; & velut Medicus medicinas, & remedia opportuna juxta qualitates infirmitatis applicat; divisus per Præcepta Decalogi eâdem formâ, & methodo, quæ in Confessionali practicatur.

PARS PRIMA.

Ne scribam vanum, duc Pia Virgo manum.

Littera C. denotat Confessariũ, Littera P. Pœnitentem.

EXORDIUM, SEU PRINCIPIUM CONFESSIONIS.

Quamvis ordinariè, & absolutè non requiratur, quòd Pœnitens suæ ultimæ confessionis tempus Confessario aperiat (excepto, si confessionem obligatoriam de præcepto intermisisset) nec Confessarius teneatur eum de hoc interrogare; nihilominus, cùm Pœnitens sæpè determinatum numerum peccatorum ignoret, & solùm se accuset de vitio, & frequentia in labendo, idcirco pro tunc ad ferendum judicium saltem generale necessarium est scire tempus,

& distantiam unius confessionis ab altera; quare consultum est, ut Confessarius in principio imminentis exquirat tempus ultimæ confessionis modo, & forma sequenti.

1. C. Quantum temporis est, à quo V. D. ad confessionem non accessit?

P. P. R. sunt duo anni elapsi.

C. Dicat Fili, potuit ne intra hoc tempus confiteri?

P. P. R. primo anno ante quadragesimam ob certum negotium iter aggredi per mare debui, & postmodum nunquàm opportunam confitendi occasionem habui.

C. Poterat ne ante aggressum iter confiteri?

P. Ita P. R.

C. Licèt Joannes à Cruce, quem citat, & sequitur Diana, *part. 3. tract. 4. resol.* 69. doceat, quòd occurrente ante tempus obligationis præcepti impedimento impediente executionem illius suo tempore, non teneatur quis antecedenter eidem satisfacere; sententia tamen contraria vera est, eámque confirmant Sylvester, Hurtadus, Sotus, & alij citati à Facundez super Præcepta Ecclesiæ *lib. 1. cap. 4. n.* 16. & sic vi opinionis horum Doctorum debuisset V. D. ante aggressum iter confiteri, si præviderat hoc non posse peragere tempore debito, & annuæ confessioni satisfacere. Alia de causa etiam peccavit V. D. in hac omissione, nempe, quia quilibet tenetur sub præcepto confiteri in periculo mortis: sed iter facere per mare reputatur pro periculo mortis: ergo debuisset vi hujus præcepti confiteri.

C. Finita quadragesima, & tempore præfinito pro confessione habuitne V. D. opportunum confitendi tempus?

P. Ita P. R.

2. C. Ergo secundùm communem Doctorum opinionem tenebatur V. D. statim habita opportunitate confiteri. Ratio est; quia præceptum confessionis non terminatur in Paschate, ita nec communio, sed obligat semel in anno; & licèt Filiucius contrarium sentiat, dicendo, quòd, qui non potuit in quadragesima, sive in Paschate confiteri, postmodum non obligetur, quantumvis habeat copiam Confessarij; hujus opinionis pariter sunt S. Antoninus *part. 2. tit. 9. §. 3.* Sylvester *verb. Eucharistia. 3. q. 15.* Tabiena, Megala, Valentia, & alij, quos alijs omissis citat Diana. *p. 3. tract. 4. resol.* 130. Attamen sententia contraria est vera.

3. P. P. R. anno elapso commisi incestum cum unica, quam habui, consanguinea, & hæc in eodem loco mei domicilij habitabat; ut autem Confessarius in hujus cognitionem non veniret omisi confessionem.

C. Poterat ne V. D. adire alium locum, ibíque confiteri, ubi complex non cognoscebatur?

P. Ita P. R.

C. Est opinio probabilis, & communis contra communem, quòd quando aliquis confiteri nequit peccatum, vel circumstantias necessarias absque manifestatione complicis, licitum

citum sit reticere peccatum, vel circumstantias ejus. Ita docet Cajetanus *in Sum. verb. Confessio.* Canus, Navarrus, & alij, quos citat Caspensis *tract. 24. disp. 4. sect. 17. num* 153. verum tamen est, quòd, quando confessarius insçius complicis inveniri potest, confiteri teneatur, ut præceptum confessionis adimpleatur; ita Caspensis *loco cit. n.* 156. Choninch *disp. 7. dub. 9. n.* 88. Lugo *de Pœniten. disp. 16. sect. 7. n.* 392. Et licèt V. D. copiam Confessarij non potuerit habere, alia tamen peccata mortalia eidem confiteri tenebatur, circumstantiam incestûs omittendo. Ita Caspensis *ibid.* Quapropter V. D. non satisfecit his duobus annis Præcepto annuæ confessionis; adeóque per hoc graviter peccavit; malitia verò horum duorum peccatorum, licèt sit contra virtutem Religionis, non est tamen sacrilegium; quia *non fuit violatio rei sacræ.* Accusat ne pariter se non satisfeciſſe præcepto his duobus annis annuæ communionis, cùm sit distinctum peccatum etiam virtuti Religionis oppositum?

4. P. P. R. de omnibus me accuso, & non solùm de his, sed etiam, quòd in ultima confessione duorum peccatorum oblitus fuerim.

C. Venit ne in cognitionem horum peccatorum ante, vel post communionem?

P. P. R. unius fui recordatus ante, alterius post communionem.

C. Habuit ne V. D. tempus confitendi ante communionem hoc peccatum?

P. P. R. audiendo Sacrum fui recordatus, & licèt tempus confitendi habuerim, ob multitudinem tamen Populi in templo existentis non tentavi regredi ad confessionem.

C. Si V. D. recordata fuisset hujus peccati, quando jam in gradibus communionis flexit ad sumendam Eucharistiam, potuisset eam sumere ad evitandam notam, & postmodum illud confiteri; cùm autem tempus habuerit, peccavit mortaliter non confitendo, & hoc modo communicare sine prævia confessione est sacrilegium. Videatur Leander à SS. Sacramento *part. 2. tract. 7. disp. 7. q. 18. & 21.*

Aliud peccatum, cujus V. D. post comunionem recordabatur, in sequenti confessione confiteri tenebatur, secundùm comunem Theologorum docentium: quòd peccata indirectè remissa oblivionis causâ, in proxima confessione confiteri teneamur; & colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5. & can.* 8. Verum tamen est, quòd peccatum ex oblivione omissum confiteri illicò non tenebatur, imò poterat usque ad tempus obligationis præcepti confessionis differre. Ita affirmant Villalobos, Layman, Filiucius, & alij citati à Diana, quósque ipsemet sequitur *part. 3. tract. 4. resol.* 124. videatur 2. pars hujus praxis *tract. 17. n. 70. & seq.*

5. P. P. R. me accuso, quod in die Portiunculæ Confessarius me absolvere non potuerit, & ego absque ulteriori confessione Eucharistiam sumpserim.

C. Judicavit ne V. D. hoc sibi licere?

P. P. R. scivi, quòd non sit licitum, imò verè cognovi me per hoc graviter peccare.

C. Cogitavit ne cõmittere unum tantùm peccatum communicando in peccato mortali, an verò duo, ex eo, quòd sine confessione, & absolutione Eucharistiam sumpserit?

P. P. R. non multum cogitavi me peccaturum communicando in tali statu.

C. Non sunt duo peccata, sed tantùm unum sacrilegium communicando sine prævia confessione. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 35. Idem sentiendum est de communicante non absoluto à peccatis. Ratio est; quia, quando aliquod præceptum imponitur ratione alterius, violatio amborum præceptorum est tantùm unum peccatum: Sed sic est, quòd confessio propter communionem imponatur: ergo communio sine confessione, vel absolutione unicum tantùm erit peccatum. Oppositum contingit in eo, qui malè confitetur, & communicat, hic enim committit duo peccata violando duo præcepta, quorum unum ad alterum non ordinatur; unum enim præceptum est, ut confessio benè peragatur, & alterum est, ut sine peccato Panis Eucharisticus sumatur, & hæc duo præcepta sunt de Jure Divino, & sic duo peccata sacrilega committit.

6. C. Dicat mihi V. D., satisfecit ne Pœnitentiæ in ultima confessione ei impositæ?

P. P. R. Confessarius mihi imposuit quatuor jejunia, quæ necdum perfeci.

C. Potuit ne ea perficere?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne ipsi à Confessario determinatum tempus, intra quod hæc jejunia perficere debuisset.

P. P. R. Confessarius ad nihil aliud me obligavit, nisi ad quatuor jeiunia sine determinatione temporis.

C. Quando Confessarius tempus pro poenitentia persolvenda assignat, tenetur intra illud tempus adimplere, si potest; si autem tale tempus non assignat, tenetur satisfacere quam primum potest cum sua commoditate, & si per aliquod tempus illam adimplere differat, non peccat mortaliter, dummodò non sit per longum tempus. Ita docet Caspensis *tract.* 24. *disp.* 8. *sect.* 5. *n.* 24. & sic V. D. mortaliter peccavit, tanto tempore jejunia â Confessario imposita differendo, & hoc peccatum est contra virtutem Religionis; cùm satisfactio sit pars integralis Sacramenti Poenitentiæ.

7 C. Fecit ne V. D. examen suæ conscientiæ?

P. Ita P. R.

C. Quantum temporis in hoc examine consumpsit?

P. P. R. sunt iam duo, vel tres dies, quibus semper per aliquod tempus me ad hoc examen applicui.

C. Communiter loquendo necessarium est longius temporis spatium pro examinanda conscientia, quando confessio fit â longo tempore, & in hoc tenen da est regula secundùm capa-

capacitatem Poenitentis, negotia, officia, ministeria, quibus est intricatus, & secundùm distantiam temporis elapsi ab una confessione ad alteram: Pro personis omni Mense bis confessionē frequentantibus ad examinandam conscientiam duæ horæ sufficiunt; confessiones ab uno anno ad alterum indigent octo diebus, & plus secundùm personam magis, vel minus vitiosam. Modus autem examinandi conscientiam est, se reflectere supra 10. Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & quoties in hoc, vel alio Præcepto deliquit.

8. P. Ulterius P. R. me accuso, quòd in juventute mea sine examine conscientiæ confiteri solebam.

C. Opinabatur ne V. D. eam tunc temporis benè confessam fuisse non obstante examinis omissione?

P. Ita P. R.

C. Ergo non obligatur V. D. ad reiterandas illas confessiones; colligitur hoc ex doctrina Navarri, Sylvestri, Vasquez & aliorum apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 107. docentium, quòd, quando Poenitens cum errore vincibili, vel culpabili judicat aliquid non esse peccatum mortale, quod reverà est, & cum hoc errore illud confiteri prætermittit, non obligetur ad reiterandam confessionem; sed sufficiat, quòd se accuset de peccato, & culpa suæ ignorantiæ: ergo neque necessarium erit reiterare confessiones sine debito examine factas, quando putabat confessionem per hoc non invalidam, licèt talis omissio sit venialiter culpabilis: solùm necessarium erit, ut V. D. se accuset de omissione in examinanda sua conscientia: videatur 1. par. hnius praxis *tract.* 10. *de sent. damnat. Propos.* 1. *n.* 14. *ubi* de hoc fusius tractatur.

P. P. R. me accuso igitur de hac omissione.

C. In quot confessionibus hanc negligentiam habuit, omisitque examen?

P. P. R. in viginti, parùm plus, vel minùs.

9. C. Reticuit ne aliquando ob verecundiam aliquod peccatum in confessione?

P. P. R. quando perveniam ad sextum Præceptum dicam de hoc in particulari.

C. Non V. D. nunc est necessarium, ut dicat; quia, si aliquod peccatum malitiosè reticuit, fecit confessiones sacrilegas, adeóque tenetur nunc facere confessionem generalem ab illo tempore, quo tale peccatum omisit confiteri; & consequenter requiritur, ut nunc dicat, an aliquod peccatum ex malitia in confessione reticuerit; nec contristetur, aut timeat, recordetur, me esse hominem, sicut V. D., & quidquid mihi dixerit, non admirationem, sed miserationem pariet, imò ter capax ero de omnibus; sciat mi Fili, quòd, licèt peccata ipsius gravissima forent, ab ijs omnibus absolvendi authoritatem habeam, (suppositò, quòd Confessarius defacto ordinariam, vel delegatam potestatem habeat) absque obligatione petendi Romam, aut dem-

tiatione ad Sacram Inquisitionem: de omnibus mihi revelandis nullus mortalium quidquam sciet: quia confessario nihil prorsus ex auditis in confessione revelare licet, etiam cum vitæ periculo: animæquior sit, & dicat hilariter sine timore, quidquid ipsi occurrit; cùm nemo audiat, & simus soli: ex suorum peccatorum confessione eorumdem etiam remissionem à Deo impetrabit; secùs verò, condemnabitur ad infernum, quo Diabolus animam ipsius deferet, prout detulit plurimas alias peccata sua ex verecundia in confessione omittentes.

His, & similibus exhortationibus opus est, ut Confessarius in similibus casibus animet Pœnitentem ad sua peccata sincerè manifestanda.

10. P. P.R. me accuso, quòd in juventute mea cum puellis conversari solebam exercendo aliquas actiones indecentes.

C. Cujus ætatis erat V.D. illo tempore?

P. P.R. pro certo dicere non possũ.

C. Fortassis 7. vel 8. annorum parùm plus, vel minùs?

P. Ita probabiliter erit.

C. Quoties V. D. hoc patravit?

P. P.R. quatuor, vel quinque vicibus parùm plus vel minùs.

C. Videbantur ne ipsi pro tunc eæ actiones malæ, & deformes?

P. P.R. cùm essem teneræ ætatis, non multum cogitavi de malitia harum rerum, aliquam tamen turpitudinem in ijsdem deprehendi.

C. Quandocúmque pervenitur ad usum rationis, rarò contingit non adesse malitiam; quia etiam parvuli, dum similes actiones exercent, loca occulta quærunt, ne videantur, ex quo colligitur, quòd hæ actiones illis videantur rationi contrariæ, & hoc ad peccatum sufficit.

C. Recordabatur ne aliquando confiteri ista peccata?

P. P. R. nunquam mihi in mentem venit, nisi modò.

C. Cùm ergo V. D. nunquam horum peccatorum recordata fuerit, neque eorum omissio confessiones invalidas reddidit; adeóque sufficit, quòd nunc accuset se quatuor, vel quinque vicibus parùm plus, vel minùs actiones indecentes exercuisse.

11. C. Habet ne V. D. adhuc alia peccata, quæ nunquam confitebatur?

P. Ita P.R. cùm essem 13. annorum circiter ætatis meæ, dormivi cum mea sorrore ejusdem quasi ætatis, & semel habui cũ ea tactus inhonestos.

C. Hujus tactûs recordabatur ne, dum ad confessionem accessit?

P. Ita P.R.

C. Et quare illud in confessione omisit? forsàn ob verecundiam, vel, quia putabat, non esse peccatum?

P. P.R. illa ætate, qua hoc commisi, dixi intra me, forsàn non erit peccatum.

C. Nonne remansit in corde aliquis remorsus, & continuus conscientiæ stimulus se confessionem non benè peregisse?

P. Ita P.R. quia postmodum nunquam tranquillam habui conscientiam.

C. Si sic est, hoc sufficit, ut confessiones

siones factæ pro sacrilegis condemnentur; quia V. D. operabatur cum conscientia dubia, & quando Pœnitens scit, se comisisse peccatum, reticuit verò illud, & dubitat, an ob verecundiam, vel ob justam causam reticuerit, tenetur confessiones repetere; ut affirmat Moga *in select.* 71. *tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 8. § 3. *n.* 17. & Diana *p*, 10. *tract.* 14. *resol.* 17. Et Ratio est; quia, qui certus est de præcepto, dubitat verò, an satisfecerit, tenetur satisfacere. In hoc casu V. D. certò scit adesse præceptum confitendi peccatum comissum, dubitat verò, an satisfecerit: Ergo tenetur satisfacere

12. C. Dicat mihi, remorsus hic remanens in corde ob omissum hoc peccatum, vel fuit ex eo, quia putabat se malè agere reticendo illud, vel ex eo, quòd malitia peccati minor eidem videretur quàm in se fuerit, vel quia dubitavit, quod per hoc peccatum confessio facta mala fuerit?

P. P. R. meus remorsus ex dubio malæ confessionis proveniebat; & licèt intra me dicerem, qnòd, cùm commiserim hoc peccatum in puericia, fortè non obliger ad ejusdem confessionem; nihilominus maximas sensi angustias.

C. Quando Pœnitens scit, quòd reticendo peccatum in confessione malè operetur, & peccet, sed non putat esse mortale, nec confessionem esse invalidam, non tenetur confessionē repetere. Ita affirmat Possevinus citatus à Moga loco paulo ante citato §. 1. *n.* 1.

Pater Ludovicus à S. Joan. addit. *in Sum. ubi de Pœnit. n.* 52. quòd is, qui peccatum in confessione reticuit sciens per hoc se mortaliter peccare, non autem scit ex hinc confessionem fore invalidam, non obligetur ad reiterandam confessionem.

Neutra ex his opinionibus communiter probabilis est in praxi; & maximè secunda; quia etiam inter ignorantes magis idiotæ sciunt, in confessione omnia peccata esse manifestanda, & si hoc non adimplent, inquietam conscientiam reportant; ex quo arguitur, quòd practicè credant, non solùm se malè agere reticendo peccata, verùm & confessionem per hoc esse malam.

Nihilominus hæ duæ sententiæ pro scrupulosis sunt bonæ, in quibus ex auditu alicujus severæ concionis excitantur scrupuli, an hoc, vel illud peccatum fuerint confessi, nec ne; tales, licèt in aliquibus confessionibus omiserint id cum aliquo remorsu, non debent obligari ad repetendas confessiones.

13. C. Dicat mihi V.D., in quot confessonibus inter tot factas post hoc commissum peccatum fuit oblita, & confessa sine remorsu?

P. P. R. in octo confessionibus circiter non fui recordatus, eásque absque ullo remorsu peregi.

C. Sicut hæ octo confessiones fuerunt bonæ, ita non est necessarium eas reiterare, neque peccata in ijs revelata, cùm *confessiones semel validæ semper sint validæ*, sed tantùm remanet obligatio V. D., ut cæteras confessiones repetat, & nunc confiteatur earum

earum peccata, quasi nunquam confessa fuisset, cùm nullum eorum sit remissum.

14. P. P. R. haud potero distinguere, vel discernere, quæ nam peccata sim confessus in bonis confessionibus, & quæ in malis, ob longum tempus, quo hoc modo confiteri soleo,

C. Nihil refert, cùm sit opinio Bonacinæ apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 62. Busemb. Long. Pasqual. & aliorum, quos citat, & sequitur ipse Diana *part.* 11. *tract.* 6. *Miscell. resol.* 22 de Lugo *disp.* 16. *sect.* 2. *n.* 47. Leander à SS. *tract.* 5. *de Pœnit. disp.* 5. *q.* 23. Tamburin. Dicast. & alij quos citat, sed non sequitur Moga *in select. tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 3. §. 1. *n.* 2. qui docent, Pœnitentem non obligari ad confitendum peccatum taliter, ut Confessarius cognoscat, & judicet patratum esse post ultimam confessionem, imò posse confiteri in tali forma, ut Confessarius censeat esse peccatum vitæ præteritæ: v. g. is, qui generaliter confiteri intendit, & post ultimam confessionem nova peccata commisit, potest hæc cum alijs indistinctè confiteri non specificando, qualia jam fuerit confessus, & qualia non.

Et licèt hæc opinio non videatur mihi nimis secura, cùm per hanc aperiretur via relinquendi peccata impunita, & sine debita satisfactione, nec non decipiendi Confessarium; nihilominus in præsenti casu potest practicari, & sic licèt V. D. habeat aliqua peccata remissa ex confessionibus intermedijs benè factis, & alia ex malè factis, potest omnia peccata, quorum recordatur, indistinctè confiteri, cùm moraliter loquendo sit difficillimum, majori claritate, & distinctione procedere in simili casu.

15. C. Modò mihi V. D. dicat quantum temporis est, à quo cum sorore tactus inhonestos habuit?

P. P. R. quomodo possum scire tempus determinatum.

C. Non turbetur V. D. facile res accomodabitur: cujus ætatis est modò?

P. P. R. 42. annorum circiter.

C. Benè, cùm ergo V. D. 12. annos habuerit, quando in hoc peccatum cecidit, & nunc habeat 42. sunt 30. anni, à quo commisit hoc peccatum.

C. Quoties in anno solet V. D. confiteri?

P. In principio bis vel ter in anno confiteri solebam, postmodùm quater, & aliquando quinquies.

C. Recordatur ne V. D. temporis, quo binis, vel ternis vicibus confitebatur, & quo quater, vel quinquies?

P. P. R. mihi videtur, me primis viginti annis bis vel ter fuisse confessum, ultimis verò annis quater, vel quinquies.

C. Recordatur ne V. D an in primis viginti annis sit major numerus confessionum, quando bis, quàm quando ter confiteri solebat; & an in ultimis annis sit major numerus confessionum, quando quater, quàm quando quinquies confitebatur.

P. P. R. difficile est scitu.

C. Nihil refert; quiâ factâ aliquâ prudenti computatione, positis 50. con-

fessionibus in primis viginti annis, & in ultimis decem annis etiam 50. parùm plus, vel minus, quæ omnes simul sumptæ faciunt 100. confessiones circiter, sublatis nunc illis octo, quæ bonæ fuerunt; quia ex mera oblivione hoc peccatum omisit, confessiones malæ & sacrilegæ sunt 92. Accusat se ne de 92. sacrilegijs commissis in istis confessionibus, & 92. alijs sacrilegijs factis in communionibus, sumendo indignè Corpus Domini ob confessiones non ritè factas.

P. P. R. de omnibus his me accuso.

C. Illæ octo confessiones bonæ fuerunt ne factæ tempore Paschali.

P. P. R. intra duorum annorum spatium omnes 8. confessiones bonas peregi, nec fui recordatus illius peccati tempore Paschali.

C. Ergo cæteris annis non satisfecit V. D. mandato Ecclesiæ præcipientis confessionem, & communionem annuam, & consequenter quolibet ex his anno tempore Paschali commisit quatuor peccata mortalia, duo Sacrilegia ob confessionem, & communionem illicitam, duo alia peccata contra virtutem Religionis non adimplendo præceptum confessionis, & communionis; & sic se accusat, quòd per 28. annos non adimpleverit præceptum confessionis, & communionis.

P. R. P. de omnibus his me accuso.

17. C. Fuit ne V. D. aliquando hoc tempore infirma graviter, ita, ut ipsi imposita fuerit susceptio SS. Sacramentorum, vel fortè incidit in simile periculum mortis; quia in his eventibus est etiam præceptum confitendi, & communicandi, quòd si non adimpleatur, duo peccata mortalia comituntur contra hoc præceptum; qnamvis mihi suadeam, quòd gens vulgaris excusetur ab his peccatis, cùm cogitet, & credat satisfacere confitendo, & communicando, licèt malè, & indebitè.

P. P. R. per totum tempus, quo SS. Sacramenta suscepi, nunquam fui aggravatus infirmitate, aut in periculo aliquo mortis constitutus.

C. Percepit ne hoc tempore aliquod Sacramentum vivorum, ut confirmationem, Ordinem, Matrimonium, &c cùm hæc in peccato mortali recipere sit sacrilegium.

P. P. R. nullum horum percepi.

C. Si V. D. non habuisset occasionem mihi confitendi, nec ego eam interrogâssem, fuisset ne confessa, vel occultasset hoc peccatum?

P. Valde de hoc dubito; quia licet habuerim semper animum adeundi aliquod Monasterium ad liberandam conscientiam meam ab hoc peccato, credo tamen, quòd etiam in alijs confessionibus idem reticuissem.

C. Accusat se etiam de hac prava voluntate ulterius malè confitendi, & indignè communicandi.

P. Ita P. R. de omnibus me accuso.

18. C. Hic modus tenendus est à confessarijs in examinando Pœnitentes, qui ob verecundiam reticuerunt aliqua peccata; hócq; examen extendant per Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, interrogando de ijs, in quæ frequenter incidere so-

lent ejusmodi qualitatis, & conditionis personæ; nec debent turbari, quando aliquis ad eorum pedes procumbit, qui per multum tempus sacrilegè confessus fuit, multò minus eundem dimittere ad examinandam melius suam conscientiam, ut solent aliqui parùm phlegmatici; primò, quia pauci sunt, qui semel dimmissi de novo redeant; secundò, quia reticentes peccata, ut plurimum, sunt personæ hebetis ingenij; adeóque non sunt dimmittendi, quamvis compareant absque prævio sufficienti examine. Ita sentiunt P. Vasquez, & P. Granata citati à Diana *p.* 10. *tract. resol.* 31. Hurtadus *disp.* 10. *de Pœnit. cap.* 6. *fol.* 362. Imò debet Confessarius explere defectum examinis, interrogando eos de singulis, in quibus putat eos deliquisse, ante absolutionem autem imponat eis, ut noviter omni cum diligentia suam conscientiam examinent, & si quid repererint, cujus non recordabantur, redeant alia die ad confessionem. Idem dicit citando Rodriquez, Remigium, & alios noster R. P. Torrecilla *in* 2. *impressione de Conf. tract.* 2. *Consult.* 11.

Id ipsum expertus sum in Missionibus, in quibus, postquam per interrogationes similes personas ad notitiam suorum peccatorum manuduxi, imponendo, ut, si postea alicujus peccati recordati fuerint, redire ad confessionem teneantur; licèt diligenter se examinaverint, nihil habuerint ad manifestandum, nec quod mediantibus meis interrogationibus manifestarunt, unquam ex se etiam omni possibili adhibita diligentia manifestâssent; cùm lues magis contagiosa innumerabiles animas inficiens, & condemnans sit verecundia in confitendo peccata; prout Apostolicus Spiritus S. Vincentij Ferrerij deflet. *O quàm multi propter verecundiam in confessione ficta damnantur!* Multùm importat, quòd Confessarij cum sagacitate, dexteritate, amore, & dulcedine ab initio confessionis semper interrogent, utrum fortè reticuerint aliquod peccatum ob verecundiam, & si persona sit talis, de qua possit haberi suspicio, quòd illaqueati maneat hoc diabolico ligamine, poterit ei fieri narratio sequentis casus, ut ad bonam confessionem faciendam moveatur; & licèt sit valde tritus, vulgaris, & sæpius repetitus; nihilominus cùm infinitas causaverit conversiones, justum est, ut frequenter repetatur.

In antiquis Cronicis meæ Seraphicæ Religionis refertur, quòd itinerantibus duobus Religiosis mei Seraphici P. S. Francisci, & intrantibus ad orandum quamdam Ecclesiam, obviaverit quædam devota, ut eis videbatur, & Principalis Matrona, quæ unum eorum supplex deprecata est, quatenus suam confessionem excipere non dedignaretur, cujus votis Religiosus annuens, se libentissimè id præstaturum respondit, quod dum exequitur, socius ad quamdam capellam, ut orationi incumbere posset, se contulit, unde vidit ex ore Matronæ confitentis multos horridissimósque bufones

bufones egredi, ultimus eorum incredibilis horroris erat, qui ad labia Matronæ veniens, multoties exire tentavit, sed vix ad limen oris perveniens, illicò caput retrahebat; finita confessione, & vix percepta absolutione omnes illi bufones, qui exierant, de novo per os ad cor Matronæ regressi sunt.

Discesserunt Religiosi ab Ecclesia ad prosequendum iter, in quo Socius visionem habitam de bufonibus Confessario distinctè recensuit, qui suspicione sumpta de eventu retrogreditur ad Matronam invisendam; sed vix ad locum advenerunt, de ejus subitanea morte certiores facti sunt.

Hac auditâ instarunt orationi commendantes animam ejus Deo, & dum fervidas preces effunderent, viderunt intrantem per portam Ecclesiæ super Draconem infernalem assidentem infelicem Matronam, quæ undequaque scintillas ignitas evomebat; pro cinctorio horribilem viperam inhonestatem ejus castigantem habebat; duos feroces scorpiones auribus affixos portabat in pœnam cantillenarum obscœnarum auditarum; mamillæ in duo ostia ardentis fornacis flammas fœtentes eructantia conversæ erant in pœnam flammarum impudicarum, quas adhuc vivens in sinu nutriebat; in capillis ejus horridæ flammæ ignis erant in pœnam vani ornamenti ex serico & auro ad alliciendas incautas animas ad illicitum amorem: appropinquavit hæc infelix duobus Religiosis, dixítque eis: sciatis, me esse illam Matronam, quæ paulò ante uni vestrûm confessa est, quamque Justitia divina ad pœnarum infernalium æternitatem condemnavit ob magna inhonestatis delicta; unica autem causa meæ condemnationis fuit occultatio ex verecundia patratarum turpitudinum, quas heri data tam bona occasione vestri adventûs confiteri decrevi; incepi meam confessionem, in qua ad revelationem cujuslibet peccati unus bufo ex corde meo exibat, inter cætera revelanda fuit unum multò gravius alijs, quod binis, aut ternis vicibus tentaveram confiteri, & tunc bufo major, & horribilior alijs super ostium oris mei comparebat; demum victa à verecundia illud subticui, & sicut unum peccatum non dimittitur sine altero, occultato hoc peccato, omnes bufones, qui jam exierant, regressi sunt in corpus meum; atque adeò justissimus Deus, cùm noluerim uti bonâ occasione ab eodem mihi exhibitâ, repentinâ morte me vitâ privavit, & ad inferni tormenta, prout videtis, me condemnavit. Maledicta sit hora, in qua nata sum, maledicta vestimenta, maledicta amicitia, maledicta sim ego; his horrendis vocibus prolatis infelix evanuit edocendo omnes peccata in confessione occultantes, & quæ sint tormenta ijsdem præparata.

19. Ut omnes cum peccatis retentis, & confessionibus sacrilegis venientes super decem Præcepta examinari possint, & ad confessionem generalem faciendam adjuvari queant; extendo sequens interrogatorium, in

quo magis necessariæ interrogationes habentur, quæ, vel omnes, vel aliquæ juxta dictamen prudentiæ confessarij, & qualitatem Pœnitentis adhiberi possunt.

Præceptum I.

1. An Præcepto confessionis, & communionis annuæ, vel in periculo mortis constitutus, satisfacere intermiserit?

2. An sine sufficienti examine dolore, & vero proposito confessionem aliquam indignè peregerit? vel ex verecundia, aut malitia aliquod peccatum verum, vel dubium reticuerit?

3. An Pœnitentiæ, & alijs obligationibus à Confessario impositis, in restituendis rebus furto ablatis, reintegrandâ famâ, dum commoditatem habuit, satisfecerit?

4. An sciat scitu necessaria, ut sunt principalia Fidei Mysteria; an symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Septem Sacramenta, Orationem Dominicam, & actum contritionis elicere, sciat?

5. An aliquid contra Fidem crediderit, vel de aliquo ejusdem mysterio dubitaverit?

6. An de Misericordia Divina desperaverit, vel de ea nimium confidens peccaverit?

7. An deliquerit quoad præceptum amoris Dei, vel proximi, non succurrendo ei in suis necessitatibus, dum potuit?

8. An somnijs, divinationibus, vel alijs superstitionibus fidem præstiterit. An psalmis, & orationibus suspectis ad morbos curandos tum hominum, tum animalium, vel aliqua oratione, qua promittitur mors bona vel sine confessione non subeunda, vel apparitio Virginis Sanctissimæ in illa hora, vel alterius Sancti, usus fuerit?

Præceptum II.

1. An Sanctissimum DEI Nomen, vel suorum Sanctorum blaphemaverit?

2. An perjuraverit, vel juraverit quidem in veritate, sed absque necessitate?

3. An ipsius juramentum tertiæ personæ damnum causaverit?

4. An animo vindicativo, vel minando juraverit?

5. An juramenta promissoria, ut sunt vota, vel promissiones Deo factæ, adimpleverit? Advertendum tamen est, quòd, si juramentum sit de re mala, nulla obligatio illud adimplendi urgeat; imò multiplicaretur peccatum illud adimplendo.

6. An sine rationabili causa vota, vel promissiones adimplere distulerit?

7. An contra Filios, vel Parentes, & si contra hos, an in eorum præsentia, vel solùm in occulto maledictiones, imprecationes ex corde, vel ore tantùm protulerit?

Præceptum III.

1. An audire Sacrum in die Festi omiserit, vel periculo non audiendi se exposuerit?

2. An per notabilem partem Missæ garriverit, dormiverit, vel intrantes, aut

aut exeuntes aspexerit, vel an fuerit causa, quòd alij Sacrum non audiverint?

3. An in audienda Missa per signa externa alicui personæ fuerit addictus, vel nimia curiositate, & curâ eam aspexerit, vel in rebus, aut cogitationibus loco sacro alienis se detinuerit?

4. An in die Festi ultra duas horas, vel minori tempore cum scrupulo peccati mortalis laboraverit?

5. An, dum licentiam metendi habuit, alia opera non contenta in licentia exercuerit?

6. An Præceptum jejunij absque legitima dispensatione, vel gravi labore, aut infirmitate fregerit?

7. An dubitando se non posse jejunare, inconsulto Medico vel corporali, vel spirituali, non jejunaverit?

8. An diebus prohibitis carnes comederit absque sufficienti causa, vel de hac dubitaverit, & quoties in die comederit; siquidem toties mortaliter peccavit?

9. An ova, lacticinia in quadragesima (ubi prohibita sunt) absque obtenta licentia, & quoties per singulos dies, comederit?

10. An in collatione vespertina vel in quantitate, vel in qualitate excessum fecerit?

11. An decimas Ecclesiæ, & primitias solverit, vel de deteriori dederit?

Præceptum IV.

1. An suis Genitoribus aliquod audax responsum dederit, vel fuerit causa, quòd juraverint, maledixerint, vel quòd contristati fuerint?

2. An illis fuerit inobediens, aut mandatis eorum non se subiecerit, vel non libenter, vel tarde, vel de nocte contra eorum voluntatem de domo exiverit?

3. An eorum necessitatibus succurrere intermiserit, vel contra eos malam voluntatem habuerit?

4. An negligens fuerit in educandis prolibus, eas non instruendo in bonis moribus, & doctrinâ Christianâ, vel jurando, maledicendo, aut alia noxia exercendo in earum præsentia malum exemplũ eis præbuerit?

5. An punire, & corrigere filios intermiserit, quando erat necessarium?

6. An tempore opportuno in statu eorum vocationis constituerit, vel eorum voluntati contradixerit; ne vocationem Divinam sequerentur?

7. An facultates (quibus eos accomodare poterat) in voluptatibus, lusibus profanis, vel superfluis dissipaverit?

8. An fuerit causa contentionum, & discordiarum cum uxore, eámque verbis injuriosis affecerit, vel in eam manus iniecerit?

9. An sine rationabili causa ei debitum matrimoniale negaverit, vel hoc usus fuerit tempore, vel loco, ubi Filij, aut famuli videre, vel audire poterant?

10. An ut Officialis Justitiæ hanc non administraverit, vel propter interesse gratiam, & æquitatem vendiderit?

11. An eandem tam pauperi quàm diviti, tam consanguineo, quàm alienigenæ in delictis æqualibus æqualiter administraverit?

12. An in solutione suorum Jurium ultra justum, & taxatum pretium acceperit?

13. An non procuraverit impedire scandala, concubinatus, furta, ludos, ebrietates, &c.

14. An, ut Parochus, Populum Christianam doctrinam edocere, ac Evangelium juxta Præceptum Concil. Trident. *Sess.* 22. *cap.* 8. explicare neglexerit?

15. An fuerit solicitus in administrandis SS. Sacramentis, quando necessitas exigebat?

16. An ex sua negligentia aliquis Parochianus sine Sacramentis obierit?

17. An scientiam suo statui necessariam comparare studuerit, quomodò suæ obligationi possit satisfacere.

18. An sit causa scandali, & absque Zelo, ut animæ ipsi recommendatæ in Sancto Dei timore vivant?

19. An obligationibus Missarum per longum tempus satisfacere distulerit?

Procuret Confessarius ita proportionaliter examinare singulos de negligentijs, quas committere potuerunt in proprio officio, vel statu individualiter.

Præceptum V.

1. An odio habuerit proximum, vel ei mortem desideraverit, vel aliud grave damnum; vel an aliquando ei loqui recusaverit, & hoc cum nota, & scandalo, vel desideravit vindictam?

2. An vulneraverit, interfecerit, vel interficere, aut vulnerare aliquem optaverit; & an usus fuerit, vel uti studuerit alijs ad faciendum malum?

3. An violentas manus in Ecclesiastica dignitate fungentem injecerit?

4. An procuraverit, vel Consilium dederit; vel media subministraverit ad fœminæ abortum.

5. An fuerit causa alicujns duelli, vel in id consenserit, & acceptaverit; vel induxerit alios quærendo Patrinos ad duello assistendum?

6. An fuerit causa contentionum, rixarum, vel discordiarum, narrando, quæ cogitavit, aut ea, quæ audivit?

7. An excesserit in comestione taliter, quòd ipsi nocuerit, vel ita biberit, quòd sui ipsius compos non fuerit; vel an comederit sal, terram, calcem, cineres, carbones, & similia?

8. An sibimet ipsi mortem desideraverit, vel in gravem impatientiam lapsus fuerit.

Præceptum VI.

1. An cogitationibus indecentibus consenserit, & in ijs se detinuerit; an solùm habuerit complacentiam, vel etiam executioni mandare desideraverit, explicando statum personæ, cum nupta, aut soluta, vel voto castitatis ligata, quod idem de se explicare debet?

2. An fœminam nuptam, nubilem, aut consanguineam ad turpia solicitaverit; vel de ijs colloquia habuerit

3. An de aliquo patrato peccato gloriatus fuerit, & cujus statûs, & conditionis personæ audientes fuerint?

4. An

4. An in pueritia turpe aliquid patraverit cum puella, vel sorrore, vel consanguinea &c.?

5. An denudatam fœminam videre concupierit, vel audire, vel videre aliquid obscœnum?

6. An peccatum cum persona sui sexûs, vel aliud peccatum nefandum, sodomiticum, commiserit?

7. An in propria persona tactus illicitos habuerit, an ex hoc fuerit secuta aliqua fragilitas, vel an huic causam dederit mente revoluendo aliquod objectum, & quale illud fuerit, vel persona soluta, vel ligata, vel consanguinea; & an insuper in illo actu cum eadem peccare desideraverit?

8. An desideraverit, vel peccaverit coëundo cum aliqua bestia?

9. An rem cum persona diversi sexûs habuerit, & cujus statûs; & an per vim eam cognoverit?

10. An fuerit causa, ne talis persona conciperet, aut si concepit, an refecerit damna per hoc marito, & filijs legitimis illata?

11. An habuerit oscula, tactus, & amplexus cum aliqua fœmina, & cujus statûs, & an illam sollicitando aliqua fragilitas successerit?

12. An aliquam domum suspectam cum scandalo adstantium frequentaverit, vel cum periculo offendendi Deum, vel an quæsierit aliquem ad turpia cooperantem, ferentem litteras amatorias, cibos, & alia munera, vel an ipsemet in aliorum ruinam hoc functus fuerit.

13. An Matrimonio absque observatione ordinis naturæ usus fuerit; vel generationem impediverit seminando extra vas naturale?

14. An alios ad peccandum actionibus adulatorijs, affectibus singularibus provocaverit; vel cantando res profanas, aut verba æquivoca malum indicantia proferendo, aut instituendo saltus indecentes, an & ipsemet in ijsdem saltaverit?

15. An alios ad peccandum induxerit; vel ægrè tulerit data occasione ad peccandum id in opus redigere non potuisse?

16. An somnia inhonesta habuerit, & an evigilando habuerit in ijs complacentiam; vel antecedenter eorum causa culpabilis fuerit?

17. An sit voluntariè in aliqua occasione proxima peccandi constitutus per detentionem periculi in sua propria domo; vel etiam extra cum libertate adeundi locum illum secundùm suum placitum?

Præceptum VII.

1. An quantitatem gravem furto abstulerit, vel alijs idem suaserit?

2. An Filiorum, famulorum furta nõ impediverit, eadem dissimulando?

3. An de re furto ablata participaverit, vel eam occultaverit?

4. An distulerit restitutionem, dum poterat, vel in toto, vel in parte adimplere; & an solvere debita neglexerit, consummendo, dissipando in res superfluas bona, quibus poterat creditoribus satisfacere?

5. An legata, pia opera, funeralia, Sacra, ad quæ forte obligatur ut hæres, vel testamenti executor, adimpleverit?

6. An in emptionibus, venditionibus, contractibus, ponderibus, mensuris, vel monetis fraudulenter egerit?

7. An ex sua negligentia, vel propter patrata furta persona aliqua damnum aliquod perpessa fuerit?

8. An in ludis substantiam uxoris, filiorum, vel propriam excessivè consumpserit, vel dolo usus fuerit, vel eos ad lusum coëgerit?

9. An salarium servis, & stipendium laborantibus solverit; an eos sine causa sufficienti ante tempus completum contractûs domo extruserit?

10. An fideliter Domino suo serviverit, vel ejus bona furatus fuerit, vel in aliorum furta consenserit, discesserit ab eo ante præfinitum tempus sine causa cum illius damno?

11. An litem aliquam injustam excitaverit, vel foverit?

12. An fructus, volatilia, vinum, &c. Furatus, vel exhortatus fuerit alios ad id faciendum?

13. An fuerit furatus, vel desideraverit furari quidquam de Ecclesia.

Præceptum VIII.

1. An aliquam suspicionem, vel judicium temerarium habuerit?

2. An contra honorem, vel famam murmuraverit, & an de rebus notis, vel non, aut manifestaverit personis prius id nescientibus?

3. An aliorum defectus libenter audiverit, & dum potuisset, non discesserit ab illa conversatione; vel auditis nimia facilitate fidem præstiterit; vel dubia pro certis alijs narraverit, vel plura addendo?

4. An id, ad quod sub sigillo naturali, & in re gravi tenebatur, revelaverit?

5. An famam ablatam proximo retractando se coram personis audientibus restituerit?

6. An Proximum suum aliquâ contumelia, vel verbo injurioso affecerit, an veniam, ad quam obligabatur, petierit?

7. An aliquod mendacium in grave proximi damnum dixerit?

8. An veritatem occultaverit, dum necessarium erat, ut manifestetur?

Nonum Præceptum reducitur ad sextum; & Decimum ad Septimum.

Nam hæc duo Præcepta ponuntur ut exemplaria aliorum, & per ea prohibentur desideria mala vel uxoris vel rei alienæ; ut intelligatur, quòd non solùm operibus, & verbis peccare possit, verùm & desiderijs; non solùm in sexto, & septimo Præcepto, sed & in omnibus alijs; licèt de his duobus hìc expressè fiat mentio, cùm eorum materia, seu objectum sit id, in quod homines frequentius tendere, & incidere solent.

Ad hoc examen reducitur totum id, quod regulariter necessarium est cuivis personæ ad instituendam bonam confessionem generalem, vel particularem absque ulteriori discursu super-

super peccata capitalia, opera misericordiæ, Præcepta Ecclesiæ, vel sensus corporis, ut multi audaces ad hæc nimis se extendentes cum molestia confessarij faciunt.

Si Pœnitens inveniat se deliquisse in aliqua, vel pluribus interrogationibus supra positis, debet se reflectere, an peccatum sit certum, vel dubium, & confiteri certum pro certo, dubium pro dubio.

Insuper si Pœnitens in aliqua ex supradictis speciebus peccatorum deliquerit, interrogandus erit de eorum numero; & si certum numerum scire, & manifestare nequeat, nec se explicare, dicendo plus, vel minus; sufficiet, si se accusaverit de habitu illius peccati, ut fusiùs dicetur in Præcepto secundo *tract. 2. c. 1. num. 10.*

TRACTATUS I.

DE I. PRÆCEPTO.

Amare DEUM super Omnia.

CAPUT I.

De Fide.

1. PRrimum, quod occurrit circa Fidem, est Doctrinæ Christianæ notitia, de qua Confessarius interrogare tenetur illas personas, de quibus prudenter judicat, hanc ignorare; ut sunt rustici, & milites; sed illi, qui scholas frequentant, & Filij Parentum nobilium, piorúmque, qui eorum bonæ educationi invigilant, his interrogationibus non indigent.

Mysteria, & alia, quæ ordinariè omnes scire tenentur, sunt Articuli Fidei in Symbolo Apostolorum contenti, Præcepta Legis Divinæ, & Ecclesiæ, Sacramenta, & Oratio Dominica: sed rudibus, & idiotis, qui vix apprehendere possunt ipsis proposita, sufficit, ut sciant Mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, & Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quòd Deus sit bonorum Remunerator, malorum autem vindex, & cætera, quæ Ecclesia implicitè credenda docet, & hoc probabile esse putat P. Leander à Murcia *tom. 2. disq. moral. lib. 4. disp. 1. & 25. n. 3.* citátque pro hac sententia Vasquez, Sanchez, Gabrielem, & alios.

Si Confessarius suum Pœnitentem Doctrinam Christianam ignorare inveniret, eundem instruere debet Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, aliàs est incapax absolutionis, ut constat ex Decreto Innocentij XI. in Propositione 64.

Imponat quoque ei, ut se accuset de omissione in addiscendo Doctrinam Christianam, & ut in futurum eam addiscere studeat; quòd si deprehenderit alios Confessarios ipsi hoc idem imposuisse, & neglexerit, debet differre absolutionem, donec hujus fiat capax. Videatur super hoc punctum fusiùs Marcant. *tom. 1. resol. 3. num. 9.*

2. Suppono, quòd *Fides sit substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*; vel ut alij definiunt: *est virtus supernaturalis, qua credimus veritates à Deo revelatas.* Fides est (ut communiter dicitur) credere id, quod non videmus; & credere id, quod nostra Mater Ecclesia docet; quia Deus revelavit: Fidei opponitur Hæresis, & Apostasia. Hæresis *est error pertinax hominis baptizati ex parte contrarium.* Dicitur *error pertinax*; quia debet esse cognitus, & deliberatus error, ad hoc, ut sit hæresis formalis. Dicitur *hominis baptizati*; quia errores, in quibus sunt Gentiles, & Judæi, non dicuntur propriè hæresis, sed Paganismus, & Judaismus: Dicitur tandem *ex parte contrarium*; ad differentiam Apostasiæ, quæ est error *ex toto contrarius* Fidei.

Hæresis una est interna, altera externa; una occulta, altera publica; occulta potest esse occulta *per se*, vel *per accidens*, ut in 2. part. hujus praxis *tract. 17. n. 25. & seq.* explicabo; ubi fusiùs demonstro, quis nam absolvere possit ab una, & quis ab altera; alia verò ad hoc punctum spectantia in sequentibus resolutionibus patebunt.

3. P. P. R. me accuso, quòd frequenter aliquæ cogitationes contra Fidem me molestent.

C. Senfit ne V. D. aliquam displicentiam propter similes cogitationes?

P. Ita P. R. imò maximam.

C. Plures personæ timentes Deum solent molestari à similibus cogitationibus, & tam vehementer, ut interdum ijs videatur, se dubitare, & consentire, & tamen non ita se res habet; cùm ipsa displicentia, & afflictio, quam sentiunt, sit indicium, eos non consentire; obscuritas autem, qua proponuntur res Fidei, apparet, quasi dubitarent, in re autem non est sic; quare melius remedium ad superandas tales suggestiones diabolicas est, eas contemnere, & nihil curare.

4. P. P. R. accuso me semel hospitio recepisse unum Hæreticum, cum quo discurrendo de varijs rebus nostræ Fidei, & Religionis, credidi unã propositionem hæreticam mihi propositam.

C. Duo sunt hìc notanda, primum est, quòd hospitio hæreticum receperit; secundum, quòd propositionem hæreticam crediderit. Quo ad primum scire debet, quòd in primo Canone Bullæ in Cœna Domini omnes fautores, & receptores hæreticorum excommunicentur; est igitur necessariò sciendũ, an V. D. hunc hæreticum receperit ut hæreticũ, vel solùm titulo affinitatis, & amicitiæ?

P. P. R. recepi ipsum ut amicum.

C. Opinio est probabilis, quam docet P. Leander à SS. & P. Bassæus cum alijs citatis Authoribus *verb. Hæresis num. 8.* non incurri excommunicationem, dum recipitur, aut fovetur hæreticus ut amicus, aut titulo affinitatis, & non ut hæreticus est;

est; & sic vi hujus opinionis V. D. non incurrit excommunicationem.

Quo ad secundum, quòd hæreticam propositionem crediderit; ad ferendum judicium, utrum V. D. incideritin excommunicationem ibidem contra hæreticos promulgatam, nec ne, necessario sciendum est, an hunc assensum hæreticum doctrinæ ejus præstitum V. D. manifestaverit externè verbis, vel operibus?

5. P. P. R. ego dixi, quòd credam mihi proposita.

C. Si V. D. non manifestasset externè licèt internè tenuisset hunc errorem, non incidisset in excommunicationem juxta communem Theologorum sententiam; quia esset hæresis tantùm interna: & Ecclesia in nulla materia sibi reservat, aut promulgat excomunicationem contra actus merè internos; cùm autem V. D. externè, nempe ijs verbis manifestaverit se fidem præstare propositioni hæreticæ, incurrit excommunicationem.

6. Est ne factum notorium, quòd V. D. hoc errore interno infecta fuerit?

P. P. R. præter me, & hæreticum nullus scivit.

C. Absolutio ab hæresi, & alijs casibus Bullæ Cœnæ Domini est reservata Papæ.

Est quidem verum, quòd, quando sunt occulti, sint reservati Episcopo juxta opinionem Henriq. Navar. Banez, Ledesmæ, Facundez, & aliorum plurimorum, quos citat P. Murcia *tom. 2. disq. moral. lib. 4. disp. 1. resol. 5. n. 6. & 10.* Hánque probabilem censet Suarez *de Censuris disp. 21. sect. 4. n. 5.* Leander à SS. *tom. 4. de Censuris, tract. 2. de Excommunic. disp. 17. q. 45. & 49.* & in favorem hujus opinionis citat plures docentes, non revocari per promulgationem Bullæ in Cœna Domini facultatem, quam Conc. Trident. *sess. 24. cap. 6.* concedit Episcopis absolvendi ab hæresi externa, & alijs casibus Bullæ Cœnæ, quando sunt occulti.

7. Nec obstat huic doctrinæ Decretum Alexandri 7. in Proposit. 3. in qua videtur damnasse hanc opinionē; quia Sua Sanctitas solùm damnavit, quòd dicta opinio fuerit visa, & tollerata in Consistorio Sacrę Congreg. sed non reprobat doctrinam docentem, Episcopos posse absolvere à prædictis casibus, quando sunt occulti. Hoc idem tuetur, & docet R. P. Fr. Martinus de Torrecilla *in suo exam. Episcop. tract. 1. q. 1. sect. 2. disp. 2. n. 21.* hujúsque opinionis ait, esse P. Mogam *in select. tom 1. tract. 3. disp. 8. q. 5. §. 2. n. 5.* Idem sentiunt alij viri docti, quos innominatos citat R. P. M. Lumbier in Appendice Summæ Aranæ *pag. 497. num. 547.*

8. Casus autem supradicti dicuntur occulti, quando non sunt deducti ad forum contentiosum, vel major pars vicinitatis, vel Populi eos ignorat; ita affirmant Sanchez, Navar. Lessi, Suar. & alij, quos citat, &

sequitur Diana *part. 7. tract. 2 resol. 15.*

Non obstante hac opinione dicendum est Episcopos non posse absolvere ab hæresi, quamvis occulta Singulariter in Hispania, ubi hæc facultas est reservata S. Tribunali Inquisitionis. Ita Sanchez, *in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 17.* Molina *tom. 4. de Just. disp. 64. n. 8.* & alij multi citati à Diana *part. 1. tract. 5. resol. 2.* Qua propter occurrente aliquo casu hæresis externæ occultæ recurrendum est pro facultate ab ea absolvendi ad supradictum Tribunal, à quo tanquam pijssimo facilè impetrari potest.

9. P. P. R. me accuso, quòd navigando per mare Suæ Sanctitatis multa latrocinia patraverim, & aliquas naves Christianorum fuerim aggressus, quas & expoliaverim; insuper, dum quædam Christianorum navis passa est naufragium, multas merces surripuerim.

C. Tamin uno, quàm in altero casu V. D. incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, à quibus excommunicationibus absolvi potest semel in vita, & altera vice in articulo mortis vi Bullæ Cruciatæ.

Dicat mihi, fuit ne jam semel absoluta V. D. hoc anno vi hujus Bullæ ab excommunicatione aliqua reservata?

P. Ita P. R. semel fui absolutus.

C. A quali censura fuit absoluta?

P. P. R. à censura, quam incurrebam velut Pirata.

10. C. Non obstante hac absolutione probabile censet Quintana. Duena *tom. 2. sing. tract. 4. de casib reservat. singul. 2. n. 2.* Leander à SS. *tom. 4. de censuris tract. 2. disp. 17. §. 3. q. 8.* & alij. quos citat Crux in Bulla Cruciatæ *disp. 1. cap. 3. dub. 13.* qui docent, quòd in distinctis confessionibus possit absolvi à diversis casibus Bullæ Cœnæ sæpius in anno, non tamen bis ab uno peccato reservato ejusdem speciei: v. g. Si aliquis semel fuit Pirata in mari Suæ Sanctitatis, altera vice bona navium naufragantium exspoliavit, & tertia vice fuit fautor, & protector hæreticorum; ab omnibus his peccatis potest absolvi in diversis confessionibus intra annum; sed si binis vicibus fuisset Pirata, binis vicibus naves naufragantes Christianorum expoliâsset, non potest absolvi intra annum ab istis peccatis etiam in diversis confessionibus. Ratio prioris est; quia, si Pœnitens omnes hos casus una vice fuisset confessus, vi Bullæ absolvi potuisset ab omnibus: ergo etiam poterit absolvi in distinctis confessionibus. Probatur consequentia; quia Pœnitens ob frequentationem Sacramenti Pœnitentiæ non debet demereri id, quod non demeretur, qui non frequentat.

Nihilominus magis probabilis, secura, & communis est opinio contraria dicens, quòd una sola vice in anno, & in unica confessione possit Pœnitens absolvi ab his casibus, sive sint diversæ, sive ejusdem speciei. Ita Villalobos, Ledesma, Rodriquez, Trullench

Trullench, & alij apud Murciam *tom. 2. disp. 1. lib. 4. resol. 10. num. 6.*

11. Ut in hoc casu securius procedamus, mihi dicat V. D. fuit ne notum, quòd fuerit Pirata, & usurpaverit bona naufragantium Christianorum?

P. P.R. Deo soli, & mihi notum est.

C. Ergo fuerunt merè occulta hæc peccata, quòd, si U. D. non fuisset confessa, non potuissent in foro externo probari.

Ergo si talis est ipsius casus, & sua peccata ita occulta, nt sibi soli sint nota, nec, præscindendo à sua confessione externa possint probari in foro externo; docent multi Theologi, per hunc non incurri excommunicationem; vel si incurritur, posse ab eodem absolvere Episcopos (non obstante Decreto Alexandri VII. supra relato) ita Henriquez, Angelus, & alij apud Leandrum à Murcia loco cit. *resol. 32. n. 5. & seq.*

12. Ex quo infero, quòd vi Bullæ possim absolvere ab omnibus istis excommunicationibus, in quas incidit tanquam Pirata, & usurpator bonorum Christianorum; quia Bulla Episcopis facultatem concedit absolvendi ab omnibus casibus reservatis, *toties, quoties*: atqui casus occulti Bullæ Cœnæ Domini sunt reservati Episcopis: ergo omnis Confessarius approbatus absolvere potest *toties, quoties*. Est doctrina P. Leandri à SS. *tom. 4. de Censuris tract. 2. disp. 17. §. 3. q. 84.* Thomæ Sanchez *in sum. lib. 4. cap. 54. n. 27.* Dianæ *part. 1. tract. 11. resol. 28.* Mendi apud Dianam *part. 11. tract. 2. resol. 45.* & in additionibus *part. 3. resol. 17.* Ipsemet Diana dicit, hanc opinionem esse probabilissimam; quam sequuntur plures alij apud Murciã loco cit. *resol. 12. n. 6.* & novissimè hoc tradit ut probabile P. Emanuel de Conceptione *in suo tract. de Pœnit. disp. 6. q. 7. n. 819. & 820.*

Caput II.

De Spe.

13. Spes *est virtus, qua spiritualia, & aterna bona sperantur*; Alij sic definiunt: *est virtus Theologica, & supernaturalis, qua speramus Beatitudinem Divino auxilio obtinendam*: Dicitur *virtus Theologica* (prout est Fides, & Charitas) quia hæ tres virtutes habent immediatè DEUM pro suo objecto; Dicitur *supernaturalis*; quia est supra vires naturales naturæ humanæ: Dicitur tandem *qua speramus Beatitudinem Divino auxilio obtinendam*, ad significandum, quòd sperare bona transitoria hujus mundi non pertineat ad virtutem spei Theologicæ. Præceptum Spei unum est negativum, alterum affirmativum: Negativum prohibet desperare, & nimium præsumere, obligatque *semper, & pro semper*. Affirmativum obligat determinatis temporibus *per se, & per accidens*, prout capite sequenti, & fusiùs *in 2. part. hujus praxis tract. 17. n. 6. & seq.*

14. P. P.R. me accuso, quòd se-

mel reflectendo ad pergrandem numerum meorum peccatorum impossibile mihi visum fuerit, me posse Beatitudinem æternam consequi.

C. Credidit ne V. D. Gratiam Dei non sufficere ad salvandum?

P. Credidi, DEUM posse me salvum facere, si vellet; sed cùm peccata mea tot, & tanta fuerint, credidi, Deum non fore mecum Misericordem.

C. Sciat, hoc fuisse peccatum desperationis oppositum virtuti Spei: Si autem V. D. credidisset, DEUM non posse eam per suam Gratiam salvare, iste actus habuisset distinctam malitiam hæresis; ita communiter DD. cum S. Thoma 2. 2. *art.* 1 & 2.

15. P. P. R. me accuso, quòd alia vice de misericordia Divina ita confiderim, ut putarem, me etiam absque Pœnitentia peccatorum meorum non fore condemnandum.

C. Hoc pariter est peccatum oppositum virtuti Spei, quod à Theologis vocatur præsumptio; & credidisse se posse salvari absque pœnitentia tam gravium peccatorum fuit actus hæresis formalis.

Caput III.
De Charitate.

16. CHaritas *est virtus Supernaturalis, & Theologica, qua* DEUS *diligitur propter se, & Proximus propter* DEUM. Amor, quo Deus super omnia diligi debet, duplex est, unus intensivus, alter appretiativus; intensivus est, quando Deus amatur majori vehementia fervore, & ardore, quàm omnia alia: appretiativus est, quando plus æstimatur Deus, quàm omnia alia, ita, ut homo sit dispositus, & promptus ad perdendum omnia, ne Deum perdat. Amare Deum super omnia tenemur, licèt non amore intensivo, sed appretiativo. Præceptum negativum prohibens odisse Deum, obligat *semper*, & *pro semper*: affirmativum ad eum amandum obligat determinato tempore *per se*, & *per accidens*, ut mox dicam, & *in tr.* 10. *n.* 23. & *part.* 2. *hujus praxis tr.* 17. *n.* 6. & *seq.*

Circa amorem Proximi duæ propositiones ab Innocentio XI. condemnatæ fuerunt, quæ videri possunt cum sua explicatione *in tract.* 10. *n.* 31. Præceptum charitatis Proximi obligat ad eum adjuvandum eleemosyna & fraterna correctione; de eleemosyna trado *in tract.* 10. *n.* 36. & de fraterna correctione *in tr.* 8. *cap.* 3. *in fine*, & *part.* 2. *hujus praxis tract.* 15. *cap.* 5. *num.* 5. Amori proximi opponitur odium, duellum, scandalum, de quo ex professo loquar in tract. 5. super quintum Præceptum, & modò demonstrabo, quando Præceptum charitatis obliget, & omissis varijs DD. opinionibus.

17. Id, quòd circa hoc punctum mihi probabilius videtur, est, quòd ad minimum semel in anno Christianus obligetur ad eliciendum aliquem actum amoris erga Deum; sic affirmant multi DD. cum Leandro à SS. Tapia *tom.* 2. *lib.* 3. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 3. Hoc idem

idem dico de actibus Fidei, & Spei.

18. C. Dicat mihi V. D. elicuit ne aliquando hos actus Fidei, Spei, & charitatis?

P. P. R. nec percipio, quid nam sint hi actus.

C. Actus Fidei est credere in unum Deum Remuneratorem, mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, & totum, quod in Symbolo Apostolorum continetur, & implicitè id, quod docet Ecclesia: Actus Spei est confidere in Misericordia DEI, per quam, si pœnitentiam de nostris peccatis egerimus, salutem æternam consequemur. Actus charitatis est amare Deum super omnia; hoc autem nihil aliud est, quàm, pluris æstimare Deum, quàm cætera omnia, cum animo perdendi omnia, ne Deus perdatur.

19. His tribus actibus virtutum Theologicarum ordinariè satisfit per confessionem; quia in hac præcisè requiritur actus attritionis, vel contritionis, hæc respicit Deum ut Summum Bonum, & ut Remuneratorem bonorum; illa ut Judicem punientem mala: ergo includit cognitionem, & assensum DEI Remuneratoris.

Attritio etiam detestatur culpam; quia est contraria Beatitudini, quam speramus: ergo includit actum Spei; est doctrina P. Lumbier in explicat. Propos. 64. & 65. ab Innocentio XI. damnatarum *in observ.* 15. §. 2. *n.* 653. *&* 655.

Satisfit etiam Præcepto charitatis; quia si consistit in æstimatione, & appretiatione Dei super omnia, eò ipsò, quòd Pœnitens habeat dolorem de suis peccatis, appretiat Deum magìs, quàm cætera omnia; etenim hæc æstimatio, & appretiatio, quàm homo tenetur habere de DEO., in qua consistit ejusdem amor super omnia, nihil est aliud, quàm, velle potius omnia perdere, quàm perdere Deum; nec dolor est quid aliud, quàm displicentia, quòd per peccatum Dei amicitiam amicitiæ creaturæ postposuerimus cum proposito deinceps non amplius id agendi, sed oppositum: ergo iste dolor includit appretiationem, & æstimationem DEI super cætera omnia.

20 Ad impediendos omnes scrupulos optimè censeo, quòd Confessarius à principio confessionis hos actus fidei, Spei, & charitatis eliciendos à Pœnitente postulet, singulariter ab illis, qui rarò confitentur; & pro majori facilitate eorum hic pono formam.

C. Credit ne V. D. in DEUM, & Mysterium SS. Trinitatis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres personas distinctas, & unum solum, verum Deum? credit ne, quòd Deus præmiet bonos, & malos puniat, & quòd Filius Dei pro nobis sit factus Homo in ventre purissimo Beatissimæ semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ per virtutem Spiritûs Sancti, & totum id, quod nostra Sancta Mater Ecclesia ad credendũ proposuit?

P. Ita

P. Ita P. R. credo.

C. V. D. sperat etiam in infinita Misericordia Dei, qui dolendo de suis peccatis ea ipsi remittet; & perseverando in emendatione suarum culparum ipsi vitam æternam retribuet.

P. Ita P. R. spero.

C. Pariter amat DEUM super omnia, ut suum Deum, & Creatorem, ita dignum amore propter suam immensam Bonitatem; dolétque ex toto corde, quòd eum offenderit cum proposito non ampliùs offendendi.

P. Ita P. R.

Caput IV.

De virtute Religionis, & vitijs huic oppositis.

21. Virtus Religionis inter omnes virtutes morales principem locum obtinet, & definitur, quòd sit *virtus debitum cultum DEO exhibens.* Ad hanc virtutem pertinent actiones sacræ celebrandi, audiendi Missam, orandi, SS. Sacramenta suscipiendi, & aliæ actiones similes, quibus Deus honoratur. Duo vitia opponuntur virtuti Religionis, unum per excessum, alterum per defectum; per excessum opponitur superstitio cum suis speciebus, quales sunt Divinatio, Idololatria, vana observantia, & maleficium: per defectum opponitur Irregularitas cum suis speciebus, quales sunt, tentare Deum, perjurium, sacrilegium, & Simonia.

22. Superstitio *est vana, seu falsa Religio indebitum cultum exhibens.* Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 90. *art.* 1. Cultus indebitus, vel superstitiosus potest esse vel falsus, vel superfluus: cultus falsus potest esse, vel ex parte operantis, seu subjecti, vel ex parte objecti: ex parte operantis, seu subjecti esset, si ille, qui non est Sacerdos, vel si est, fuit autem degradatus, celebraret, vel administraret Sacramenta: ex parte objecti esset, si nunc DEO offerrentur arietes, vel aliud sacrificium legis antiquæ; vel si in Sacramentis forma, vel materia mutaretur, vel etiam falsis miraculis veritas nostræ S. Fidei comprobaretur; Omnia hæc sunt peccata gravissima superstitionis opposita virtuti Religionis. Cultus superfluus dicitur, quando in Missa, oratione, Divino officio adduntur cæremoniæ, preces, verba: v. g. si loco unius antiphonæ dicerentur aliqua verba turpia, & obscœna, quod foret peccatum grave superstitionis, & cultus superfluus: si verò addantur aliqua, ut Alleluja, & similia, non ex contemptu, esset veniale peccatum: sic Castr. Palaus *part.* 1. *tract.* 17. *disp.* 1. *punct.* 1. *n.* 3. & 4.

23. Divinatio *est enuntiatio eorum quæ per naturam cognosci non possunt:* vel ut dicunt alij: *est prædictio ope Dæmonis facta circa res humano modo non cognoscibiles.* Divinatio potest esse cum pacto expresso, vel tacito cum Dæmone; tunc est pactum expressum, quando expressè invocatur ad rem occultam cognoscendam: v. g. occultum

occultum thesaurum, vel quando supposita notitia, quòd Dœmon assistat alicui signo ad detegendum id, quod est occultum, utimur illo signo; hæc Divinatio est peccatum gravissimum. Pactum tacitum, seu implicitum dicitur, quando utimur medijs frivolis, & inutilibus ad cognoscendam rem occultam: v. g. si ad inveniendam rem perditam, & habendam loci notitiam traherentur aliquæ lineæ, aut formarentur certæ litteræ &c. Sic Bonacina *tom. 2. disp. 3. de Superstit. q. 4. punct. 5.* n. 4. & 9. Divinatio cum pacto implicito Dœmonis est peccatum mortale ex natura sua: si autem ex ignorantia fiat, quæ non sit crassa, & affectata, non est peccatum mortale. In ordine ad confessionem divinationes cum pacto expresso factæ specie distinguuntur ab ijs, quæ cum pacto implicito fiunt; non autem distinguuntur specie illæ, quæ fiunt mediantibus stellis, ab illis, quæ fiunt per aquam, aërem, verba, gressus &c. ita Sanchez *lib. 2. Sum. cap.* 38. *num.* 14. 18. & 19.

Idololatria *est, quando cultus soli Deo debitus exhibetur creaturæ:* una est Idololatria formalis; altera materialis, ut dicam in hoc capite. *n.* 39.

24. Vana observantia *est, in qua tacitè Dœmon invocatur, assumendo media aliqua improportionata ad talem effectum:* v. g. *ad divitias, scientiam acquirendam;* & potest fieri cum pacto expresso, vel tacito cum Dœmone; si fiat cum pacto expresso est peccatum mortale, si cum tacito, potest à mortali excusari ex ignorantia, ut dixi de Divinatione, à qua vana observantia per hoc differt, quòd Divinatio fiat ad cognoscendas res occultas, vana observantia verò ad habendos illos effectus, ut scientiam, sanctitatem, divitias: Distinguitur etiam à maleficio; quia maleficium est *vis nocendi alijs ope Dœmonis;* & unum vocatur *veneficium*, aliud *amatorium*; hoc est, quando adhibetur assistentia expressa, vel implicita Dœmonis ad excitandum in alijs amorem carnalem, vel odium contra aliquem. Veneficium est, quando talia pacta ordinantur ad damnificandum proximum. Nomen Magiæ vel maleficij accipi solet pro omni genere fascinationum, de quibus fusiùs in hoc capite.

25. Irreligiositas *est vitium, quod tendit circa irreverentiam DEI.* Prima ejus species est tentatio DEI, & definitur sic. *Tentatio DEI est dictum, vel factum, quo quis explorare cupit, num DEUS sit potens, sapiens, &c.* Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. tentatio DEI. dicit S. Tho., duobus modis fieri potest, vel expressè, vel interpretativè; tunc dicimur expressè tentare DEUM, quando ex dubio alicujus perfectionis DEI aliquid facimus ad eam experiendam & si dubium talis perfectionis est positivum, in hoc casu tentatio DEI esset hæresis formalis. Duobus modis tentatur DEUS interpretativè, primò, quando media naturalia ad finem

aliquem conducentia prætermittimus eâ intentione, ut independenter ab ijs consecutionem talis finis nobis conferat DEUS; si infirmus independenter à medicinis prætenderet à DEO sanitatem. Secundò, quando aliquis se exponit periculo, à quo solus DEUS eum liberare potest: v. g. si quis ex alta turri se præcipitem daret. Ita Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 34. n. 1. & 2.* Tentare DEUM expressè est peccatum adeò grave, quòd non possit esse veniale ob parvitatem materiæ. Tentare DEUM interpretativè est etiam peccatum mortale ex natura sua; quamvis possit non esse mortale ex triplici causa; primò, ex ignorantia, quæ non sit crassa: secundò, si quis se exponeret alicui periculo ex speciali DEI impulsu, ut legitur de S. Appollonia projiciente se in ignem: Tertiò, ex parvitate materiæ: v. g. si quis in levi infirmitate nollet uti medicinis ex vana spe recuperandi miraculosè sanitatem absque ejusdem petitione. Sic Lessius *de Justit. lib. 2. cap. 45. dub. 1. n. 4. in fine* Sanchez *supr. n. 5. in fine.*

26. Sacrilegium, quod est altera species Irreligiositatis est *alicujus Sacri violatio*; & potest fieri tribus modis; primò, *contra locum sacrum*; secundò, *contra personam sacram*; tertiò, *contra rem sacram.* Primo modo fit per vulnerationem, vel homicidium in Ecclesia: secundo modo: quando manus violentæ injiciuntur in personam sacram, id est Sacerdotem, vel committitur peccatum cum persona votum castitatis habente: tertio modo tandem, quando Sacramenta indignè recipiuntur, vel furto accipiuntur calices, vel aliæ res sacræ.

De perjurio, quod est etiam species Irreligiositatis, agam in secundo Præcepto cap. 1. Et de Simonia *tract. 10. num. 133. & seq. in explicat. Propositi. 45. & 46. ab Innocentio XI. damnatarum, & in part. 2. hujus praxis tract. 10. n. 141.*

27. P. P. R. me accuso, quòd procurando vulnere usus fuerim quodam viro habente in opinione hominum virtutem curandi similia vulnera, & prolatâ desuper aliquâ oratione me curavit.

C. Applicuitne ille vir vulneri aliquam herbam, vel aliud remedium naturale, quòd potuerit habere virtutem curandi?

P. Non P. R. sed per simplicem verborum prolationem me curavit.

C. Sciat V. D. se graviter peccâsse, & hoc peccatum est species superstitionis, quæ vocatur vana observantia. S. Thomas 2. 2. *q. 96. art. 1.* quia licèt in Ecclesia sit gratia curationum, 1. *ad Corinth. 12.* hæc tamen gratia est annexa personis, & non verbis: & licèt videamus curationes fieri per verba cujusdam psalmi aut quacúmque personâ licèt indignâ prolata, ex hoc tamen non potest inferri, illa verba habere virtutem curandi, sed potius includere pactum virtuale, & implicitum cum

Dæ-

Dœmone. Suarez *de Relig. lib. 2. de Superstit. cap. 15. n. 25.*

Aliud esset, si applicuisset aliquam herbam, vel aliud remedium pollens virtute naturali sanandi; tunc licèt interposuisset aliquam devotam orationem absque quibusdam vanis, & præcisis circumstantijs, non fuisset tamen opus illicitum. Suarez *ibi n. 24.* Sanchez *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 40. n. 39.* Navarrus *in Summa latina cap. 11. n. 36. & alij multi.*

28. P. P. R. me accuso, quòd in alia occasione propter morsum à rabido cane receptum quemdam à similibus morsibus curantem vocaverim, qui per signum S. Crucis desuper formatum me curavit.

C. Hæc persona fuit ne pia, virtutibus, & bonis moribus ornata?

P. Ita P. R. erat persona talis, & pro tali ab omnibus habebatur.

C. Certum est, quòd licèt vulgus dicat, quosdam habere virtutem sanandi; hac in re tamen materia est multùm suspecta, quia Deus absque necessitate non facit miracula: nec Sancti ad libitum ea patrabant, & tamen similes personæ in quacúnque data occasione ajunt, se quemlibet curaturas; cùm tamen alijs non sint Sanctiores.

Opinio DD. super hoc punctum est, quòd, si Persona, quæ curat, sit pia, & morigerata, nec in curando aliquâ vanâ circumstantiâ uti deprehendatur, permitti possit. Suarez *ibid. n. 25.* Sanchez *tom. 2. in Decalog. lib. 2. cap. 40. n. 29.* Certius tamen, & securius est, cùm aliunde Ecclesia instituerit orationes, & exorcismos pro similibus casibus, ad eam, & suos Ministros recurrendum esse; & si fuerit necessitas, Deus conferet salutem, secùs, si quæritur salus, per alia media ad eam obtinendam? singulariter, quando media non sunt secura, & licita.

29. P. P. R. me accuso, quòd alia vice cùm multo tempore essem infirmus, nec innumerarum medicinarum ope salutem consequi possem, judicavi, me esse effascinatum, adeóque vocavi personam, quæ habebatur pro saga, seu venefica, & hæc me curavit.

C. Scivit ne V. D. quòd illa saga, aut incantatrix habuerit modos licitos ad ipsum curandum?

P. P. R. non scivi.

C. Si illa habet modos licitos, & illicitos ad curandum; licèt V. D. supposuisset pro certo, quòd modo illicito eam curatura esset, potuisset tamen liberè in genere ab ea ejus operam exposcere pro sanitate recuperanda; quia actionem indifferentem, & modo licito faciendam postulâsset, licèt aliunde ex sua malitia medijs illicitis uteretur. Suarez *loco cit. n. 9.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 95. n. 11.* Lessius *de Justit. lib. 2. cap. 44. dub. num. 35. concl. 1. & alij.*

Verùm, quando dubitatur, an habeat modos licitos ad curandum, vel non, nequit talis petitio fieri, & V. D. in hoc malè egit, cùm nescierit, an modo licito, vel illicito eam

curare posset; Suarez *ubi supr. cap.* 8. *n.* 9. §. *Atque hinc* Delrio *lib.* 6. *disq. Mag. cap.* 2. *sect.* 1. *q.* 2. *part. penult.*

30. C. Interrogavitne V. D. de modo, quo eam curare intendit?

P. Ita P. R. sed noluit quidquam dicere.

C. Quando adest dubium, an saga, seu incantatrix modo licito curare possit, tunc interroganda est de modo, isque examinandus, & si nollet dicere, habeatur pro suspecto. Delrio loco citato.

C. Dicta saga curabat ne taliter, ut semper fuerit disposita ad curandum suis maleficijs quemlibet ejus operam postulantem?

P. Ita P. R.

C. Sciendum est, aliquos docere, non esse peccatum inducere personam semper dispositam ad curandum universaliter omnes per maleficia. Ita Angelus *in Sum. verb. superstit. num.* 13. ubi citat hujus opinionis esse Aureolum *in* 4. *dist.* 34. *q.* 2. Sicut multi dicunt, licitum esse petere mutuum ab usurario, quem, constat, non aliter mutuare, nisi exercendo usuram, quando cum omnibus ab eo mutuum petentibus ita se gerere est paratus; communiter tamen reprobant DD. hanc opinionem, adeóque opposita tenenda est.

31. C. Quando illa curabat, concurrit ne V. D. ad aliquam actionem, vel se habuit merè passivè?

P. P. R. permisi eam omnia facere absque ullo meo concursu.

C. Benè fecit; quia, quando cura est malefica, licèt aliàs justificari possit petitio curæ aliquo ex suprà dictis titulis, non potest tamen quis positivè cooperari curæ maleficæ; quia nunquam est licitum cooperari actioni intrinsecè malæ, curare autem per actionem maleficam est intrinsecè malum: ergo nunquam est licitum cooperari.

32. P. P. R. me accuso, quòd semel desideraverim peccare carnaliter cum aliqua persona, & cùm non possem intentum assequi, hac incantatrice usus fui, quæ me docuit incantationem aliquam ad trahendam illam personam ad mea desideria.

C. De peccato inhonesto dicam in sexto Præcepto, hìc solùm de maleficio agendum est, & licèt vel rarò, vel nunquam contingat, quòd maleficus Confessarium confitendi causa accedat, nihilominus, cùm possit contingere, consultum est scire modum, quo Confessarius cum his se gerere debet, & est sequens.

C. Dicat mihi V. D. confitebatur ne antecedenter hoc peccatum?

P. Nunquam P. R.

C. Hæc est consuetudo similium personarum; quia primum pactum initum cum Diabolo est, nunquam confitendi hoc peccatum, eà fraude ducti, quòd si confiterentur hoc peccatum, Confessarius eos denuntiaret S. Tribunali Inquisitionis, ut postea igni traderentur. Quapropter Confessarius explicet ijs distinctè, quid sit sigillum confessionis, ratione cujus strictissimam habent Confessarij

fessarij obligationem nunquam loquendi de auditis in confessione, multò minùs eos denuntiandi S. Tribunali. Et quando habent conciones (maximè tempore missionum) repræsentanda, & discutienda est prædicta obligatio pro remedio similium personarum, pluriúmque aliarum, quæ ex dubio revelationis suorum peccatorum ea confiteri pertimescunt.

C. Habuitne V. D. alium finem in suo maleficio, quàm ad habendam cum illa persona copulam?

P. Non P. R.

C. Hujusmodi peccatum ordinariè fit cum millenis pessimis finibus, & intentionibus finistris; & aliquando fit renuntiando fidem catholicam cum pacto Dœmonis; quapropter necessariò interrogandi sunt, qua intentione maleficium patratum fuerit, & quo tempore, quibúsque circumstantijs se permiserint decipi; quia similes personæ (præsertim fœminæ) inconstantes sunt in fatenda veritate; idcirco ad has convincendas multùm interest, sequentes interrogationes adhibere; ut notat Layman *tom.* 1. *sect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. §. *unico. num.* 28.

33. C. Tradiditne V. D. aliquam scripturam Diabolo, in qua ei animam suam dono dederit?

P. Ita P. R. & hæc est maxima mea angustia, & afflictio.

C. Malitia hujus peccati solet secum ferre quamdam speciem desperationis; quia; quando tradunt Diabolo similes scripturas, sibi imaginantur non esse amplius remedium pro salute animarum suarum; sed per hoc V. D. non contristetur, quia de fide certum est, quod bonæ, perfectæque confessioni totus Infernus resistere nequaquam valeat, nec datur peccatum, seu circumstantia ita deformis, quæ per confessionem non aboleatur absque necessitate (ut vulgus ignorans putat) repetendi scripturam de manibus Diaboli; quia remisso peccato non est timendum de omnibus scripturis inferni.

Verum tamen est, quod Diabolus soleat insistere multis pugnis, & suggestionibus internis, & aliquando visibiliter apparendo, tentando persuadere similibus animabus, quòd pro illis remedium non fit amplius, cùm voluntariè se in suas manus tradiderint. Hos diabolicos aggressus retundere debet Confessarius, proponendo illis infinitam DEI Misericordiam, ac promissionem, quòd in quacunque hora ingemuerit Peccator, ac peccatorum suorum veniam petierit, hanc obtinebit, & eorumdem obliviscetur; Admoneat pariter Confessarius tales personas, ut aliquam devotam Imaginem, Reliquias Sanctorum secum ferant, ut frequenter se signent Signo S. Crucis cum aqua benedicta; & in auxiliatricem invocent Beatissimam semper Virginem MARIAM Dominam nostram ad fugandum Dœmonem; ut notavit Layman. *loco cit. num.* 18. §. *Sed quia.*

34. C. Crediditne V. D. quidquam contra fidem: v.g. quòd Deus non sit omnipotens, quòd Diabolus plus possit quàm Deus; vel quòd Diabolus non sit ad Infernum condemnatus, cùm habeat potestatem faciendi talia maleficia?

P. P.R. totum hoc credidi.

C. Hic est actus formalis Hæresis. Manifestavitne hoc operibus, aut verbis?

P. Non P.R.

C. Ergo iste casus solum includit hæresim internam, quæ, ut supra dixi, non est reservata, nec per ipsam in ullam censuram, aut excommunicationem incidit; abnegavit ne V.D. Christum, & Beatissimam Virginem Mariam Matrem ejus & Dominam nostram, aliósque Sanctos?

P. P. R. abnegavi Christum, & Sanctos suos, sed abnegandi B.V.M. nunquam animum habui.

C. Hoc est peccatum blasphemiæ, Desideratne V. D. uniri iterum S. Romanæ Ecclesiæ ut suum membrum; abjurat ne pariter omne id, quod contra nostram S. Fidem credidit?

P. Ita P. R. ex toto corde.

C. Peccavitne V. D. inhonesto peccato cum Diabolo in forma mulieris apparente?

P. Ita P. R. semel.

C. Hoc est peccatum contra naturam, & contra Religionem.

35. C. Exhibuitne aliquando V. D. Diabolo cultum, seu adorationē?

P. Ita P. R. Semper quando convenimus in nostris conciliabulis?

C. Crediditne V. D., quòd Diabolus sit verus Deus, vel quòd sit adoratione dignus?

P. Non P. R.

C. Si V. D. credidisset Diabolum esse verum Deum, eique, ut tali cultum exhibuisset, commisisset Idololatriam formalem, cùm autem adoraverit eum absque hoc errore, est Idololatria materialis, & utráque opponitur virtuti Religionis.

36. C. Docuitne V.D. quemquam alium hanc maleficij artem?

P. Ita P. R. duas personas.

C. Per hoc peccatum scandali eas ad peccatum inducendo hanc ruinam spiritualem illarum animabus intulit, quam pro certo teneat, quòd Diabolus suis suggestionibus eas sit decepturus, ut non confiteantur: Quapropter cùm V. D. hujus magnæ spiritualis ruinæ causa fuerit, justum est, ut sit illis etiam causa ædificationis, & salutis procurando persuadere eis, ut renuntient omnibus diabolicis pactis, ut confessionem Sacramentalem instituant, indicando eis, quòd ob confessionem nullum malum incurrere possint, vel aliquod damnum temporale sufferre cogantur; prout nec V. D. similia sustinere debuit.

37. C. Habetne V. D. aliquod vasculum unguenti magici, libros incantationum, aut chartas diabolicas?

P. Ita P. R. habeo apud me unum vasculum.

C. Frangat illud in frusta, comburat

rat libros, & scripturas, & deinceps absolutè non communicet cum similibus personis; & si propinquum his haberet domicilium, procul hinc abeat, si commodè fieri possit.

Noscit ne V. D. alias personas hujus artis, & iniquitatis, complices suorum maleficiorum?

P. Ita P. R.

C. Sciat, quòd non obligetur eas denuntiare juxta opinionem Suarez, *tract. de Fide disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 18. qui citat Pegnam, Simancam. Hoc idem docent Megala, Portel. apud Dianam *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 9. qui dicunt, neminem unquam obligari denuntiare complicem sui delicti; quia nemo unquam obligatur denuntiare se ipsum: sed denuntiando complicem denuntiat se ipsum virtualiter: ergo nemo obligatur denuntiare complicem. Minor probatur; quia si Petrus obligaretur denuntiare complicem suum, complex pariter obligaretur denuntiare Petrum, ut complicem suum: ergo denuntiando complicem denuntiaret se ipsum. Hæc tamen doctrina est limitata; quia in Hæresi formali externa, & in solicitatione adest obligatio denuntiandi complicem, &c.

Hoc modo examinandi, & interrogandi sunt incantatores, & malefici: & qui hanc materiam fusiùs habere desiderat, videatur Martinus de Rio *in disq. Magic. lib.* 6. *cap.* 1. *sect.* 3.

38. Circa modum, quo Confessarius cum similibus personis se gerere debet, quando mittuntur ad deponendam confessionem coram S. Officio ad hoc ut eas puniat; videatur Layman *tom.* 1. *sect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 15. *& seq.*

Placeat Divinæ Majestati per suam misericordiam illuminare, & auferre ab eorum cordibus velum tenebrosum errorum, quibus Diabolus eos obcœcatos tenet, ne veritatis lumen videre queant.

39. Ad hoc ut Confessarij tam hos, quam omnes alios peccatores ad confidendum de infinita Dei misericordia animare possint, poterunt eis sequentem casum breviter suggerere.

Refert S. Hieronymus, quòd quidam Juvenis in vitijs enutritus, & immersus deperdito timore Divino proprium Parentem, & Fratrem interfecerit, ac ablata paterna hæreditate, ablatísque omnibus sibi in paterna domo obvenientibus vagabundus per mundum, ut alter Filius prodigus totam substantiam suam consumpserit vivendo luxuriosè. Totigitur flagitijs, & sceleribus obrutus audivit quemdam sermonem de prægrandi Misericordia Dei, à quo tactus intrinsecùs confessionem multis lacrymis deposuit, & percepta salutari Pœnitentia egressus fuit Ecclesia; in via Crucifixi Imagine prospecta ad ejus pedes genibus prostratus lacrymabundus, & dolens indulgentiam, & remissionem suorum peccatorum precatus est tam vehementi cordis dolore, & amaritudine, ut ante Crucifixum è vita decesserit ob

doloris

doloris magnitudinem. Quare Populus illicò accurrit, voxque hujus prodigij ad Confessarij aures pervenit, qui unacum Populo genibus provolutus divinam clementiam pro defuncti anima postulavit; orantibus autem illis columba de Cœlo descendit in rostro habens chartam candidissimam, quam ad pedes defuncti emisit, quamque Confessarius hæc verba scripta in se continentem publicè legit: Ob vehementem dolorem, quem habuit hic Juvenis peccator, suorum peccatorum, DEUS fecit cum ipso tantam misericordiam, ut in momento, quo expiravit, anima ejus fuerit ab Angelis ad Cœlum portata absque ulla Purgatorij pœna.

Ex hoc sumant sibi animum Peccatores quomodocúmque dissoluti ad confidendum, quòd si ex corde eos pœnituerit, extensis brachijs Ter Optimus Deus patrata crimina dimmittet.

TRACTATUS II.
DE II. PRÆCEPTO.
Non assumes Nomen Domini DEI tui in vanum.

CAPUT I.
De Juramento.

1. SUppono, quòd Juramentum *sit invocatio Divini testimonij in confirmationem alicujus rei.* Dicitur *invocatio testimonij, vel Nominis DEI*; quia ad juramentum requiritur, ut invocetur Authoritas Divina, vel in se immediatè, v. g. dicendo: Juro DEO, juro per DEUM, Deus est testis, per Nomen Dei, &c. Vel ut invocetur creatura aliqua, in qua specialiter resplendet Deus, ut sunt, Beatissima Virgo Maria, Sancti, & anima rationalis, &c. Dicitur etiam *in confirmationem alicujus rei*; Quia in juramento requiritur, vel ut negetur, vel ut affirmetur res aliqua: v. g. per DEum, quòd talis fuerit in Ecclesia; per animam meam, quòd non viderim talem hominem, &c. Et quando non affirmatur, vel negatur aliqua res, & solum dicitur, Juro DEO, per S. Petrum, &c. non est juramentum, sed vana invocatio.

2. Dividitur juramentum in assertorium, promissorium, comminatorium, & execratorium. Assertorium *est invocatio Divini testimonij in confirmationem rei præteritæ, vel præsentis* v. g. Juro DEO, quòd Joannem viderim: per cœlum DEI, quòd non habeam pecunias. Promissorium *est invocatio Divini testimonij in confirmationem rei futuræ*: v. g. per Deum, quòd sim iturus ad Ecclesiam. Comminatorium *est invocatio Divini testimonij qua promittitur aliquod malum pœnæ*: v. g. Juro Deo, quòd occidam Petrum. Execratorium *est, quando Deus invocatur ut Judex in confirmationem alicujus rei*; Et hoc multis modis fieri potest: primò in confirmationem alicujus rei præsentis, vel præteritæ. v. g. Diabolus me rapiat, si heri non fui

sui in tali loco; ne possim abhinc discedere, si habeo pecunias, in hoc casu juramentum execratorium est etiam assertorium: secundò, juramentum execratorium potest fieri in confirmationem alicujus rei futuræ? v. g. ne possim unquam intrare Paradisum, si non dedero tali eleemosynam: hoc juramentum execratorium est etiam promissorium. Tertiò, juramentum execratorium potest fieri minaciter v.g. possim mori, si non concutiam Antonium; hoc juramentum execratorium est etiam comminatorium: & si fieret hac intentione, & animo, ut si illud non adimpleat, morte moriatur, haberet tres malitias graves specie distinctas; unam contra quintum Præceptum propter odium, & malum desiderium contra proximum conceptum: aliam contra secundum Præceptum propter invocationem Authoritatis Divinæ in confirmationem rei malæ; & tertiam contra propriam charitatem desiderando sibi ipsi mortem.

3. In juramento promissorio, & comminatorio interveniunt duæ veritates, una de præsenti, alia de futuro; illa de præsenti (quæ veritas principalis vocari solet) est intentio exequendi id quod promittitur, aut minatur: Illa de futuro (quæ veritas minùs principalis vocari solet) est physica executio rei promissæ, vel minatæ: v. g. Juro DEO, quòd eleemosynam dare velim, vel per Deum, quòd occidere velim Petrum, intentio, quæ habetur tempore juramenti, sive dandi eleemosynam, sive occidendi Petrum, est veritas principalis, & de præsenti; dare autem eleemosynam, aut occidere est veritas de futuro, & minus principalis. Quandocúnque in juramento deest veritas de præsenti, est peccatum mortale: cùm in hoc non detur parvitas materiæ; quia non habere veritatem de præsenti, nihil est aliud, quàm jurare falsum: jurare autem falsum semper est peccatum mortale, absque eo, quòd parvitas materiæ inesse possit: Ergo semper deficiente veritate de præsenti in juramento est peccatum mortale, absque eo, quòd in hoc sit parvitas materiæ. Quando est veritas de præsenti, non autem illa de futuro, est peccatum mortale, si est materia gravis, si verò est levis, solùm veniale erit. Ita opinantur multi, & graves Authores, quos citat, & sequitur Leander á S. Sacram *part.* 7. *tract.* 1. *disp.* 7. *q.* 33. Si verò juramentum est comminatorium, non est obligatio illud adimplendi,, nec inferendi malum, quod Proximo minamur.

4. Solent aliqui dividere juramentum in reale, verbale, & mixtum. Reale est, quando fit juramentum tangendo Crucem, vel Evangelium: Verbale est, quando simplicibus verbis profertur: v. g. Juro DEO, quòd hoc verum sit: mixtum est, quando fit verbis, & tactu sacrarum rerum: v. g. Juro Deo, & per S. Evangelium, quod tango, quòd hoc sit verum: Hæc tamen divisio juramentorum

non est diversa moraliter, nec est necessarium explicare in confessione, an juramentum sit reale, verbale, vel mixtum, ut videri potest in Sanchez *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 9.

5. Suppono secundò, quòd juramentum factum cum debitis circumstantijs sit actus virtutis Religionis, quod colligitur ex illo *Deuter. cap.* 6. ubi dicitur. *Dominum DEUM timebis, & illi soli servies, & per Nomen illius jurabis.* Tres conditiones requiruntur, & sufficiunt, ut juramentum sit justum, scilicet, Veritas, Justitia, & necessitas, ut habetur ex Proph. Jerem. *cap.* 4. ubi dicitur: *jurabis, vivit Dominus, in veritate, & judicio, & justitia.* Veritas consistit in hoc, ut verba dicentis correspondeant intentioni; secùs, est peccatum mortale, sive sit materia gravis, sive levis; Necessitas, vel judicium consistit in hoc, ut non fiat juramentum sine causa; & si hæc desit, adsit verò veritas, & justitia est peccatum veniale. Justitia in hoc sita est, ut res sit licita, & id, de quo fit juramentum, sit bonum; quia jurare ad faciendam rem malam est peccatum mortale, si est res gravis, si levis, leve. Ita Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *in Decalog. q.* 1. *punct.* 3. *num.* 7.

6. P. P. R. dico meam culpam, quòd habeam malum habitum, & pessimam consuetudinem jurandi quasi semper.

C. Quibus verbis V. D. solet jurare?

P. P. R. aliquando juro per Christum, aliquando per animam meam, per vitam meam, & per Crucem.

C. Ut cum distinctione procedamus, supponendum est, quòd juramentum consistat in invocando Deum in testem illius rei, de qua fit juramentum: Et ut verbum sit juramentum, requiritur intentio formalis, vel virtualis jurandi: quandocunque talia verba proferuntur, quæ in communi acceptione sunt recepta & habita pro juramento, est intentio virtualis jurandi.

7. Dicere, juro Deo, Sanctis, vivit Deus, per Crucem, per vitam animæ meæ, per habitum S. Petri, S. Francisci, sic Deus me salvet, per Cœlum DEI, per fidem Christi: hæc omnia, & similia sunt juramenta.

Dicere autem, juro, absque alia additione; Deus hoc scit, non est juramentum; ut nec dicere in fidem meam, in bonam fidem, fide jurata, quia per hæc verba non intelligitur aliud, quàm fides humana, nec dicere, in conscientia mea, vel per vitam meam, est juramentum; quia nihil aliud intelligitur, quàm usus rationis exclusa anima: Neque dicere; ita Deus me adjuvet, aut, velut faciunt Matres filijs, per hoc mihi solves, ponendo digitum ad frontem; quia in nullo horum verborum intervenit Authoritas DEI. Hæc omnia videri possunt in Thom. Sanchez *tom.* 2 *Decalog. lib.* 3. *cap.* 2. *per tot.* in Fagundez *supra Decolog.* 2. *cap.* 2.

8. Dica

8. Dicat mihi V. D. hæc consuetudo jurandi est ne cum veritate vel mendacio?

P. P. R. prout offertur occasio, aliquando cum veritate, aliquando cum mendacio.

C. Consuetudo jurandi, quando ejus actus semper est in veritate, peccatum veniale non excedit; quia consuetudo est habitus genitus ex frequentatis actibus, & est ejusdem speciei, & naturæ cum illis: sed jurare in veritate est solùm peccatum veniale: ergo & consuetudo jurandi est malitia tantùm venialis.

Sed quando talis consuetudo est causa, & occasio jurandi cum mendacio, tunc est peccatum mortale; quia expònere se periculo peccandi mortaliter, est peccatum mortale: sed consuetudo, quando est occasio, & radix, à qua emanant falsa juramenta, exponit periculo mortaliter peccandi: ergo hæc consuetudo per se erit peccatum mortale.

9. C. Mihi dicat V. D. quando juravit cum mendacio, juravit ne cum advertentia, vel solùm ex habitu contracto sine reflexione, aut consideratione?

P. P. R. non adverti, nisi post juramentum.

C. Advertentia, quæ est posterior actu, non facit illum peccaminosum; quia si in illius productione non habuit advertentiam, non fuit voluntarius; & actus præteritus non est subjectum capax malitiæ, quam nec in principio habuit, secundùm communem regulam, quæ dicit, *quod ab initio non subsistit, tractu temporis non coalescit.*

Cùm ergo in suis falsis juramentis defuerit advertentia, non sunt peccata mortalia. Idem dicendum de consuetudine jurandi, si sit revocata per actum veri doloris, & propositum emendationis. Et Ratio est; quia consuetudo, ut dixi, est habitus malitiam contrahens ab actibus: sed actus juramenti falsi deficiente advertantiâ non est peccatum mortale: ergo nec erit consuetudo inducens aliquando ad falsè jurandum sine advertentia; ita docet Suarez, & Reginaldus, Thomas Sanchez, & alij, quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 5. resol. 62.* Quare sufficit se accusare de omissione in eradicando hanc malam consuetudinem jurandi sine advertentia. Diana *ibidem.* Idem dic ob eandem rationem de consuetudine maledicendi, & blasphemandi.

10. C. Potestne V. D. recordari de numero juramentorum cum veritate, & eorundum cum mendacio?

P. P. R. mea juramenta numerum non habent; vix verbum protuli, quod non fuerit juramentum.

C. saltem recordabitur quoties in septimana, aut in die accipiendo unam diem, post aliam?

P. Non est possibile; quia aliquando vigesies in die juravi, aliquando plus, aliquando minus.

C. Ergo sufficit, quòd se accuset

de habitu jurandi aliquando cum veritate, aliquando cum mendacio per integrum curſum horum triginta annorum; eſt enim principium generale, quòd, quando Pœnitens in quacumque materia non poſſit ſcire numerum ſuorum peccatorum, accuſet ſe de habitu, & conſuetudine; ita Navarrus, Henriquez, Toletus, quos citat, & ſequitur Fagundez *Juper Præcepta Eccleſiæ lib. 2. cap. 4. num. 11.* & alij.

11. C. Solebat ne V. D. jurare cum mendacio taliter, ut per ſuum juramentum Proximus fuiſſet damnum paſſus, vel in bonis, vel in honore?

P. P. R. de hoc non recordor.

C. Habuitne V. D. conſuetudinem jurandi dicendo, juro Chriſto?

P. Ita P. R. multoties.

C. Solebatne V. D. jurare hoc modo minanter: v. g. juro Chriſto, quòd ipſum occidere velim?

P. Ita P. R. quando quis injuriam aliquam mihi intulit, juravi hoc modo.

C. Dicere, juro Chriſto ſine alia additione, non eſt juramentum; quia ad juramentum requiritur affirmatio, vel negatio: at hìc neutra ex his invenitur: ergo non eſt juramentum, ſed eſt ſolùm invocatio quædam Divini Nominis ſine neceſſitate, & eſt peccatum veniale.

Sed quando fit juramentum minaciter in re gravi, eſt peccatum mortale, & vocatur juramentum comminatorium; quia, vel fit juramentum animo adimplendi comminationem, vel non; ſi eſt abſque animo adimplendi, deeſt veritas de præſenti, & eſt juramentum falſum, ſed juramentum falſum ſemper eſt mortale: ergo juramentum comminatorium, ſi deſit intentio id adimplendi, ſemper eſt mortale. Si fit juramentum animo adimplendi comminationem, ſunt duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ; una contra juſtitiam, cùm deſideret Proximo malum facere, altera contra Religionem: quia utitur authoritate DEI ad confirmandam rem adeò malam, ut eſt deſiderium vindictæ; ita communiter DD. Sotus *lib. 8. q. 1. art. 3.* Cajetanus *art. 7.* quos citat, & ſequitur Leſſius *lib. 2. de Juſt. cap. 42. dub. 4. num. 18.*

12. Si tamen comminatio, quæ fit cum juramento, ſit levis, non eſt mortale juramentum animo adimplendi factum, ſed erit ſolùm veniale; ita DD. ſupra cit. & alij, quos citat, & ſequitur Murcia *tom. 2. diſp. lib. 4. diſp. 4. reſol. 1. n. 18. in fine.*

Et licèt juramentum comminatorium fiat de minima re, ſi deeſt intentio eam adimplendi, ſemper eſt peccatum mortale; quia deeſt veritas de præſenti, juramentum autem carens veritate de præſenti ſemper eſt peccatum mortale, nec in hoc caſu excuſat parvitas materiæ.

Idcirco admoneant Confeſſarij illos, qui ſimilia juramenta comminatoria eliciunt, non teneri ea adimplere; imo magis peccare ea exequendo; quia juramentum *non ob-*

vin-

vinculum iniquitatis. Hoc idem dicitur, quando juramentum fit de re indifferente, quam exequi nullus obligatur.

13. Juravit ne aliquando dicendo, Diabolus me rapiat potiùs, quàm hoc facere?

P. Ita P. R. multoties.

C. Hoc est juramentum execratorium (licèt ab ignorante vulgo confundatur cum maledictione) in his juramentis execratorijs sunt duæ malitiæ, una gravis, altera levis. Levis, est imprecatio, per quam Dæmon invocatur; & est levis; quia nunquàm ordinariè desideratur, ut Diabolus nos rapiat. Gravem illo dilemmate declaro, quo declaravi juramentum comminatorium: vel desideratur exequi id, quod affirmatur cum hac execratione: v.g. ut fiat hæc, vel alia res, vel non desideratur: Si non desideratur, nec habetur intentio exequendi, deest veritas de præsenti, & est juramentum falsum, consequenter peccatum mortale, si verò desideratur; cùm hoc desiderium tendat ad malum proximi, deest justitia, consequenter erit injustitia gravis, vel levis secundùm gravitatem mali desiderati, ut de juramento comminatorio dictum est.

14. Idem proportionaliter dicendum est de juramento promissorio quo ad veritatem de præsenti: quia quo ad veritatem de futuro idem respectivè dicendum est, ac de voto, de quo inferius agetur. Advertendum præterea est, quòd omnia juramenta assertoria, promissoria comminatoria, & execratoria non distinguantur specie in ratione juramenti ex eo, quòd modò fiant per Deum, modò per Sanctos, modò per aliam creaturam, vel quocúmque alio modo; ita Cajetanus, Sotus, Lessius, Azorius, & alij, quos citat, & sequitur P. Murcia *tom. 2. disq. lib. 4. disp. 4. resol. 1. n. 6.* Et ratio est; quia ratio formalis juramenti consistit in invocatione Dei in testem rei juratæ: sed in hac ratione conveniunt specificè omnia juramenta: ergo in ratione juramenti sunt omnia ejusdem speciei.

Dico, *in ratione juramenti*; quia per alias circumstantias distinguuntur specie: v.g. si juramentū fiat cum blasphemia; vel si in comminatorio desideretur vindicta; vel si assertorium fiat in manu Judicis; tunc enim habet annexam injustitiam, si sit falsum; cùm sit juramentum juridicum: ita Fagundez *Super Decalog. lib. 2. cap. 4. num. 6.*

15. P. P. R. me accuso, quòd, multoties videndo filios meos non exequi id, quod illis imposui, juraverim dicendo, juro Christo, quòd hoc mihi solvetis, & postmodùm sæpissimè nihil fui executus.

C. Cùm moderata filiorum castigatio, ut in timore Dei educentur, sit res bona, & laudabilis, sequitur, quòd hujusmodi juramentum obliget ad executionem, multæ tamen causæ sunt, quæ ab hac obligatione excusant: v.g. quando aliquis ami-

cus, vel vicinus se interponit, ut castigatio suspendatur: quando ob castigationem timentur rixæ, & discordiæ in domo; quando filius in se reversus resipiscit, & veniam petit; & universaliter loquendo, quando prævidetur major fructus secuturus ex condonatione, quàm ex castigatione; ita Cajetanus, Toletus, Lessius, Sanchez, Navarrus cum alijs, quos citat, & sequitur Fagundez. *lib. 2. Decalog. cap. 4. num. 14. & 15.*

16. P. P. R. me accuso, quòd quadam vice, dum meus Proximus pecunias à me mutuò peteret, & ad id non inclinarem, licèt eas habuerim, ipsi negaverim dicendo, pecuniæ, quas habeo, sint maledictæ.

C. Hoc non est juramentum, nec execratio; quia maledictio non cadit supra personam, sed supra pecunias; sicut nec ex hac ratione est juramentum, quando dicitur, sit maledictus bolus, quem comedi; ita Sanchez *super Decalog. tom. 2. lib. 3. cap. 2. n. 42.*

17. P. P. R. me accuso, quòd Petrum debitorem, & id negantem ad juramentum coram Judice præstandum obligaverim; cùm hoc fuerit falsum, me accuso, quod fuerim causa hujus falsi juramenti.

C Scivit ne V. D. pro certo, quòd sit falsè juraturus?

P. P. R. pro certo non scivi, licèt dubitaverim ipsum eodem modo se gesturum coram Judice, sicut mecum se gessit.

C. Si V. D. pro certo sciviset illum falsè juraturum, graviter peccasset eum obligando ad juramentum; quia obligasset ad actionem intrinsecè malam, cùm verò solùm dubitaverit, non peccavit cogendo eum ad juramentum; quia *in dubio nemo præsumitur malus, nisi probetur*, ita Suarez, Sanchez, & alij apud Fagundez *super Decalog. lib. 2. cap. 7. n. 4.*

18. P. P. R. me accuso, quòd pro informatione faciendâ de quodam idem domicilium habente cum Hæbræo. duas personas examinandas vocaverim, quas, verè scivi, ignorare defectum, de quo erant examinandæ, ac proinde cum virum illum justum reputarent, de ejusdem innocentia juramentum emiserunt.

C. V. D. in hoc non peccavit juxta Hurtadi opinionem, quam citat, & sequitur pro probabili Diana *part. 5 tract. 7. resol. 15.* Quintana Duen. apud P. Murciam *tom. 1. disq. lib. 2 disp. 5. resol. 2. num. 8.* ejusque opinionem approbat ipsemet Murcia *num. 20.* qui docet, licitum esse inducere alium ad jurandam rem, quæ realiter falsa est; sed ille, qui jurat putat esse veram: quia licitum est inducere alium ad faciendam rem, quæ mala non est: sed jurare falsum materialiter (quod fit, quando deponitur juramentum, quòd res sit, ut creditur esse) non est peccatum. Ergo talem inducere ad juramentum non erit peccatum. Sententia tamen contraria videtur mihi verior, & probabilior; quia stolidus, & mens corruptus non peccat actionem in hon-

honestam patrando, & tamen hoc non obstante non est licitum, eum inducere ad inhonestatem: ergo licèt ille, qui jurat falsum materialiter, excusetur à peccato ob ignorantiam, tamen non erit licitum inducere talem ad juramentum. Hanc Sententiam tuetur Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 11. *q.* 2. §. *Quæres* Suarez, *tom.* 3. *lib.* 3. *de Justit. cap.* 14. *num.* Et licet sententia prima Hurtadi sit probabilis, debet tamen limitari in hoc, ut juramentum non cedat in damnum tertiæ personæ; ita limitat Lugo *tom.* 2. *de Justit. disp.* 39. *sect.* 3. Joannes Martinez à Prato *Præcept. qq. tom.* 2. *cap.* 24. *q.* 6. §. 5.

19. P. P. R. me accuso, quòd, cùm in eadem informatione hi duo testes existimaverint illam personam esse illegitimam, cum tamen alias legitima fuerit, ego de veritate certiores reddiderim, & ex hoc emiserunt juramentum, quòd sit legitima.

C. Proposuitne V. D. illis rationes tales, & testes fide dignos, ac sufficientes ad auferendum ab illis errorem?

P. Ita P. R. vocavi duas personas bonæ conscientiæ, & omni fide dignas, quæ attestatæ sunt legitimam esse.

C. Hi duo testes præstiterunt ne fidem absque ullo dubio, aut difficultate his duabus personis, quòd talis persona fuerit legitima?

P. Ita P. R.

C. Licitè ergo, & prudenter egit V. D., ut ait Hurtadus cum Diana *loco cit. resol.* 10. licitum est enim inducere alium ad jurandam veritatem, quam ignorat, erudiendo eum prius vel per se immediatè, vel per personas fide dignas. Et ratio est; quia si illi testes veritatem sciviissent, potuissent induci ad jurandum: atqui sciverunt eam ex testimonio illarum duarum personarum: ergo ad juramentum obligari poterant.

20. P. P. R dico meam culpam, quòd, postquam vidi Joannem occidentem Petrum, fuerim ad examen vocatus, & occultaverim veritatem amphibologicè respondendo.

C. De modo, quo uti possumus amphibologiâ, agem postea *in tract.* 10. *super Propositiones* 28. *&* 27. ubi explicatur, in quo sensu sint damnatæ amphibologiæ, nunc solum discutiam, quando in hoc casu adsit titulus, aut causa occultandi veritatem.

C. Dicat mihi V. D., habuitne Judex semiplenam scientiam, vel probationem?

P. P. R. jam scivi, quòd Joannes fuerit legitimè accusatus, & denuntiatus.

C. Quando non habetur semiplena probatio delicti, potest veritas occultari, licèt reus sit legitimè denuntiatus, & jam probata sit infamia sine tamen semiplena probatione, hoc est teste, qui deposuerit, aut contra reum talia indicia adduxerit, quæ semiplenæ probationi æquivaleant; ita communiter DD. apud Murciam *tom.* 2. *disq. lib.* 4. *disp.* 4. *resol.* 4. *num.* 12. *in fine.* Layman *tom.* 1. *lib.*

1. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 3. 3. *&* 9.

21. P. P.R. non scivi, an Judex habuerit semiplenam probationem, nec nè.

C. Cùm V. D. in dubio fuerit, non tenebatur fateri veritatem. Et pro hujus intelligentia supponendum est, Judicem duas actiones, seu Jura habere; unum, procedendi ad examen, & interrogationes testium, alterum, quòd testis juxta mentem Judicis sine veritatis occultatione respondeat. Ut Judex procedere possit ad inquisitionem, & examen, sufficit, quòd reus sit legitimè accusatus, & ejus infamia sit probata; sed ad hoc, ut Judex habeat Jus exigendi, ut testis, vel reus juxta suam mentem sine veritatis occultatione respondeat, necessarium est, ut Judex semiplenam probationem habeat; quia licèt tunc Judex legitimè interroget, non habet tamen legitimum Jus obligandi ad non occultandâ veritatẽ. Ex quo colligitur quòd, quando reus, vel testis dubitat, an Judex semiplenam probationem habeat, possit veritatem occultare. Et ratio est; quia in dubio melior est conditio possidentis: sed reus est in possessione suæ indemnitatis, dum ipsi non constat, quòd Judex habeat contra se semiplenam probationem: ergo in dubio favendum est reo, quòd veritas occultari possit. Videatur P. Leander à Murcia *tom.* 2. *disq. lib.* 4. *disp.* 4. *resol.* 4. *n.* 12. *&* 13. & pariter id, quod circa hoc fusius dicam *in* 2. *part. hujus praxis tract.* 15. *cap.* 1. *num.* 2. *& cap.* 16. *num.* 69. *& cap.* 7. *num.* 77. *& seq.*

22. P. P. R. dico meam culpam, quòd in quadam occasione, post quam perdidi multum de pecunia per lusum, juraverim, me non amplius lusurum, post hoc tamen lusi vigesies.

C. His vicibus lusit ne V. D. distractionis, & recreationis gratiâ vel pecunijs expositis?

P. P.R. quatuor vicibus lusi distractionis gratiâ; cæteris verò exponendo pecunias.

C. Hoc fuit juramentum promissorium, quod obligat adimplere id quod promissum est, cùm sit *de meliori bono*. Attamen cùm tota vis promissionis consistat in intentione promittentis, & motivum V. D. in emittendo hoc juramentum fuerit perditio pecuniarum, finis verò in posterum non amplius perdendi ideò quotiescunque lusit exponendo pecunias post factum juramentum, violavit illud peccando mortaliter; sed illis quatuor vicibus, quibus distractionis gratiâ lusit, non peccavit; quia distractio cum duobus amicis prædicto fini non opponitur.

23. P. P.R. dico meam culpam quòd alia vice, cùm lusissem cum Petro, & perdidissem aliquos regales hic discessit renuendo prosequi lusum, & ego iratus, juraverim, me non amplius cum eodem lusurum.

C.H

C. Hic lusus cum Petro fuitne V.D. occasio inquietudinis, rixarum, quia fortè vir litigiosus est?

P. Non P.R. sed solùm juravi ex indignatione, quòd noluerit continuare lusum.

C. Quando similia juramenta fiunt in finem non ludendi cum personis, quæ occasionem dant ad rixas, juramentum est validum, & obligat. Hoc idem dicendum est, quando fit juramentum non ludendi in tali domo, vel tali lusu, quæ sunt occasio alicujus damni. Ratio est; quia juramentum promissorium *de meliori bono obligat*; sed melius bonum est non ludere cum similibus personis in tali domo, tali lusu, ubi est occasio mali, quàm ludere: ergo juramentum obligat. Sanchez *tom.* 1. *Decalog. lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 9. Quando verò ludere cum tali persona in tali domo, tali lusu non est occasio mali, sed solùm fit juramentum ob aliquam indignationem, tale juramentum non obligat. Sanchez *ibid. num.* 10. Et ratio est; quia juramentum promissorium, ad hoc, ut obliget debet esse de meliori bono: sed non est melius bonum non ludere cum tali persona in tali domo, tali lusu, quando motivum est tale, quale superius: ergo non obligat. Verum tamen est, quòd facere similia juramenta sit peccatum grave, vel leve juxta gravius, vel levius motivum, ob quod fit juramentum.

24. P. P. R. dico meam culpam, quod, quotiescúnque ludo, prorúmpam in juramenta, & maledictiones; quia sum ita infortunatus, ut rarò ex lusu lucrum aliquod percipiam.

C. Hoc contingit ordinariè in lusu, & licèt V. D. non juràsset se non amplius lusuram, peccat tamen, quandocúmque ludit pro re alicujus momenti ob causàm horum juramentorum; quia non solùm est peccatum malè facere, sed etiam exponere se periculo malè faciendi: sed V.D. lusus est periculum malè faciendi per juramenta, & maledictiones: ergo quandocúmque ludet, peccabit; & cum in V.D. hoc peccatum sit consuetudinis, & occasionis proximæ ad tot juramenta, & blasphemias, V. D. est incapax absolutionis, nisi emendationem procuret.

Quomodo, & quando negari debeat absolutio propter Consuetudinem, aut occasionem, dicetur posteà *in tract.* 10. *Propositione* 60.

P. Poteritne R. P. me liberare ab obligatione juramenti emissi non amplius ludendi?

C. Ita Fili, multa dantur media, scilicet per dispensationem, Commutationem, relaxationem, de quibus agam in materia de voto.

25. P. P. R. dico meam culpam, quòd Joanni centum regales obtulerim, ut Petrum baculizet, sed secuto effectu promissis meis stare noluerim.

C. Primò V. D. commisit duo peccata mortalia; unum injustitiæ, cùm fuerit causa damni â Joanne

Petro illati, alterum scandali, cùm Joanni occasionem peccandi dederit.

Quo ad solutionem centum regalium V. D. non obligatur in opinione probabili; quia promissio facta ob rem peccaminosam, & prohibitam non obligat etiam secuto effectu: v g. Petrus promittit Bertæ, si permittat habere copulam cum ea, se daturum tantum: ille non obligatur servare promissum. licèt Berta consenserit eique complacuerit; ita Lessius *tom.* 1. *lib.* 2. *de Justit. cap.* 18. *dub.* 3. *num.* 2. Navarrus & alij, quos citat, sed non sequitur Fagundez *super Decalog. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 46. Et ratio est; quia sicut dicit *Jus de regul. Jur. in* 6. *non est obligatorium juramentum contra bonos mores*: sed hæc juramenta, & promissiones sunt contra bonos mores: ergo non obligant.

Hoc non obstante probabilius est, quòd obligent secuto opere promisso; quia promissio non fuit gratuita, sed onerosa, in contractibus autem onerosis ambo contrahentes tenentur stare pacto inito: ergo impleto opere juramenta promissoria obligant S. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 2. Cajetanus, Covarruvias, & alij, quos citat, & sequitur Fagundez *loco citato num.* 45.

Dixi, quòd promissa obligent secuto effectu; quia ante executionem v g. ante verberationem Petri nulla fuit obligatio; cùm nemo possit obligari ad executionem rei malæ.

Caput II.
De Blasphemia.

26 P. P.R. confiteor, quòd in quadam occasione ex impetu iræ dixerim, denego Deum, & Confirmationem, quam habeo; per caput S. Pauli, &c.

C. Hæc omnia fuerunt verba blasphemiæ, cujus malitia consistit in convitio, sive contumelia contra Deum, vel Sanctos, quod fieri potest tum verbis, tum opere.

Per hoc, quòd verba sint contra Deum, vel Sanctos, blasphemiæ non distinguuntur specie. Azorius, Valentia, & alij, quos citat, & sequitur Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 50. & *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 21. Hoc idem dicunt meo judicio illi, qui tenent, quòd contumeliæ inter se non distinguantur specie. Lugo. *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 5. §. 3. *n.* 26. & citat pro hac opinione Cajetanum, Sa, Azorium, & alios.

27. Eò minùs distinguuntur numero, quando multæ blasphemiæ dicuntur ex unico impetu continuato iræ; quia interruptio physica non multiplicat numerum peccatorum, sed solùm interruptio moralis; quando ex unico impetu continuato multæ blasphemiæ dicuntur, non est interruptio moralis, sed tantùm physica: ergo non multiplicantur numero; ita Navarrus apud Caspensem *tom.* 1. *tract. de Peccatis disp.* 2. *sect.* 8. *n.* 70. & colligitur ex Lugo *loco cit. sect.* 14.

sect. 14. §. 2. *n.* 59. ubi docet, quòd is, qui ex unico impetu continuato dicit multas detractiones, unum numero peccatum committat.

28. P. P. R. confiteor, me alijs vicibus dixisse, per vitam Dei.

C. Quamvis multi teneant prædicta verba continere blasphemiam; Caspensis tamen est opinionis contrariæ. *tom.* 2. *tract.* 15. *de Fide. disp.* 6. *sect.* 3. *num.* 15.

29. P. P. R. pariter confiteor, me semel dixisse, laudetur Diabolus.

C. Dixit ne hoc credendo, quòd Diabolus sit laude dignus?

P. Non P. R. sed solùm ex ira hoc protuli.

C. Si hæc prolatio fuisset cum errore, & credidisset, Diabolum esse laude dignum, talis consensus fuisset Hæresis; cùm autem fuerit absque hoc errore, hoc verbum reducitur ad Idololatriam materialem; cum Idololatria consistat in exhibitione cultûs Deo debiti Diabolo: sed V. D. per illa verba exhibuit Diabolo cultum Deo debitum: ergo fuit peccatum Idololatriæ; non quidem formalis, quia error non concurrit intrinsecùs, sed materialis: per hæc verba commisit etiam blasphemiam; quia laudare Diabolum, est inhonorare, & rejicere Deum.

30. Advertendum est hìc, quòd dicere abnego Deum, sit blasphemia hæreticalis, & potest esse tantùm materialiter hæreticalis, vel formaliter: materialiter erit, quando hæc verba dicuntur absque interno errore contra Fidem: formaliter verò hæreticalis erit, quando est cum hoc errore: absolutio blasphemiæ formaliter hæreticalis spectat ad Tribunal S. officij.

Quando verò est materialiter hæreticalis, & publica vel consuetudinaria, licèt sit S. Officio reservata; vi Bullæ Cruciatæ potest absolvi totiès, quotiès; Hoc idem dicendum est de alijs casibus huic Tribunali reservatis: v. g. Sortilegia, maleficia, &c. Omnia hæc absolvi possunt vi privilegij Bullæ totiès quotiès, excepta Hæresi externa, ita docet Suarez, Filiucius, Alcherius apud Dianam *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 7. & Murcia *tom* 2. *disq. lib.* 4. *disp.* 1. *resol.* 14. *n.* 12. Quando dicatur publica blasphemia, vel ex consuetudine, & quando per hoc sit S. Officio reservata, videri potest in Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 68. *&* 69.

31. P. P. R. me accuso, quòd subinde dixerim, per passionem Christi, quòd hoc ita se habeat, vel quòd habeam ad faciendum hoc, vel illud.

C. Hoc verbum rigorosè sumptum est blasphemia; quia in toto rigore est exponere Passionem Christi contemptui, si id, quod affirmatur, non est verum.

In communi verò sensu hoc verbum non accipitur in tali rigore, in quo, si non accipiatur, non est blasphemia; prout nec dicere, hoc tam verum est, quàm verum est, Christum pro nobis fuisse passum. Hoc idem, ait Caspensis, dicendum est, quando dicitur per Caput, per vultum

Christi. *tom. 2. tract. de Fide disp. 6. sect. 3. num. 15.*

Caput III.

De Maledictione.

32 P. P. R. confiteor, me habere Diabolicum habitum maledicendi frequentissimè, dicendo, Diabolus te rapiat.

C. Soletne V. D. proferre hanc maledictionem seriò, & ex animo, ut Diabolus illas personas rapiat, contra quas eamdem profert? quia datur maledictio materialis, & formalis: Materialis est, quando non seriò, & ex animo perverso malum illud proximo exoptamus: Formalis verò, quando seriò ex tali animo malum intendimus; maledictio formalis est peccatum mortale; materialis verò veniale.

P. P. R. in iracundia maledicere solebam.

33. C. Solebatne proferre has maledictiones contra Filios, vel domesticos, vel inimicos.

P. P. R. contra quemlibet causam inquietudinis mihi præbentem.

Non est facilè Confessarijs discernere, quando Pœnitentes maledicant ex mala intentione, & quando non; cùm aliud respondere nesciant, nisi, quòd maledicant, quando irascuntur; & ad formandum judicium in hac materia opus erit illos interrogare contra quam Personam jecerint has maledictiones; si contra Filios, uxorem, amicos, ordinarie sunt maledictiones materiales; cùm Parentes nunquam soleant desiderare proprijs proiibus simlia mala.

Si verò maledictiones proferantur contra extraneos, respicienda est occasio maledicendi, & natura maledicentis; si occasio fuit gravis, quæ potuerit esse motivum alicujus odij formalis, maledictio tenenda est pro formali; pariter quando persona est valde iracunda: licèt occasio non fuerit adeò gravis.

34. Non est tamen necessarium explicare qualitatem maledictionum, an fuerint prolatæ contra personas, vel honorem, vel vitam, vel bona; quia hæc differentia est Physica, & non moralis, ut ait Fagundez *super Decalog. lib. 8. cap. 12. n. 27.* Licèt Bassæus contrarium teneat *verb. Maledict. num. 5.*

35. C. Solebatne V. D. proferre has maledictiones cum advertentia? licèt enim ex pravo fine prolatæ fuerint, si defuit advertentia, non fuerunt peccata gravia; quia non adfuit libertas.

P. P. R. ego eas protuli in illa iracundia, quæ tamen non fuit permanens, sed immediatè transiens.

C. Cessatio repentina iræ non est argumentum inadvertentiæ, ut optimè notat P. Bassæus *loco supra cit. in Supplemento n. 3.* quia, quando passio iræ statim transit, signum est, quòd non fuerit adeò vehemens, ut potuerit obcæcare úsque ad privationem advertentiæ, imò oppositum infertur ex repentino transitu iræ, nempe, quòd

quòd non fuerit talis turbatio animi, ut advertentiam tollere potuisset.

36. Ad dignoscendum, quando nam sit motus primò primus, signum est, quando persona taliter obcæcatur passione, ut non advertat id, quod profert, & quando in se revertitur, vix recordatur, quid nam dixerit, dolétque summopere de præterito dicto. Pariter advertendum est, an persona sit valdè iracunda, & an occasio fuerit vehemens; signum certum est, quòd maledictiones sint cum advertentia, quando pluriès repetuntur per spatium temporis continuatum; & si postea in corde aliquod odium, vel rancor remaneat, signum est, quòd sine dubio fuerint maledictiones formales, & cum mala intentione prolatæ.

Caput IV.
De Voto.

Cum hæc materia Voti multa puncta contineat, ad procedendum cum distinctione in partes eam dividam.

Pars Prima.
De Substantia & valore Voti.

37 Votum *est promissio deliberata Deo facta de meliori bono, & possibili.* Dicitur *promissio* ad differentiam propositi, quod non inducit obligationem, sicut promissio. Dicitur *deliberata*; quia, ut votum obliget, debet deliberatè fieri, id est cum cognitione, & advertentiâ rei, ad quam agens se obligat, & cum intentione, & voluntate se obligandi. Dicitur. *DEO facta.*; Quia quamvis fieri possint vota in honorem Sanctorum, nihilominus dicitur, quòd DEO fiant; quia obligatio implendi vota facta Sanctis contrahitur cum sua Divina Majestate. Dicitur etiam *de meliori bono*: quia ad hoc, ut votum sit validum non sufficit, ut res, quæ vovetur, sit bona, sed ultra requiritur, ut sit melior alterâ: v.g. status Matrimonialis est bonus, tamen melius est observare castitatem; ideò universaliter loquendo, non est validum votum ducendi uxorem, quamvis in aliqno casu particulari validum esse possit. Additur in definitione, & *possibili*; quia non est validum votũ de rebus impossibilibus v.g. si quis faceret votum nunquam comedendi, nunquam dormiendi, hoc votum nullum esset; quia esset de re impossibili.

38. Votum potest esse reale, personale, & mixtum. Reale est, cùm pecunia vel alia res externa pretio æstimabilis promittitur, ut calix, eleemosyna. Personale, cùm aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione vovetur, ut votum jejunij, peregrinationis, abstinentiæ à lusu. Mixtum est, ut si voveatur peregrinatio cum oblatione alicujus rei, ut votum visitandi quamdam Ecclesiam, & simul offerendi aliquod ornamentum in ejus servitium. Dividitur ulterius in votum solemne, & simplex: solemne est illud, quod fit coram aliquo DEI Ministro, qui nomine Ecclesiæ

cleſiæ votum recipit, ut ſunt vota, quæ fiunt in Profeſſione Religioſa. Votum ſimplex eſt illud, quòd fit privatè absque ullo, qui illud nomine Eccleſiæ ſolemniter recipiat. Ulterius dividitur votum in totale, & partiale: totale eſt illud, quod integram aliquam materiam comprehendit: v. g. ſi quis facit votum recitandi totum officium Divinum, vel perfectè, & in toto obſervandi caſtitatem. Partiale eſt, quod comprehendit tantùm partem alicujus materiæ: v. g. ſi quis vovit recitare, unam, duas, aut tres horas officij Divini, vel non ducere uxorem, aut non cognoſcere fœminam. Dividitur etiam in abſolutum, & conditionatum: abſolutum eſt, quod fit independenter ab aliqua actione: v. g. voveo dare eleemoſynam, vel voveo jejunare: Conditionatum eſt, quod fit mediante aliqua conditione: v. g. voveo peregrinationem Lauretanam, ſi à meo Parente licentiam habuero. Conditionatum ſubdividitur in pœnale, & non pœnale; pœnale eſt, quando fit cum conditione ſubjiciendi ſe alicui pœnæ, ſi votum non adimpleatur: v. g. voveo, ſi non recitavero meas devotiones, jejunare in pœnam una die: non pœnale eſt, quando fit independenter ab aliqua pœna.

Tandem votum poteſt eſſe perpetuum, vel temporale: Perpetuum eſt illud, quod fit pro ſemper, id eſt pro toto tempore vitæ: v. g. facio votum quotidie recitandi Roſarium toto tempore vitæ meæ. Temporale eſt, quod fit pro aliquo tempore determinato: v. g. voveo jejunare diebus Veneris per unum annum.

30. P. P. R. dico meam culpam, quòd deſideraverim ducere in uxorem quandam puellam, cùm autem intentum obtinere nequiverim, emiſi votum caſtitatis; & poſtmodum ingraveſcente diſplicentia, & amaritudine voverim inſuper Religionem ingredi.

C. Fecitne hæc vota cum plena deliberatione?

P. Ita P. R.

C. Si hæc vota fuiſſent facta cum ſemiplena deliberatione, non obligâſſent etiam ſub peccato veniali; ut docent communiter DD. Sotus *lib. 7. de Juſtit. q. 1. art. 2. col. 4.* Toletus *lib. 4. Sum. cap. 17. num. 4.* Manuel Rodriquez *tom. 2. cap. 92. n. 1.* & alij multi, quos citat, & ſequitur P. Leander à Murcia *diſq. tom. 2. lib. 4. diſp. 7. reſol. 1. n. 3.*

40. Et licèt fuerint facta cum plena deliberatione, defendi tamen poteſt, quòd non obligent; ex ſententia Gloſſæ *in caput dudum verb. calore*, & Hoſtien *ſuper eodem verb.* Panormitani, Tiraquelli; Richardi apud Murciam *loco cit. reſol. 2. num. 2.* qui affirmant, quòd, ut votum ſit validum, præter plenam advertentiam, & deliberationem requiratur, ut talis deliberatio ſit matura, hoc eſt, ut votum non fiat ex motivo, vel cauſa alicujus vehementis paſſionis: vota, quæ V. D. fecit, prodierunt ex vehe-

vehementi passione, quatenus puellam in matrimonium sibi copulare non poterat: ergo juxta opinionem horum DD. hæc vota non obligant; nihilominus, licèt P. Leander a Murcia hanc opinionem probabilem censeat, & dicat, quòd saltem faveri possit; ut votum, quod aliàs Suæ Sanctitati reservatum est, cesset esse reservatum, & possit ab Episcopis dispensari; contraria tamen sententia est communis, & vera.

41. P. P. R. dico meam culpam, quòd, dum infans eram, fecerim votum servandi virginitatem.

C. Putabatne votum virginitatis esse distinctum a voto castitatis, vel utrumque idem esse?

P. P. R. non recordor intentionis habitæ.

C. Absolutè loquendo votum castitatis est diversum à voto virginitatis; quia votum castitatis naturâ suâ est perpetuum, & prohibet omnem copulam veneream, & actum inhonestum: tam licitum, prout est actus Matrimonij: quàm illicitum, nempe omnem actum extra matrimonium: votum virginitatis solùm prohibet actiones impuras, quibus flos virginitatis violatur, & violata semel virginitate cessat obligatio voti; & cùm obligatio voti fundetur in intentione agentis: Si V. D. putavit virginitatem, & castitatem esse unam eandémque rem, votum factum esset absolutæ, & perfectæ castitatis Papæ reservatum. Si verò virginitatem a castitate absoluta, & perpetua distinxisset cum intentione se obligandi ad servandam solam virginitatem, non esset reservatum, & semel virginitate violata cessâsset obligatio voti.

Attamen in casu dubio, an habuerit intentum se se obligandi ad servandam castitatem perfectam, vel solam virginitatem; judicium ferendum est in favorem V. D. & concludendum, quòd non se obligaverit ad servandam perfectam castitatem. Et ratio est; quia *in dubijs melior est conditio possidentis*: in hoc casu stat possessio ex parte liberæ voluntatis: ergo judicium ferendum est in favorem libertatis. integra hæc doctrina est P. Moyæ *in select. tom.* 1 *tract.* 2. *disp.* 1. *q.* 2. §. 2. *n.* 7.

42. P. P. R. me accuso, quod emiserim votum ingrediendi Religionem S Francisci credendo, quòd hujusmodi Religiosi possint equitare, & indusia portare, & postquam rescivi, quòd non possint, pœnituit me de voto emisso.

C. Si pro priori has circumstantias sciviſſet, emisisset me hoc votum.

P. Non P. R.

C. Hoc votum non obligat in sententia Soti *lib.* 7. *de Justit. q.* 1. *art.* 2. *col.* 6. Aragonij 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. Lopez 1. *part. cap.* 50. & aliorum quos citat, & sequitur P. Murcia *in disq. tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 7. *resol.* 5. *n.* 10. qui dicunt, quòd, si vovens aliquam circumstantiam notabiliter aggravantem ignoravit, licèt aliàs esset bene informatus de substantia, non obligetur

ligetur ad votum, quod nunquam emisisset, si eandem sciviſſet: sed equitare, & indusium portare sunt circumstantiæ notabiles: ergo hoc votum non obligat.

43. P. P.R. teneor ne ingredi aliam Religionem, in qua equitatus, & indusia licent?

C. Respondeo probabiliter quòd non, & hoc infero ex doctrina Villalobos *tom.* 2. *tract.* 34. *diffic.* 8. *n.* 2. ubi dicit, quòd is, qui emittit votum ingrediendi Religionem determinatam, à qua tamen non susciputur, non teneatur ingredi aliam; & rationem dat; quia talis se non obligavit ingredi aliam Religionem: sed nec V. D. se obligavit ingredi aliam, quàm S. Franciſci: ergo cessante obligatione hanc ingrediendi, aliam ingredi non tenetur.

44. P. P.R. me accuso, quòd voverim peregrinationem ad Eccleſiam quandam B. V. Mariæ.

C. Quando emisit hoc votum, habuit ne intentionem se obligandi sub peccato mortali?

P. P.R. non recordor intentionis tunc habitæ.

C. Putabat ne se peccaturum mortaliter, si voto non satisfaceret?

P. Ita P.R. dubitabam me peccare non satisfaciendo.

C. In casu dubio, an habuerit, vel non, intentionem se obligandi per votum ad culpam gravem, obligat votum; sed quando dubium cadit super votum, hoc est, si dubitat, an emiserit votum, vel non, tunc non obligat. Et ratio utriusque est, quia *in dubijs melior est conditio possidentis*; quando constat, quòd votum sit emissum, dubitatur verò de intentione, possessio stat pro voto, de quo constat fuisse emissum; quando verò dubitatur, an votum sit emissum, vel non, possessio stat pro libertate: ergo quando constat, quòd votum sit emissum, & de intentione dubitatur, votum obligat: quando autem dubitatur, an votum sit emissum, vel non, votum non obligat. Est communis DD. vide Dianam *p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 10. quamvis Alphonsus à Lione citatus hìc à Diana dicat, in ullo horum duorum casuum votum obligare.

45. Advertendum tamen est, quòd promissiones, quæ communiter fiunt visitandi Eccleſias, & similia, sub peccato mortali obligent, licèt dicant, se nescire, an habuerint intentionem se obligandi, vel non; quia in personis indoctis non facilè invenitur hæc capacitas distinguendi intentiones: & à posteriori clarè cognoscitur, quòd earum intentio fuerit se obligandi; quia si votum non exequuntur, se peccare existimant: ergo videtur, quòd animum habuerint se obligandi per similes promissiones.

Advertendum est pariter, plures dari personas ad multos annos executionem votorum procrastinantes: quare necesse est, ut Confessarij in hoc Præcepto eas interrogent, an teneantur alicui voto satisfacere,

ijsque

ijsque ostendant magnam adimplendi obligationem; & quòd absq; necessitate differre sit peccatummortale per regulam, & principium illud irrefragabile, quòd in contractibus, & promissionibus, in quibus tempus particulare non determinatur, vigeat obligatio eas adimplendi, quamprimum opportunè fieri potest.

Pars Secunda.

De Cessatione Voti.

46. SEx modis obligatio voti cessare potest, scilicet, irritatione, dispensatione, commutatione, mutatione materiæ, cessatione materiæ, & impossibilitate. Ex irritatione cessat votum, quando superior habens dominium supra inferiorem illud relaxat: & hæc irritatio definitur, quòd sit voti *annullatio, seu relaxatio facta à Superiore super subditum.* Una est irritatio directa, altera indirecta; directa est illa, quam facit Superior ex dominio, quod supra voluntatem inferioris, ut habet Pater ad Filium: indirecta est illa, quam facit Superior ob præjudicium quod ei votum affert, ut Dominus irritat votum peregrinandi factum à famulo ob damnum ex hac peregrinatione Domino resultans.

47. Dispensatio *est absoluta voti condonatio, seu absolutio nomine DEI facta à legitimo Superiore.* Superiores, qui possunt in votis dispensare, non intelliguntur Superiores sæculares, sed Ecclesiastici: v. g. Papa, Archiepiscopus, Episcopus &c. Pontifex potest absolutè dispensare in omnibus votis simplicibus; Episcopus verò in illis, quæ Papæ non sunt reservata; qui facultatem à Papa, vel Episc. obtinuerunt dispensandi in voris, possunt dispensare in illis votis, super quæ facultatem obtinuerunt.

Commutatio est, *materiam voti in aliam mutare*: V. G. qui emisit votum peregrinandi, hæc peregrinatio in ieiunium commutari potest. Qui habet potestatem ordinariam dispensandi in votis, ea etiam commutare potest; quia *cui licet, quod plus est, licet utique, quod est minus. ex capite Cui licet de Reg. Jur. in* 6. *Regul.* 53. sed dispensare votum est plus, quàm commutare: ergo qui habet postestatem ordinariam dispensandi in vota, habet etiam illud commutandi. Id. de quo dubitant D. D. est, an is, qui habet potestatem delegatam dispensandi, possit etiam commutare; & licèt plerique negent, affirmativa tamen est probabilis; ut videri potest apud Thomam Sanchez *de Matrimonio lib.* 8. *disp.* 2. *num.* 14. *& num.* 15. verùm tamen est, quòd, qui habet potestatem delegatam solùm comutandi, non possit dispensare; quia comutare minùs est, quàm dispensare, & cui conceditur minùs, majùs concedi negatur.

48. Per mutationem materiæ cessat votum, quando materia illius in malam mutatur, vel in indifferentem, aut minus bonam: ut V. G. si

quis vovit ieiunare die veneris in pane, & aqua, & tale jejunium sit notabiliter ejus saluti nocivum, cessat obligatio voti; quia ipsius materia mutatur de bona in malam: in indifferentem verò mutatur tunc, quando quis emittit votum non commedendi de aliquo cibo ob qualitatem ejus damnificam; cessante hac qualitate, & cibo illo nullum damnum ei amplius afferente, cessat voti obligatio; quia materia eius mutata est de bona in indifferentem: tandem mutari potest in minus bonam, ut V. G. si quis in periculo incontinentiæ non constitutus voveat non ducere uxorem, superveniente verò postmodùm periculo incontinentiæ voti obligatio cessat; quia materia est mutata de meliori in minus bonam,

C. si vera est opinio Cajetani 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Sanchez *liber.* 1. *de Matrim. disp.* 3.) *Melius est enim nubere, quàm uri:* dicit S. Paulus 1. Corinth. 7.

49. Cessante materia voti cessat quoque ejus obligatio, quod duobus modis contingere potest; primò, quando est aliqua conditio, à qua votum dependet: v. g. si quis feciſſet votum dandi eleemosynam usque ad durationem alicujus proventûs: durante hoc proventu votum semper durat, & cessante conditione proventûs cessat & obligatio voti. Secundo, quando cessat tempus, vel ipsa substantia voti: v. g. is, qui emisit votum recitandi Rosarium per integrum annum, elapso anno votum cessat; quia cessat tempus, ad quod se obligavit: & is, qui emisit votum dandi quotidie eleemosynam de pecunia, quam in arcula habet, finita illa pecunia cessat votum; quia cessat materia.

50. Cessat tandem obligatio voti, quando ejus materia fit impossibilis: ut v. g. si quis emittit votum eundi Romam, superveniente infirmitate, per quam reddatur ei impossibilis itineratio, cessat obligatio voti, quia ejus materia impossibilis facta est.

Advertendum tamen est, quòd, si nequeat satisfieri toti materiæ voti, sed tantùm parti, satisfaciendum sit parti illi; cùm materia voti sit divisibilis: v. g. aliquis emisit votum jejunandi quatuor diebus, non potest autem jejunare, nisi duobus, tenetur jejunare illis duobus diebus; sed si materia est indivisibilis, & impossibilis facta sit, cessat obligatio voti: v. g. ille, qui vovet jejunium unius diei, nequit autem per integram hanc diem abstinentiam ad jejunium requisitam observare, non obligatur ad jejunium partis diei; quia jejunium unius diei, est materia indivisibilis, & individua.

Pars Tertia.

De Irritatione Voti.

P. P. R. confiteor, quòd in mea juventute emiserim votum peregrinandi ad S. Jacobum in Galitiam.

C. Recordaturne, cujus ætatis fuerit, quando hoc votum emisit?

P. P. R. sum in dubio an ætatis 14 vel 15. annorum fuerim. C. Om-

C. Omnia vota, tam realia, quàm personalia, & mixta, quæ filius ante pubertatem emittit (nempè ante decimum quartum annum completum) potest Parens irritare; & hæc irritatio voti facti ante pubertatem potest etiam fieri post pubertatem; dummodo filius non pervenerit ad vigesimum quintum ætatis suæ annum. Ita communiter DD.

Hoc idem dico de Tutore respectu pupilli, qui pariter potest post pubertatem irritare vota ante pubertatem facta. Ita docent Sà verb. votum. Trülench *super Dicalog. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 35. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 40. *dub.* 14. *n.* 82. & 83.

Hoc idem dicendum est in dubio, an votum fuerit emissum ante, vel post pubertatem, nempè, quòd Parens possit illud irritare post pubertatem, sicut docet P. Thomas Sanchez apud Joannem Sanchez *in select. disp.* 43. *n.* 9. In hoc casu tamen contrarium verius mihi videtur juxta principium superiùs allatum, quòd *melior sit conditio possidentis*: sed in hoc casu votum possidet; cùm constet, fuisse emissum: ergo non erit irritabile.

52. Unica difficultas potest esse in hoc casu, qui est sequens à me propositus.

C. Transactis quatuordecim annis ætatis suæ ratum ne habuit hoc votum?

P. Ita P. R. multotiès.

C. Promisitne V. D. unâ cum voto dare etiam aliquam eleemosynam Ecclesiæ S. Jacobi?

P. Ita P. R.

C. Confirmavitne hanc promissionem eleemosynæ post completos 25. annos ætatis suæ?

P. Non P. R.

C. Hoc votum à V. D. emissum est mixtum partim personale ex promissione peregrinationis; partim reale, ex promissione eleemosynæ. Ut est reale, nempe, quo ad peregrinationem potest Parens id irritare licèt eandem ratam habuerit elapsis viginti quinque annis: docent enim Villalobos *part.* 2. *tract.* 34. *disp.* 19. *num.* 5. Sanchez, & alij apud Kemigium *in Sum. tract.* 2. *cap.* 2. §. 15. *n.* 5. quòd vota à Filio emissa ante 25. annum possit Parens irritare: ergo idem dicendum est de votis, quæ filius confirmat in hac ætate: & ulterius addunt Tabiena, & Vibaldus apud Villalobos *ibid. num.* 6. quòd etiam elapsis 25. annis possit Parens irritare vota realia suorum filiorum, quod tanquam probabile approbat Villalobos; quia, filius ratione ætatis præcisè non eximitur à paterna potestate, licèt sit senex; ut dicunt Antonius Gomez, Natieng, & alij, quos ibi citat Villalobos. Hæ tamen opiniones limitantur; quando filius habet bona castrensia, vel quasi castrensia; tunc enim obligatur vota realia exequi, quæ emisit, vel rata habuit post pubertatem.

53. Hoc votum verò ut est personale, & post pubertatem confirmatum nequit Parens irritare; quia ex communi Theologorum sententia

Filius, cùm ad pubertatem pervenerit, plenum sui dominium, & dispositionem habet; ita Sotus *lib.* 7. *de Just. q.* 1. *art.* 2. Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 11. *cap.* 17. *q.* 7. Sylvester *verb. Votum* 4. §. 2. & alij: quamvis ex doctrina Azorij loco citato inferri possit, quòd hoc votum peregrinationis etiam sub respectu personalis à Parente irritari possit; quia secundùm Azorium Parens irritare potest votum abstinentiæ, & jejunij emissum à Filio, licèt sit personale, quando ob jejunium filius ad labores inhabilis redditur; & rationem dat; quia illa vota, quæ filium ad laborandum inhabilem reddunt, præjudicant paternæ potestati: sed magis præjudicat paternæ potestati absentia Filij peregrinantis, & toto hoc tempore non laborantis: ergo Parens hoc votum irritare potest.

Post finitam primam impressionem vidi in D. Navarro. *lib.* 3. *suorum consil. cons.* 4. *de convers. infidel. fol. mihi* 322. *n.* 30. (*in impressione Colonienſi*) qui dicit, quòd in Regno Navarensi non admittatur potestas paterna; & si hoc est, non poterit Parens in hoc Regno irritare vota filiorum elapsa pubertate vi paternæ potestatis.

54 Ut cum omni securitate procedamus, dico, quòd uxor possit irritare hoc V.D. votum vi opinionis Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de Voto lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 8. Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 42. *n.* 2. *& lib.* 4. *Decalog. cap.* 39. *n.* 20. pluriúmq; aliorũ, quos citat, & sequitur Fagundez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 20. docentium, quòd omnia vota mariti mutuæ cohabitationi præjudicialia etiam ante Matrimonium emissa possit uxor indirectè irritare: sed hæc longa peregrinatio præjudicat mutuæ cohabitationi, ut dicunt DD. supra cit. qui videri possunt in Fagundez *n.* 23. *in eod. cap.* ergo uxor potest indirectè irritare votum peregrinationis V. D. licèt emissum ante contractum Matrimonium.

Dico indirectè; quia quamvis possit uxor directè irritare vota à Marito durante Matrimonio emissa, & mutuæ cohabitationi, usuíque Matrimonij præjudicialia; non tamen potest directè irritare emissa ante contractum Matrimoniũ, sed solùm indirectè, vide in fra *part.* 5. *n.* 66.

55. Differentia inter irritationem directam, & indirectam est hæc, quod directa totaliter obligationem voti annihilet, ita ut nunquam ampliùs reviviscat, indirecta verò solùm suspendit durante Matrimonio, quaptopter mortua uxore obligatio voti reviviscit, videantur DD. supra citati.

56. P. P. R. mea uxor dicit se emisisse votum induendi figurã aliquã, seu Imaginem B.V.M. possum ne hoc votũ irritare?

C. Ita Fili, hoc & omnia alia vota tam realia, quàm personalia, quæ uxor durante Matrimonio emisit, potest V. D. directè irritare, licèt V. D. ex his nullum præjudicium sentiat; & hæc est differentia inter uxorem, & Maritum: quòd Maritus tanquam Superior uxoris non sit subjectus ejus voluntati adeóque uxor solùm potest irritare vota mutuæ cohabitationi præjudicialia: Maritus verò ut Superior uxoris habet dominium in ejus voluntatem; quare omnia ejus vota irritare potest, licèt ex iis nullum præjudicium sentiat.

Dixi.

Dixi durante Matrimonio; quia vota ab uxore emissa ante contractũ Matrimonium potest Maritus solùm indirectè irritare, & non omnia, sed solùm ea, quæ mutuæ cohabitationi præjudicant, aut rectam familiæ administrationem impediunt. Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap.* 31. *n.* 9. Navarrus *in Sum. lat. c.* 12. *num.* 65. Rodriquez *tom.* 2. *Sum. cap.* 9. *num.* 10.

57. P. R. etiam hoc habeo ad proponendum, quòd mea uxor emiserit votum non nubendi post mortem meam, possum ne hoc votum irritare?

C. Emisitne illa hoc votum cum consensu, & licentia V. D.

P. Ita R. P.

C. Si hoc feciſſet absque licentia V. D. posset irritare, ut dictum est de alijs votis; quia maritus ea irritare potest: licèt sint vota Castitatis, & Religionis complenda post suam mortem: v. g. si uxor emittit votum tempore matrimonij ingrediendi Religionem, vel non nubendi post mortem Mariti; ita Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 34. *n.* 2. Villalobos, Sotus, Sanchez: & alij, quos citat, & sequitur Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 220. *& p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 100.

58. Difficultas consistit in hoc, quòd emiserit votum cum licentia V. D., nunc mihi dicat, habet ne aliquã causam, ob quam hoc votum irritare posset?

P. P. R. quando illi licentiam dedi emittendi votum, benè substitimus, nunc verò ad miserum statum redacti sumus, & vitam in laboribus ducimus; & si morerer, & illa non nuberet, miserè subsisteret.

C. licèt uxor cum consensu Mariti emiserit votum, nec adsit causa illud irritandi, potest tamen Maritus validè illud irritare; peccabit tamen, si absque causa hoc fecerit, vel mortaliter, ut dicit Fagundez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 37. *n.* 12. cum alijs; vel venialiter, ut tenet Diana *supr. cit. part.* 4. §. *Nota. etiam*

Quando verò adest justa causa, prout est ea, quam habet ipsius uxor, V. D. validè, & licitè irritare potest, & eximere eam ab obligatione voti; in quo omnes DD. citati conveniunt.

Hic modus annihilandi votum est facilior, securior, & minùs scrupulis expositus: Quapropter quando Confessarius aliquem voti alicujus vinculo adstrictum adinveniet, cujus relaxatio, seu irritatio ipsi expediens videatur, interroget eum, an habeat Patrem, vel Maritum, &c. & si secundùm principia superius relata locum habuerit irritatio, mittendus erit ad eos pro irritatione.

Pars Quarta.

De Dispensatione Voti.

59 VOta suæ Sanctitati reservata sunt quinque: votum perfectæ castitatis; votum Religionis: votum Hierosolymitanum, quod appellatur ultramarinum ad visitandum Christi Domini Sepulchrum in Hierusalem: votum eundi Romam

ad Limina Apostolorum Petri, & Pauli visitanda in Vaticano: & votum Compostellanum ad visitandum corpus D. Jacobi Apostoli in Galitia.

60. Circa votum castitatis notandum est, quòd emissio voti non ducendi uxorem; vel assumendi Statum Sacerdotalem, vel observandi castitatem per aliquod tempus: v. g. per mensem, vel aliquos annos: vel non committendi fornicationem, aut pollutionem, vel non petendi debitum, nulla horum votorum emissio sit Suæ Sanctitati reservata; quia non sunt perpetuæ, totalis, & absolutæ castitatis. Est communis D. D. Idem dicendum est de Votis Religionis, peregrinationis Hierosolymam, Romam, & ad S. Iacobum, quæ vota ut sint reservata, debent esse absoluta, si enim sunt conditionata, non sunt Summo Pontifici reservata: neque in dubio, an sint emissa, nec ne, vel an cum plena deliberatione, & intentione se obligandi sint facta; ita Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 11. quia reservatio est odiosa, & *stricti Juris*, adeóque restringenda est.

61. Neque reservatum est juxta opinionem aliquorum Suæ Sanctitati juramentum Castitatis, Religionis, vel peregrinationis ad dicta loca; quia votum tantùm, non juramenta sunt reservata; ut tenent Machadus, Trullench, Quintana, Leander à SS *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 14. *q.* 106. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 10. & *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 17. & alij. Ego verò teneo contrariam pro vera cum P. Moya *in suis select. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 2. §. 1. Quia hæc juramenta sunt promissoria: ergo includunt rationem formalem voti. Consequentia probatur: quia votum est promissio Deo facta: sed hæc juramenta sunt promissiones Deo factæ: ergo includunt rationem formalem voti: consequenter, si reservatum est votum, etiam reservatum erit juramentum.

62. P. P. R. confiteor, quòd ante contractum Matrimonium emiserim votum perpetuæ, & perfectæ castitatis; elapso tamen aliquo tempore gravibus stimulis carnis agitatus, hoc cuidam Religioso manifestavi, qui mecum in hoc voto dispensavit.

C. Fuerunt ne hi stimuli veneréi ita vehementes, ut V. D. incidere potuisset in periculum incontinentiæ tempore recursûs ad Suam Sanctitatem pro dispensatione?

P. P. R. infallibiliter multoties offendissem Deum, si hic Religiosus mecum non dispensâsset, nec statim uxorem duxissem.

63. Dico, quòd secundũ aliquos hic Religiosus operatus fuerit cũ aliqua probabilitate, ut colligitur ex hoc argumento; quia in hoc casu docent Thomas Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 10. *n.* 22. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 40. *dub.* 18. *n.* 125. & alij apud P. Moyam *loco paulò ante cit. q.* 2. §. 3. *n.* 9. quòd tale votum in his circumstantijs sit reservatum *Jure Ordinario* Episcopis, & desinat esse reservatum Papæ: atqui Regulares vi suorũ pri-

privilegiorum possunt dispensare in omnibus votis per Jus comune Episcopis reservatis, ut docent Sorbus, Henriquez Miranda, & alij, quos citat, & sequitur R. & Doctissimus P. Leander à Murcia in explicat. Regulæ S. P. N. Francisci *super cap. 3. q. 8. §. 2. num. 40.* Rodriquez *tom. 1. q. 63. art. 3.* Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 43. n. 4.* Ergo hic Religiosus, & alij probabiliter virtute suorum privilegiorum possunt in hoc casu dispensare. Ego verò censeo hanc probabilitatem modicum habere fundamentum, contrariúmque amplector, ac dico, quòd ille Religiosus non dispensare, sed pro dispensatione Romam recurrere debuisset.

64. Ex opinione supradictorum Authorum infertur, quòd etiam vi Bullæ Cruciatæ quivis Confessarius ab Ordinario approbatus possit hoc votum in dicto casu commutare; quia dicta Bulla concedit facultatem commutandi vota Episcopis reservata: sed hoc votum in hoc casu est Episcopis reservatum: ergo &c.

65. P. P.R. confiteor, quòd emiserim votum dandi duos lectos pauperi, & indigenti Hospitali.

C. Gubernator hujus Hospitalis scivitne, & acceptavit nomine illius bonum ex voto eidem promissum?

P. Ita P.R.

C. Ergo hoc votum non est amplius dispensabile, aut commutabile; quia vota in favorem tertiæ personæ facta post acceptationem ejus nequeunt amplius dispensari, aut commutari. Sanchez, *in Sum. tom. 2 lib. 4. cap. 41. num. 13.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 15. n. 11.* Sanchez *ibid. num. 9.* Filiucius, Joannes à Cruce cum Diana *part. 1. tract. 11. resol. 47.* Et ratio est; quia postquàm promissio fuit acceptata, persona, in cujus favorem facta est, acquirit actionem, nec absque injustitia Jure acquisito privari potest. Verum tamen est, quòd, si tale Hospitale, vel persona, in cujus favorem factum est votum, rem promissam remittat. Cesset quoque obligatio. Sanchez *in Decalog. lib. 3. cap. 20. n. 4.* Azorius, Lessius, quos citat, & sequitur ipse Diana *lib. 1. de Matrim. disp. 53. n. 6.*

Pars Quinta.

De Commutatione Voti.

66 P. P. R. dico meam culpam, quòd votum emiserim visitandi aliquam Ecclesiam.

C. Distatne procul hæc Ecclesia?

P. P R. ejus distantia ab hinc erit 8. vel novem milliarium.

C. Quamvis superiùs dictum est, quòd vota peregrinationis à Marito facta uxor irritare possit, hoc tamen intelligendum est, quando peregrinatio est longa; v.g. viginti dierum parùm plùs, vel minùs, quia tunc mutuæ cohabitationi, & usui Matrimonij præjudicat, non verò quando peregrinatio est brevis: ut dicit Fagundez *in Præcept. Decal. lib. 2. cap. 38. num. 23.* cùm autem hæc peregrinatio

tio sit brevis, uxor V. D. nullatenus hoc votum irritare potest.

67. Habetne causam legitimam ob quam in hoc voto dispensari possit?

P. Non habeo P. R.

C. Si haberet causam legitimam, posset aliquis Religiosus ab Ordinario approbatus ad exaudiendas confessiones virtute suorum privilegiorum dispensare secundùm relata *n.* 63. quòd possint Regulares vi suorum privilegiorum dispensare in votis exceptis illis quinque Papæ reservatis. Cùm autem causam non habeat, dispensare non possunt; quia principium est admissum, & receptum, ut inferior sine causa non possit dispensare in Lege Superioris.

Quapropter solùm per commutationem potest V. D. liberari ab obligatione hujus voti, cùm commutatio absque ulla causa fieri possit per privilegium Bullæ in omnibus votis, præter illa castitatis. Religionis, & Hierosolymitanæ peregrinationis (quia peregrinatio Romana, & Compostellana sunt etiam commutabiles virtute Bullæ, in opinione Rodriquez, & Villalobos *tom.* 1. *tract.* 25. *claus.* 9. *num.* 43. Licèt in rem aliquantum inferiorem) modo sequenti.

68. Octo milliaria posset ne V. D. perficere intra duos dies?

P. Ita P. R.

C. Fecitne votum eundi pedester, vel equester?

P. P. R. pedester.

C. Pro quovis die peregrinationis jejunabit per unum diem, ut dicit Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *q.* 13 si autem iret equester, quatuor dies itineris commutantur in unum diem jejunij, ut dicit Sairus *in Clavi Regia lib.* 6. *cap.* 2.

69. Quantum deberet ex pendere eundo ad hanc Ecclesiam?

P. P. R. ex penderem sex regales.

C. Istos sex regales V. D. dare debet in eleemosynam. Cùm autem nulla commutatio votorum fieri possit virtute Cruciatæ absque aliquo subsidio ejusdem Cruciatæ, necesse est, ut V. D. aliquid ad capsulam ponat, ubi recolliguntur eleemosynæ in subsidium Cruciatæ: & sufficiet si ponat duos regales; cùm hæc quantitas sufficiens videatur Remigio etiam respectu locupletis personæ *tract.* 2. *cap.* 2. §. 20. *num.* 8.

Istos duos regales, quos in subsidium Cruciatæ dare debet, potest ex sex dandis in eleemosynam expendere, ut dicitur in additione Medullæ Busembaum *in explicat. Bullæ variorum dub.* 16. *art.* 1. *num.* 6.

70. Non absque mysterio interrogavi, quantum expendisset eundo ad hanc Ecclesiam, absque eo, quòd interrogaverim, quantum redeundo expendisset; cùm juxta aliquos DD. apud Villalobos *part.* 2. *tract.* 34. *dis.* 33. *n.* 10. solùm expensæ in eundo, & non in redeundo commutari debent, quia non fit votum redeundi, cum ibi mora fieri possit.

Hæc tamen sententia non videtur mihi vera; quia quamvis non fiat votum

votum redeundi, regressus tamen ordinariè est necessarius; cùm nunquam ibi fiat mora, ubi votum completur: & qui se ad rem aliquam obligat, obligat se pariter ad totum id, quod est annexum illi rei. Sic teneo cum Sanchez *in Sum. lib. 4. cap. 56. num. 14.* Sairo *in clavi Regia lib. 6. cap. 12. n. 20.* & cum Villalobos *loco cit.*

Concludo igitur; pro comutatione hujus voti V. D. jejunabit duobus diebus, pro illis, quos pedester perficere debuisset, dabitque in eleemosynam 12. regales; duos ex istis dabit in subsidium Cruciatæ, cùm duodecim regales in eundo, & redeundo expendisset: pro merito autem, quod lucrata fuisset visitando illam Ecclesiam, visitabit V. D. Ecclesiam sui domicilij; & si ibi preces fudisset, & fuisset confessa, & communicàsset, id ipsum faciat in hac Ecclesia.

Hoc modo Confessarius procedere potest in commutatione votorum absque excessivo scrupulo super materiam, an sit æqualis, vel non; cùm materia non sit hìc mensuranda metaphysicè, sed moraliter, & juxta regulam prudentiæ.

71. Si Confessarius est Regularis, potest virtute suorum privilegiorum commutare hoc, & omnia alia vota (præter illa quinque Papæ reservata) Rodriquez *tom. 1. qq. rrg. q. 63. art. 4.* Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 54. n. 3.* Sairus, Miranda, & alij, quos citat, & sequitur R. P. Leander à Murcia *in explicat. cap. 7. Regulæ P. N. S. Francisci q. 8. select. §. 2. n. 44.* & tunc non est opus applicare ullam eleemosynam in subsidium Bullæ Cruciatæ; quia tunc solùm hæc requiritur, quando virtute ejusdem Bullæ fit commutatio, non autem virtute aliorum privilegiorum. Et si adesset aliqua causa, tunc partim dispensare, partim commutare potest ad magìs vitandos scrupulos.

72. P. P. R. confiteor, quòd propria authoritate votum à me emissum unius rei in aliam commutaverim.

C. Commutavitne V. D. hoc votum in melius? quia quivis propria authoritate suum votum commutare potest in rem evidenter meliorem.

P. P. R. non fuit melior.

C. Fuitne æqualis; quia quamvis multi Authores negant, quòd aliquis propria authoritate possit votum in rem æqualem commutare; Medina tamen, Henriquez, Tamburinus, & alij apud Leandrum à SS. *part. 7. Super Decalog. l. 2. tract. 1. disp. 18. §. 1. q. 9.* affirmant, fieri posse propria authoritate.

P. P. R. Ignoro, an res, in quam commutavi, sit melior, nec ne.

C. Quæ fuit materia hujus voti?

P. P. R. Jejunium dierum veneris.

C. In quam rem commutavit hoc votum?

P. In elargiendam aliquam eleemosynam his diebus.

C. Quo motivo emisit hoc votum jejunandi diebus veneris?

P. P. R. ut liberari possem à stimulis

concupiscentiæ, quibus laborabam.

C. Nulli voventi licitum est, nec permissum, commutare vota propria authoritate in aliam rem minùs bonam, quamvis possit commutare in rem meliorem, vel æqualiter bonam; & ad cognoscendum, quænam res melior sit, non solùm natura & bonitas intrinseca rei spectanda est, sed major bonitas, quam habet respectu voventis: v. g. Oratio in se ipsa præstantior est jejunio respectu voventis tamen potest jejunium esse melius oratione; & dato, quòd eleemosyna sit virtus nobilior, & excellentior jejunio, pro V. D. tamen stimulis concupiscentiæ laborante minùs bonum fuit eleemosyna, quam jejunium; cum ergo sit minus bonum, V. D. non potuit propriâ authoritate votum jejunij in eleemosynam commutare. Ita Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 34. dif. 31. num. 4. & 6.*

73. P. Nunc incidenter occurrit mihi aliquis scrupulus; quia, cum emiserim votum portandi cilicium ob hoc motivum omnibus diebus sabbatinis, Confessarius commutavit in Rosarium ijsdem diebus recitandum flexis ad terram genibus.

C. Sensitne V. D. majus sublevamen in suis tentationibus portando cilicium, vel recitando flexis genibus Rosarium?

P. P. R. ex utróque medio expertus sum aliquod sublevamen in meis tentationibus; parùm tamen plus ex cilicio.

C. Commutavit ne hoc votum Confessarius virtute privilegij, Bullæ, vel Jubilæi?

P. P. R. virtute Bullæ.

C. Habuitne causam hoc votum commutandi?

P. P. R. magnam difficultatem sensi in portando cilicio, & multoties transgrediebar votum, solámque hanc rationem allegavi Confessario pro commutatione obtinenda.

C. Ex sententia Aragonij, Toleti, Sanchez, & aliorum, quam citat, & sequitur ut probabilem Leander in Sacram. *part. 2. tract. 5. disp. 14. q. 156. & p. 7. tract. 1. disp. 18. §. 1. q. 12.* potest authoritate Confessarij virtute Bullæ, & Jubilæi commutari votum in aliam rem, quamvis minùs bonam. Hoc quidem verum est, sed cùm illa minor bonitas, quam habet res, in quam commutatur votum, habeatur per modum dispensationis, hæc verò requirat causam, ut fieri possit; ideo ad commutandum votum in rem minùs bonam causa justa requiritur, ut dicit Villalobos *supra cit. num. 8.* ex quo patet, Confessarium optimè commutare potuisse votum cilicij in recitationem Rosarij flexis genibus; quia quamvis sit aliquantum minus bonum pro V. D. hoc tamen fecit cum privilegio Bullæ, & pro illo modico excessu bonitatis, qui respectu V. D. reperiebatur in portando cilicio, fuit causa sufficiens notabilis difficultas, quam experiebatur in hujusmodi opere, & quòdhæc difficultas fuerit causa sæpius transgrediendi votum.

Plures

Plures regulas adstruunt Authores servandas in commutatione votorum; sed, cùm hæc materia regulariter requirat tempus, nec Confessarius possit diu, & sufficienter se detinere, sic non est laudabile, hujusmodi materias citò expedire in confessionali, sed sumendum est tempus, quo benè perpendat, ponderetque casum legendo libros de his tractantes, & videri potest Villalobos loco cit, Leander à Sacram. *part. 7. tract. 1. disp. 18. §. 2. q. 32. & seq. §. 3. q. 52.* Thomas Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 36. per totum.* Et qui hujusmodi libros non habet, aliquem virum doctum consulere poterit.

Caput V.

Exhortationes faciendæ Pœnitenti consuetudinem jurandi, vel blasphemandi habenti.

74 CAdvertat V. D. quòd hoc vitium jurandi, & blasphemandi sit vitium diabolicum, quod multùm displicet Deo; est enim vilipendere, & spernere Sanctissimum Nomen suum, proferre ad omne verbum sine reverentia tantum, & tale Nomen, quo prolato tremunt columnæ Cœlorum, & contremiscit totus Infernus. Nihil plus laboris affert V. D. dum dicit, sit benedictus, quàm si dicat, sit maledictus: vel dicere, Deus adjuvet te, ac dicere Diabolus adjuvet te; cum alterutrum sit æque facilè, bona, ac Christiana verba proferre assuescat, abstineátque ab ijs, quæ verum Catholicum dedecent.

Quæ nam erit distinctio inter nos Fideles, & Gentiles si nostris linguis spernimus Venerabile Nomen Amantissimi nostri Dei? quomodo Catholici appellari poterimus, si verba nostra non correspondent Professioni tam Divinæ? an non considerat V. D., quòd sit signum filij perditionis jurare sine respectu erga Deum nostrum? nos discernimus homines ex idiomate, quo quisque loquitur, loquentem Græcè, dicimus, esse Græcum: loquentem Gallicè, Gallum: Hispanicè, Gispanum: Germanicè, dicimus; esse Germanum: Idioma Cœleste est verbum bonum, quo laudatur Nomen Dei; verbum malum, ut blasphemia, & maledictio, idioma Inferni est: ergo proferentem verba mala quibus spernit Nomen Dei, dicemus ne esse filium Cœli? nequaquam; quia idiomate cœlesti non loquitur; benè verò filium Inferni, cùm idiomate damnatorum loquatur.

Quomodo V. D. subsistet ante tremendum Tribunal Christi, quando morietur? quid respondebit DEO, quando tremenda ejus Majestas hujus abominabilis peccati rationem exquiret, & ipsi dicet: accede Christiane pessime, quod nam malum ego tibi feci? quas injurias tibi intulit meum Sanctissimum Nomen, quale spreviſti, & injurijs affeciſti, habendo semper super linguam sine timore,

respectu, aut reverentiâ aliquâ? quomodo ausus fuisti spernere tuâ dissolutâ lingua Nomen, quod debuisses ex toto corde venerari? Quid dicet tunc V. D.? quomodo optaret tunc, ut dentibus linguam abscidisset potius, quàm talia dissoluta verba unquam protulisset? Emendet ergo se, ut tantam confusionem, & dolorem effugere valeat.

Ad superandam hanc malam consuetudinem, dum mane surgit, formet firmum propositum, tota die non jurandi, nec blasphemandi; dicat in honorem B. V. Mariæ, unum Salve Regina, ut à suo dilectissimo Filio ei gratiam impetret, exequendi id, quod proponit: & si aliquando ex impetu iræ incideret in aliquod juramentum, vel maledictionem, illicò recitet devotè unum Ave Maria, vel osculetur terram, vel signet se Signo S. Crucis, ut his pœnitentijs recordetur se malè feciſſe & sic sensim hunc malum habitum jurandi, & maledicendi deponet, & ut videre possit, quomodo Deus talia ægrè ferat, & quomodo severè illos puniat, qui jurant, & maledicunt, notet hunc sequentem casum.

Refert Alexander Faya *part.* 2. *verb. Juramentum.* de quodam Religioso Societatis JESU itinerante per Hispaniam, qui nocte superveniente hospitium ingressus, ibidem mulionem quemdam magnum blasphemũ invenit, qui ad omne verbum juramenta proferre solebat: Hunc Religiosus rogavit, quatenus à tot juramentis abstinere vellet; At ille ad monitionem adeò Religiosam floci faciens, tota nocte in hac pessima consuetudine perseveravit; eâdem nocte dormientibus, omnibus rugitus tam horrendi intra, & extra hospitium auditi fuerunt, ut omnes in eo existentes pertimescerent, ac lecto surgentes accensa candela, unde nam rumor ille horrendus proveniat, inquisierunt, & mulionem perjurum in stabulo ad pedes mulorum exanimem deprehenderunt. Justum igitur fuit, ut ille, qui animal in loquela erat, moreretur ut animal in stercore inter bestias: cujus corpus super sede positum fuit, ut sequenti die sepulturæ traderetur: venerunt sumo mane ad locum, ubi positũ erat corpus, nec illud amplius invenerunt. Mirum igitur non est, quòd Diabolus rapuerit animam, & corpus hujus viri perditi, & Deum adeò contemnentis, ac si de eo nunquam aliquid audivisset.

Exhortationes pro maledicentibus.

NOn perpendit V. D., quàm abominabilis res sit maledictio? Sciat, quòd hæc sit verbum judicativum cordis damnati, animi relaxati, Spiritûs immoderati, & incomposiți; & quòd maledicere absque metu pœnæ sit evidens argumentum, quòd animam ejus possideat Sathan infernalis.

Lingua,

Lingua, inquit Christus, loquitur id, quod in corde gerit; ex corde bono procedunt verba bona, & ex corde malo, verba mala, & verba maledictionis à corde maledicto. Quando fumus per caminum ascendit, infertur, in culina esse ignem; quia fumus est signũ naturale ignis: Caminus cordis est lingua, quando ergo per hanc verba maledictionis ascendunt, signum est, quòd in corde ardeat ignis infernalis, *inflammata à Gehenna. Jacob.* 3.

Non considerat V. D. quòd verbis suis pessimis integræ familiæ, tam proli bus, quam famulis malum exemplum tribuat? quid, quæso, filij, & servi tali sine timore DEI proferre audientes addiscent, nisi & illi similia proferre? & si quis eos interrogaret, à quo similia addidicerint, quid poterunt respondere, nisi à meo Patre pessimo, à mea Matre iniqua, qui maledicunt velut furiæ infernales. Nec hujus tantum damni, & pessimæ doctrinæ causa moralis est V. D.; verùm timendum est ipsi, ne Dominus Deus puniat tam V. D., quàm illos in pœnam malorum verborum; de quo plurimi casus adferri possunt, inter quos.

Exemplum contra maledicentes.

Refert P. Andrade in suo itinerario, *grad.* 12. §. 12. se novisse in quadam Civitate juvenem, in quem Mater de nocturno ejus è domo egressu invita maledictionem hanc jecit: rogo Deum, cùm meis monitis parere renuas, ut pugionibus interemaris, cujus maledictio mox suum effectum habuit, nam quadam nocte gladio transfossus fuit, ac exanguis Matri allatus, de maledictionis suæ exitu ingemuit.

In Missione pariter mihi contigit, quòd, dum obviarem viro contra uxorem maledictionem hanc emittenti, morte occumbas ex malo costæ; paulo post illa prædictâ infirmitate laborans supremum vitæ diem egerit.

Alia fœmina notificavit mihi, quòd ob merum fletum unius filioli lactentis impatiens facta in hæc verba proruperit: utinam semel mortem obires; his dictis puerulum nulla infirmitate laborantem sequenti die è vita migrâsse conspexit, nullúmque signum mortis præter maledictionẽ extitisse, obstupuit.

TRACTATUS III.
DE III. PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Memento, ut diem Sabbati Sanctifices.

IN hoc Præcepto unum præcipitur, & alterum prohibetur. Præcipitur auditio Missæ omnibus diebus Dominicis, & Festivis; & circa hoc sunt duæ Propositiones damnatæ ab Innocentio 11. quas *tract.* 10. *num.* 183. *& seq.* explicabo. In hoc Præcepto omnis labor servilis prohibetur, de quo multa dicam *part.* 2. *hujus praxis tract.* 16. *c.* 8. *&* 9. Prohibentur etiam actus judiciales, de quo tradam *part.* 2. *tract.* 15. *cap.* 3. *num.* 38. Et licèt materia jejunij ad quartum Ecclesiæ Præceptum pertineat; ut tamen inter Præcepta Decalogi ponatur, loquar de hac in hoc Præcepto, remittendo cætera hujus assumpti *ad part.* 2. *hujus praxis.* ubi *tract.* 17. *num.* 14. *& seq. & num.* 181. *& seq.* in explicatione Propositionum 23. 29. 30. 31. & 32. quas super hanc materiam damnavit Papa Alexander 7. multas ad hoc pertinentes doctrinas dilucidabo.

1. P. P. R. me accuso, quòd duobus Festivis diebus non audiverim Sacrum.

C. Omisitne Sacrum ex sua culpa?

P. Ita P. R.

C. Dicat mihi, qua de causa?

P. P. R. semel ante agressum iter licèt potuissem, non audivi Sacrum opinando me eam auditurum in loco, quo proficiscebar, sed quando illuc perveni, nullum amplius Sacrum inveni. Secunda vice autem manè ludere incepi, & postquam quando obligationis Missæ audiendæ recordatus fui, adivi Ecclesiam sed nullum amplius Sacrum inveni.

2. C. In his occasionibus dubitavitnè V. D., quòd non poterit amplius Missam audire; vel putavit, si tempore opportuno ad eam audiendam perventuram?

P. P. R. semper putavi opportuno tempore me perventurum.

C. Cùm ergo V. D. semper putaverit opportuno tempore pro Missa audienda se perventuram, nec unquam de contrario dubitaverit, non peccavit in his duabus occasionibus omittendo Missam; cùm malitia omissionis non consistat in ipsa omissione; ut cum Vasquez, & communi dicit caspensis *tom.* 1. *tract.* 11. *Peccat. disp.* 1. *sect.* 8. *n.* 8. Sed in positione causæ, suppositâ notitia quòd à tali causa omissio sit secutura, V. D. non cogitavit, quòd ex suo itinere, vel ex suo lusu possit sequi omissio Missæ, nec de hoc ullum dubium habuit: ergo omissio non fuit peccaminosa.

3. Dicat mihi V. D. ex opinione vel dubio, quòd tempore opportuno non esset deventura ad aliquem locum, omisitne auditionem Missæ in loco, à quo discessit?

P. Ita

P. Ita P. R. sed gratias ago DEO, quòd tempore opportuno pervenerim, & Missam audiverim.

C. Hìc benè V. D. mortaliter peccavit, quia, ut dixi, malitia omissionis consistit in dando causam, & exponendo se periculo ejusdem: sed licèt V. D. audiverit Missam, exposuit se tamen periculo hujus omissionis: ergo peccavit mortaliter: & hoc peccatum omissionis Missæ die Festivo est contra virtutem Religionis, sacrilegium tamen non est.

Notet hìc Confessarius, non statim condemnandum esse peccati mortalis Pœnitentem se accusantem de omissione Missæ die Festivo ex sua culpa, sed inquirere debet, quomodo, & qua de causa eam omiserit, modo supradicto.

4. P. P. R. me accuso, quòd alia die Festi, dum uxor mea esset graviter infirma, ac solam domi relinquere non possem, nec ullus pro custodia infirmæ daretur, omiserim audire Missam.

C. Existimavitne, se committere peccatum mortale non audiendo Missam?

P. Ita P. R.

C. Existimavitne pariter, se graviter peccaturum uxorem solam relinquendo?

P. Ita P. R.

C. Ad quem ex his duobus casibus se magis obligari existimavit?

P. P. R. Nullam inter unum, & alterum distinctionem feci.

C. Quamvis elicere actionem aliquam ex conscientia erronea dictante per eandem peccari, sit peccatum: In casu verò V. D. non fuit peccatū omissio Missæ; licèt contrarium conscientia erronea dictâsset; ita Joannes Sanchez *in select. disp.* 41. *num.* 13. Thomas Sanchez *in Sum. part.* 2. *cap.* 51. *n.* 6. Caspensis *tract. de Conscient. disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 11. quia peccatum debet esse voluntarium, & ut sit voluntarium, debet esse liberum; sed quando voluntas anceps hæret inter duo, quæ simul exercere nequit, & in ambobus putat adesse peccatum, non est libera; quia utrumque adimplere non potest: ergo nec ejus actio est voluntaria, & consequenter nec peccaminosa: v. g. Pastor existens in montibus cum armentis putat se æquè peccaturum ea deserendo, ac Sacrum omittendo, si alterutrum sequatur, non peccat; quia ei non est liberum utrumque adimplere, quod tamen ad vitandum peccatum supposita conscientia erronea requireretur: ergo idem dicendum in casu V. D.

5. Aliud esset, si conscientia erronea V. D. dictâsset, peccatum fore non audire Sacrum, non verò infirmam relinquere: In hoc casu ex conscientia erronea peccâsset per omissionem Sacri; quia pro tunc non proponit conscientia duo Præcepta singillatim, sed unum tantum, & sic libera manet ad id exequendum.

Etsi existimâsset, quod unum ex his

his præ alio eum obligaret, teneretur ad id, quod videbatur ipsi magis obligatorium : v. g. si putasset tam relinquendo infirmam, quàm non audiendo Sacrum se peccaturum, putasset tamen se magis peccaturum omittendo Missam, & ad hoc strictiùs obligari, tenebatur hoc dictamen sequi, & audire Missam.

6. P. P. R. me accuso, quòd per aliquod tempus in uno loco fuerim, à quo Ecclesia procul distabat, & ob hanc distantiam multotiès omisi audire Missam.

C. Quanta fuit distantia ab Ecclesia ?

P. P. R. distantia fuit trium milliarium italicorum.

C. Poteratne V. D. equitare ?

P. Ita P. R.

C. Tempus forsan fuit infestum ?

P. P. R. via erat valdè ardua.

C. Quando Ecclesia distat uno milliari germanico, quod pedester quis perficere debet, non est obligatio ita incedendi ad audiendam Missam; sic Villalobos *in Sum. part. 1. tract. 8. dif. 36. num. 5.* & addit, quòd, licèt minus distet, si tempus arduum, & via nivibus plena sit, neque adsit talis obligatio : Si autem equester perficere possit, non excusat distantia unius milliaris germanici, ita Diana *part. 10. tract. 15. resol. 35.* nisi forsan, esset valde lutuosa via, vel si plueret, aut ningeret; in similibus enim circumstantijs non obligatur quis adire Ecclesiam distantem milliari germanico ad audiendam Missam, quantumvis equester perficere possit; ita Leander in Sacram. *tom. 3. tract. 2. disp. 2. q. 24.*

7. P. P. R. me accuso, quòd aliquando permiserim famulum domi alijs pergentibus ad audiendam Missam.

C. Quo motivo permisit ipsum domi ?

P. P. R. ne mihi quidquam furto è domo furriperetur.

C. In illo loco, vel vicinitate fuerunt ne plures Missæ celebrandæ; quia si fuissent tantum duæ, potuisset famulus audire hanc secundam & hoc tempore alij de familia custodire domum.

P. P. R. unica tantùm Missa fuit.

C. Habuit ne V. D. aliquod fundamentum credendi, quòd nullo custodiam domûs remanente fuisset aliquid furto sublatum ?

P. P. R. vivimus in mundo tam perverso, quòd parùm fidendum sit.

C. Si fuisset auditum, dari latrones domos exspoliantes, potuisset rationabiliter timere ; ita Leander *ibid. q. 35.* & in hoc casu non esset peccatum relinquere aliquem domi tempore Missæ ad eam custodiendam; cùm autem non habuerit fundamentum timendi, nisi illud generale, quòd mundus sit perversus non potuit, nec potest licitè, & sine peccato privare famulum Missâ.

8. P. P. R. me accuso pariter de modica attentionè, quàm ordinarie in Missa habeo.

C. D.

C. Defectus attentionis provenit forsan ex garritione?

P. Ita P. R. aliquando.

C. Soletne protrahere discursum per notabilem Missæ partem?

P. Non P. R.

C. Quando defectus attentionis est solũ ad divertendas cogitationes, satisfit Præcepto in opinione probabili (quamvis communis & certa sit, quòd attentio requiratur) quia Ecclesia non imperat actus internos, licèt, si hæc distractio mentis esset voluntaria, peccatum veniale esset. Quando autem distractio proveniret ab extrinseco, ut ex garritione, somno, aspectu hinc inde per tertiam partem Missæ, non satisfit Præcepto, est communis DD. apud Remigium *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. quamvis aliqui DD. cum Laymano *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 3. excusent à mortali, quando consecrationi, & partibus principalioribus Missæ attenditur.

9. P. R. etiam meæ uxori dixi, ne ad Ecclesiam pro audienda Missa pergat, cùm filium lactet, quem solum relinquere non potest; & si eum secum ferret ad Ecclesiam, perturbaret per planctum Sacerdotem, & alios adstantes.

C. In hoc casu V. D. benè fecit ex Bonacina *de Præcept. disp.* 5. *q. unica. part.* 3. *num.* 8. & alijs; quia minor inconvenientia est, uxorem die Festi non audire Missam, quàm perturbare illos, qui Missæ intersunt. Vide Dianam *supra resol.* 36.

Caput II.

De labore die Festi.

P. P. R. confiteor, quòd per integrum annum serviverim Domino, qui communiter diebus Festivis me ad labores impellebat, & multotiès nec commoditatem audiendi Missam mihi dedit.

C. Quando petijstis pro commoditate, egit ne vobiscum asperè?

P. P. R. adeò asperè mecum egit, quòd, si tantùm verbum protulissem, statim me verberasset.

C. Ergo non peccâstis obediendo ei, ut dicit Sylvester *verb. Missa.* Azorius, & alij, quos citat, & sequitur Remigius. *tract.* 2. *cap.* 3. §. *f. n.* 2. qui docent servos posse laborare, & omittere Sacrum die Festivo ex mandato Dominorum, si non laborando eorum asperitatem timeant.

11. P. P. R. confiteor, quòd præterita die Dominica iter fecerim sex milliarium cum bestia onerata.

C. Fungimini fortè opere mulionis?

P. Non P. R.

C. Iter prosequi die Festivo ante Festum inchoatum, licitum esse dicunt Sylvester, Navarrus, Rodriquez, & alij, quos citat, & sequitur Pasqualiga *in decisionibus moral. decis.* 292. *num.* 1. Iter aggredi verò die festivo non esse licitum mulionibus sentit Sanchez *in opuscul. moral. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 9. Pasqualiga

tamen *loco citato num.* 5. & 10. non ponit distinctionem inter fungentem munere mulionis, & alium hoc non fungentem, omnibúsque indifferenter concedit libertatem inchoandi iter die Festivo, Diana etiam *part.* 1. *tract.* 15. *resol.* 36. absque ulla personarum distinctione dicit, licitum esse inchoare iter die Festivo, quamvis ego non approbarem absque urgenti necessitate; sicut nec id, quod admittit, & concedit Murcia *tom.* 2. *disq. lib.* 5. *resol.* 4. *n.* 7. *in fine*, quòd licitum sit præparare currus, & onerare die festivo pro itinere die sequenti aggrediendo.

12. P. P. R. confiteor, quòd subinde die Festivo mittam famulos meos adaquatum equos, & mense Augusti demessum frumentum extendendum, quod sequenti die triturari debet.

C. Utrumque licere concedit Sanchez *lib.* 5. *Consil. Moral. dub.* 18. *n.* 11. cum quibusdam modernis apud Pasqualigam *loco supra cit. decis.* 29. *n.* 2. quia consuetudo à Superioribus tolerata, & legitimè introducta prævalet Legi Ecclesiasticæ: sed tolerata, & permissa est consuetudo adaquandi, & extendendi granum die Festivo: ergo non erit contra Præceptum Ecclesiæ utrumque peragere.

Sic pariter piscari funiculo, & venari die Festivo permissum est ex opinione P. Murcia *loco supra cit. n.* 3. non tamen piscari retibus, nisi cum debita licentia fiat.

Excusantur parirer à peccato Tonsores, qui die Festivo suam artem exercent, ut dicit Sotus, Fernandez, & alij apud Dianam *p.* 2. *tr.* 15. *resol.* 24.

Notandum tamen est, quòd, ubi non viget consuetudo legitimè introducta, & à superioribus tolerata licitum non sit prædicta opera mercenaria, seu mechanica exercere.

13. P. P. R. confiteor, quod tempore messis, quo labores die Festivo dispensari solent, laboraverim, & acceperim solarium diurnum.

C. Hoc illicitum non est; quia, quando per licentiam licitum est laborare, stipendium quoque recipere licitum erit, ut docent Cajetanus, Sotus, Medina, Navarrus, & alij apud Murciam *ubi supra resol.* 6. *n.* 5. Et ratio est; quia *finis Legis non cadit sub Lege*; ergo quòd agens operetur ob finem stipendij, non erit contra Præceptum, quando talis labor permittitur ex dispensatione; ex quo principio infertur; cùm licitum sit scribere die Festivo, etiam stipendium recipere pro tali exercitio licitum erit.

14. Hìc necesse est, ut Confessarius admoneat de parvitate materiæ in hoc præcepto contenta plurimas mulierculas opinantes, quòd consuere modico tempore die Festivo sit peccatum mortale, ijsque explanet, quod laborare unâ horâ non sit peccatum mortale; ita Azorius *part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 5. & Busembaum *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 2. *n.* 1. dubus horis laborare materiam levem esse

esse dicit; ejusdem opinionis est Filiucius, quem citat, & sequitur Diana *p. 2. tract. 11. Miscel. resol. 36. §. Quanam verò*, id tamen, si sine necessitate fiat, veniale erit; cum necessitate verò tanto tempore laborare nullum est peccatum.

Caput III.

De Jejunio.

15 P. P.R. me accuso, quòd aliquot diebus non jejunaverim.

C. Ob quam causam?

P. P.R. aliquando sine ulla causa, aliquando verò ob labores, in quibus fui occupatus.

C. Completo 21. anno omnes Christiani (excipiuntur tamen infirmi, & graviter laborantes) obligantur ad jejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, & vigiliarum cum jejunio; & qui his temporibus non jejunat, peccat mortaliter. Sed dies veneris, & Sabbati quamvis obligent ad abstinentiam carnium, non tamen ad jejunium.

16. In quo labore fuit occupatus, quando non jejunavit?

P. P.R. aliquando vites putavi, aliquando verò fui profectus ad prædiorum meorum laboratores invisendos.

C. Putare vites, est labor sufficiens, ut quis à jejunio eximatur; quia principium commune Theologorum est, quòd quivis labor cum jejunio incompossibilis ab eodem excuset; talis autem est, putare, fodere, metere, & similia: ergo ea die, qua putavit vites non tenebatur ad jejunium. Quando verò ad laboratores suos invisendos fuit profectus, erant ne procul prædia, ita ut in hoc itinere non modicum se defatigaverit?

P.P.R. erant aliquantùm distantia?

C. Solebat ne ire pedester, vel equester?

P. P.R. equester.

C. Papa Alexander VII. in Decreto edito Anno 1606. in Propositione 31. damnavit ut improbabilem opinionem, juxta quam omnes, qui equestres proficiscuntur, quamvis sine necessitate, & iter sit unius diei, non obligantur ad jejunium.

Ex quo infertur, quòd non fuerit excusatus à jejunio eundo equester ad laboratores, ibique morando sine ullo labore campestri; quia quamvis ipsius occupatio fuerit necessaria, defatigatio tamen non fuit magna; etenim equitando non potuit tantum temporis spatium consumere ad prædia adeundum, licèt aliquantum distantia, ut per hoc à jejunio exemptus esse debuisset.

17. Si pedester ire deberet, & ab uno prædio ad aliud haberet ad itinerandum per majorem partem diei, esset excusatus à jejunio ex sententia Sanchez *in Consil. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 10.* Sylvestri, Gabrielis, Paludani, & aliorum, quos citat, & sequitur R. P. Leander à Murcia Capucinus in explicat Regulæ P. N. S. Francisci *cap. 2. super 3. Regulæ §. 2.*

n. 22. qui docent, quòd is, qui pedester per majorem partem diei iter peragit, hócque necessarium, & utile est, regulariter ad jejunium non teneatur: sed proficisci ad laboratores est exercitium utile: ergo, si per majorem partem diei pedester incedat in hoc exercitio, regulariter ad jejunium non obligabitur.

18. P. P. R. me accuso, quod quadam die ad venationem iverim, ex qua fui ita defatigatus sequenti die jejunij, quòd jejunare non potuerim.

C. Prævidit ne taliter defatigationem, ita ut sequenti die jejunare nequiret?

P. P. R. de hoc non cogitavi.

C. Ex Decreto Alexandri 7. ante cit. infertur, quòd venari, ludere pila, seu exercere aliam occupationem voluntariam, quæ vitari potest, non sufficiat, ut quis à jejunio eximatur contra Medinam, Ledesmam, Filiucium, Villalobos, quos citat Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 40. docentes, eum, qui voluntariè obicem ponit jejunio v. g. defatigationem per lusum pilarium non peccare omittendo jejunium, quæ opinio est contraria Decreto Alexandri VII. cùm autem V. D. non præviderit ex hoc exercitio voluntario futuram tantam defatigationem, ut impotens redderetur ad jejunium, non peccavit omittendo jejunium, nec eundo ad venationem; quia deficiente hac prævisione omissio voluntaria non fuit; ita Rodriquez *in Sum. tom.* 1. *cap.* 23. *n.* 6. & alij.

19. P. P. R. me accuso, quòd in Quadragesima in Festo S. Josephi non jejunaverim.

C. Laboravit ne illâ totâ septimanâ, in qua fuit Festum S. Josephi?

P. Ita P. R.

C. Quo labore?

P. putando, & fodiendo terram

C. Non tenebatur jejunare illa die ita docet cum alijs Thomas Sanchez *ubi supra n.* 10. cum Medina, Angelo Victoria, & P. Murcia *ubi supra n.* 2. qui docent, eos, qui tota septimana laborant labore molesto, quamvis una, vel altera die laborare desinant ob pluviam, vel aliam causam, non obligari illa die ad jejunium; quia labore antecedente & subsequente vires debilitatæ remanent, & egent restauratione in die, quâ laborare desinunt.

20. P. P. R. me accuso, quòd in domum receperim sartores die jejunij ad laborandum, quibus collationem, & cœnam dedi.

C. Intendebant ne sartores jejunare, vel se determinabant ad non jejunandum?

P. P. R. soli petierunt cœnam dicendo, se non jejunare.

C. Si probabilis esset sententia Fagundez *Præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 15. & 16. *in fine*, & Ledesmæ, qui sartores excusant à jejunio: V. D. non haberet scrupulum ob datam illis cœnam; hæc verò sententia est damnata ab Alexandro VII. in Proposit. 3. ubi reprobat opinionem, quòd omnes Officiales Reipublicæ excusen-

tu-

tur à jejunio; nec certificari opus sit, an illorum labor compossibilis sit cum jejunio, vel non, adeóque opinio contraria vera, & cómmunis est, quæ docet sartores obligari ad jejunium, Layman. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 3. Azorius *part.* 2. *lib.* 8. *cap.* 17. *q.* 8.

21. Quamvis improbabilis sit sententia, quæ sartores à jejunio excusat, V. D. tamen non peccavit dando illis cœnam; cùm ipsimet petierint, & ad non jejunandum se determinaverint; tum quia. ut cum Fagundez docet Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resol.* 13. ille, qui conducit artifices ad laborandum die jejunij, non obligatur conducere tales, qui non obstante labore possint jejunare, tum quia absolutè determinatum ad cœnandum licitum est invitare ad cœnam urbanitatis gratiâ, ut docet Filiucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part* 2. *cap.* 5. *num.* 64. & Villalobos *in Sum. p.* 1. *tract.* 23. *dif.* 3. *n.* 2. ergo si sartores erant determinati ad non jejunandum, licitè potuit eis cœnam administrare.

22. Illi qui non obligantur ad jejunium; sunt agricultores, fabri, & omnes illi, qui opera laboriosa magnam desatigationẽ causantia exercent.

Concionatores, & Confessarij, qui multùm laborant in suo ministerio, etiam excusantur, ita Thomas Sanchez *in opuscul. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 13., & alij.

Sutores excusat à jejunio Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 43. Bonacina *de Leg. disp. ult. q.* 1. *part. ult. num.* 10. Layman ubi supra. Ego verò censeo cum Toleto *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 5. tales ordinariè obligari ad jejunium quia labor eorum tam gravis non est, ut eos à jejunio eximat.

23. Barbi tonsores non excusantur à jejunio, ut DD. communiter docent, Layman, Lessius, Azorius, *ubi supra*, & alij multi; ex quo infertur, quòd etiam Medici, & Chirurgi ad jejunium teneantur.

Mulieres gravidæ, & quæ lactant, non obligantur ad jejunium; ita Lessius *ubi supra n.* 39. Valentia *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 2. *punct.* 2. Vega *in Sum. tom.* 1. *cap.* 14. *casu* 22. & alij.

Excusantur senes 60. annorum, quamvis robusti, & vegetes sint. Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 54. *& l.* 7. *de Matrim. disp.* 32. *num.* 17. Portel. & alij, apud P. Leandrum à Murcia *in explicat. Regulæ Præcept.* 3. *cap.* 2. §. 2. *num.* 18.; quia *senectus ipsa est morbus.*

24. P. P. R. me accuso quòd, dum una die Quadragesimæ me aliquantum malè sensérim, comederim carnes.

C, Consuluitne Medicum de malo suo?

P. Non P. R.

C. Fortè suum Patrem spiritualem?

P. P. R. nec istum.

C. Quando infirmitas est gravis, v. g. febris tertiana, & quartana non est necessarium consultare Medicum vel alios ad vescendum carnibus;

sed quando infirmitas est valdè levis, & dubitatur, an sit sufficiens, vel non, ad manducandas carnes, consultari debet Medicus, & Confessarius, & cum consensu amborum potest ex privilegio Bullæ carnibus vesci, etiam in casu dubio.

Non est tamen licitum alicui in simili dubio arbitrum, seu judicem agere in propria causa, & sumere sibi licentiam comedendi carnes, & frangendi jejunium, gravitêrque delinquit, qui propria authoritate id facit.

25. Quoties comedit carnes illa die?

P. P. R. duabus vicibus.

C. Qui frangit jejunium sæpius in die edendo cibos quadragesimales, unum tantùm numero, & specie peccatum committit; quia jejunium est res indivisibilis, quod semel fractum non obligat amplius illa die; sed qui frangit jejunium edendo carnes, duo peccata mortalia committit; quia, sicut dicit Choninch. *de Sacramentis disp. 7. dub. 5. num. 42.* jejunare, & non comedere carnes sunt duo præcepta distincta habentia insuper distinctam materiam: sed peccata multiplicantur numero, quando Præcepta sunt distincta, & habent diversam materiam: ergo frangere jejunium comedendo carnes est duplex numero peccatum.

Et insuper, quotiescunque quis carnibus vescitur die jejunij, tot peccata committit; ut docet cum Layman, Villalobos, Suarez, & alij Diana *part. 1. tract. 9. resol. 45.* quia præceptum non comedendi carnes est negativum, quod obligat *semper, & pro semper.*

26. P. P. R. me accuso, quòd emiserim votum jejunandi una die Mercurij, in qua postmodùm pluriès sine necessitate carnes comedi.

C. V. D. peccavit sacrilegè frangendo votum jejunij sine necessitate, plura tamen numero peccata non commisit sæpiùs illa die carnes comedendo; ut docet Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 41.* ubi dicit, quòd is, qui fecit votum jejunandi aliqua die, non peccet toties, qnoties carnes comedit.

Quia hic sibi non imposuit præceptum non comedendi carnes *per se*, nisi in quantum erat medium ad servandum jejunium: ergo fracto semel jejunio cessavit jam præceptum non comedendi carnes. Contrarium tamen evenit in jejunijs Ecclesiæ, quæ in his *per se* prohibet esum carnium tanquam præceptum distinctum à præcepto jejunij, ut clarè videtur in laborantibus, quos Ecclesia à jejunio eximit, non tamen ab abstinentia carnium.

27. P. P. R. me accuso, quòd in quatuor temporibus lacticinia, & ova sine Bulla comederim.

C. In Quadragesima tantũ sunt prohibita lacticinia, in alijs verò jejunijs extra quadragesimam licita sunt sine Bulla. Sanchez, *ubi supra num. 25.*

28. P. P. R. me accuso, quòd etiam

in Quadrageſima fregerim jejunium unius diei comedendo tribus vicibus lacticinia.

C. Id quod dictum eſt de fractione jejunii Eccleſiæ comedendo carnes, etiam dico de fractione jejunii comedendo lacticinia in Quadrageſima, nempè, quòd duo peccata mortalia committat, unum contra jejunium, aliud contra præceptum non comedendi lacticinia tempore Quadrageſimæ; & quoties eſum lacticiniorum repetit, tot numero peccata committit; ita docet cum Choninch *loco ſupra cit.* Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 157. Ratio eadem hic militat, quæ ſuperius de eſu carnium.

Notet tamen Confeſſarius; plures dari pauperculas perſonas deſtitutas medijs ad emendos piſces, non autem ad veſcendum ovis; hæ proinde, cùm non habeant duos regales pro acquirenda Bulla, ſcrupulis anguntur in comeſtione ovorum; quare illis dicat liberè, quòd ſine ſcrupulo ea comedere poſſint, cùm Eccleſia ſit Mater pia non obligans ſuos filios cum tanto rigore.

29. P. P. R. me accuſo, quòd in jejunio circa collationem veſpertinam habeam aliquem ſcrupulum.

C. Quantitas, quæ in collatione ſumi poteſt, conſiſtit in ſex uncijs; ita Villalobos *in Sum. part.* 1. *tract.* 23. *dif.* 7. *num.* 4. plerique alij. Fagundez verò *in Præcept. Eccleſiæ ſuper 4 præcept. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 13. concedit octo circiter uncias; iſte tamen nimis relaxat; quia collatio introducta eſt, ut potus non noceat, adeóque ad hunc effectum quatuor, vel ſex unciæ ſufficiunt. Et advertendum eſt, quòd in ſex, vel octo uncijs comprehendatur totum id, quod in collatione comeditur; quia Gens vulgaris putat ſolum panem comprehendi in hac quantitate determinata, non verò fructus, & alia.

Qualitas cibi, quem collatio admittit, ſunt panis, fructus ſicci, vel recentes, lactuca cruda, vel cocta, & alia dulcia ex ſaccharo.

30. ciocolata dubitatur, an frangat jejunium, vel non: ego teneo pro certo, quòd frangat: quamvis dicant, eſſe aliquem potum: libenter ab ea utentibus ſcirem, an illam ſumant per modum potûs, vel per modum cibi: potus eſt ad extinguendam ſitim, cibus verò pro alimento; ſed ciocolata accipitur, & ſervit pro alimento, & non ad extinguendam ſitim: ergo quomodo poteſt eſſe potus? potus erit pro multis, quod non negatur (ut dicit Job) *bibunt quaſi aquam iniquitatem.* Non negatur, quod per modum medicinæ in una, vel altera neceſſitate licitum ſit eam ſumere, ſed hoc, quod reprehenditur, eſt uſus *toties, quoties.* O quam parùm Deus horum opiniones approbabit in ſuo Tribunali, ubi patebit, ſe non admittere omne id, quod hìc probabile appellant; etenim plura, quæ hìc licita eſſe autumant, & dicunt, verè nihil aliud ſunt, quàm puræ relaxationes corruptæ naturæ humanæ.

CA-

Caput IV.

Exhortationes pro transgressoribus Festorum.

31. Enitatur omni possibili devotione Sacrificio Missæ diebus Festivis interesse, cùm sit Mysterium adeò supremum, cui Angeli cœlorum cum summa reverentia, & tremore assistunt, ut adstantes præsentiæ Dei Sacramentati. Attentè consideret, quòd Missa sit repræsentatio illius incomparabilis beneficij, quod Deus nobis præstitit nos redimendo suo pretiosissimo Sanguine super Crucis Altari pretio infinitorum tormentorum: perpendat, quòd is, quem in manibus Sacerdotis adorat, sit ipsemet, qui pro amore nostri indicibiles pœnas sustulit: contempletur eum tanquam mare pœnarum, Imaginem dolorosam tormentorum, colaphis affectum, sputis illusum, flagellis cæsum, spinis coronatum, ac tandem in Cruce manibus, & pedibus acclavatum, innumeris opprobriis, ut malefactorem mortuum, quæ omnia summa cordis dulcedine, & amore ad nos miseros salvandos pertulit.

32. Abstineat se à laboribus diebus Festivis, impendat in nomine Domini integram hebdomadam in laboribus pro corpore, sed diem Festivum in labore pro anima. Si his diebus Festivis non studuerit audire omnia Sacra, quæ potest, neq; se Deo recomendare orationibus, & operibus Sanctis, certè in puncto mortis se exoneratū inveniet operibus bonis. Ille, qui autumno non seminat, Augusto nihil metet, & qui parcè seminat, parce & metet. Si V. D. non seminaverit in terra animæ suæ granum virtutis, & opera sancta, ver non colliget fructus Gloriæ Cœlestis. Deus non ordinavit dies Festivos ad labores, lusus, saltus, & similes occupationes, sed ut laudemus eum, ac debitum cultum Suæ Divinæ Majestati, & Sanctis suis exhibeamus; & sic procuret hoc brevi vitæ tempore, quod ei remanet, se abstinere ab omnibus occupationibus minus licitis, Reflectat se habere animam egenrem alimento spirituali, ut corpus materiali, si deest corporis refectio moritur, anima, quæ sua refectione spirituali caret, quomodo vivet? ex sequenti casu clarè patebit, quantum Deus per Festorum transgressionem offendatur,

Exemplum contra eos, qui Missam diebus Festivis negligunt,

33. Refert P. Andreas *in suo itinerario grad.* 11. §. 8. de quodam milite valdè negligente in observatione Festorum. Hic in solemniori quadam festivitate populo ad Ecclesiæ fores confluente invitatus & ipse ad eodem gressus à campanarum resonante pulsu, ascendit equum, ad campos solatia capessendi gratiâ dilabitur, emetienti beneficio equi camporum planitiem diabolicum obvium spectrum, eumque hunc in modum alloquitur:

alloquitur: cùm tu nolis adire Ecclesiam ad audiendum Sacrum cum musica, & sermone, lares Inferni adibis ad audiendos cruciatus, & gemitus à damnatis ibi in æternum emittendos: His dictis horrendo ictu percussit militem, qui concidens in terram proprio sanguine involutus miserè expiravit, ejusque animam Diabolus abripiens corpus fœdissimum ad instar damnati, prout erat, reliquit, ut negligentes in audienda Missa, & concione resipiscere studeant.

Exemplum contra eos, qui non sanctificant Festa.

34. Refert idem P. Andreas *loco cit.* §. 7. de uno Curato, vel Parocho, qui ante Sacrum unà cum suis amicis ad venationem recreationis gratiâ se contulit: in qua canes persequentes cuniculum, hic fugiens in cavernam se abscondit; Parochus extendens manum ad extrahendum cuniculum ex caverna, eamdem intus detineri sensit, ac à potentia invisibili se ad cavernam trahi. Interim evanuit Parochus, socij existimantes eum ab Inferno absorptum, cavernam accedere ausi non fuerunt: effluxerat aliquod dierum Spatium, & comparuit Parochus, qui omnium primò se contulit ad Beatissimam Virginem in Guadalupe invisendam, cui se cordicitus commendavit, quando deorsum per illam obscuram cavernam deferebatur: interrogatus postmodùm ab alijs, ubi nam fuerit, & ad quem locum per illam cavernam devenerit, maximis cum lacrymis respondit: non habeo verba ad explicanda acerba tormenta, quæ his diebus sufferre debui absque notitia, ubi nam fuerim; quid autem dixero, nihil erit respectu eorum, quæ sui passus, nec meis verbis fides ulla præberetur: ô mea stultitia! ô recreatio infausta! amici mei discite à me, & seriò Festa sanctificate, Angelorum Reginam, qua mediante ab Inferno sum liberatus, summa devotione recolite. Mutavit vitam taliter ob hoc accidens, quod optimum testimonium dedit, quantum ibi pati debuerit.

Ex quo Sacerdotes addiscere possunt, quomodò tempus ante Sacrificium Missæ celebrandum impendere debeant in præparanda anima ad tam Divinum Sacrificium, quod in Altari perficiunt, nevè ante hoc inutili temporis dispendio distrahantur. Hi pariter admoniti reddantur, quòd, si Deus tanto cum rigore punit eos, qui diebus Festivis laboribus licito incumbunt, ut est venatio, quid faciet cum illis, qui Festa rebus profanis, saltibus, lusibus, &laboribus servilibus incumbendo transgrediuntur.

TRACTATUS IV.
DE IV. PRÆCEPTO.

Honora Patrem, & Matrem.

CAPUT I.

De Obligatione Filiorum erga Parentes.

IN hoc quarto Præcepto, in quo DEUS præcepit honorare Patrem & Matrem, diversæ obligationes comprehenduntur; scilicet, obligatio Filiorum erga Parentes, & istorum in educando nutriendo, corrigendo, & instruendo: obligatio uxoris erga Maritum, & Mariti erga uxorem: Superiorum erga subditos, & subditorum erga Superiores: discipulorum, & pupillorum erga Magistros, & Tutores: famulorum erga Dominos, & Dominorum erga famulos: & præterea obligatio, quàm quivis in suo statu, & officio habet.

Tradam hoc loco res magis practicas, & necessarias, ex quibus plures aliæ deduci poterunt. In secunda verò parte hujus praxis loquar de speciali unius cujúsque obligatione ad suum statum, & officium requisitâ.

1. P. P. R. in hoc præcepto me accuso, quòd multotiès respectum erga Parentes perdiderim.

C. Tria à Filijs exhibenda esse Genitoribus docent Theologi, & sunt, amor, reverentia, & obedientia. contra amorem Parentibus debitu peccant Filij, qui Parentes suos odi habent, abhorrent, torvo oculo in tuentur, & corde perverso eis loqu ac in eorum miserijs, & necessitat bus succurrere renuunt, cum id fa cere possint. Contra reverentiam peccant Filij, qui Genitores verb arrogantibus, & injuriosis afficiun manúsque in eos injiciunt. Cont obedientiam peccant Filij, quand mandata Genitorum non exequun tur; quod totum clarè patebit ex solutionibus interrogationum se quentium, & incipiendo ab obe dientia.

Dicat mihi, fuit ne executus id quod à suis Parentibus fuit ipsi in positum?

P. P. R. ordinariè non libente feci id, quod præceperunt, & ali quando etiam omisi.

C. Id, quod ipsi præceptum fuit erat ne res notabilis, & alicuj momenti?

P. P. R. imperârunt mihi, ne noct domo exirem, ita ut serò redirem ne chartifolijs luderem lusu perico loso, in quo multùm perdere pos sem, ut vitarem malos socios.

C. Hoc totum est materia alicuj momenti, ideóque inobedientia quolibet ex his est peccatum mort le; ita Villalobos *part.* 2. *tract.* 4 *dif.* 6. *n.* 3. estque communis. In re bus tamen levibus domesticis, & pa vi momenti Parentibus non obedi est communiter peccatum veniale.

2. P. P. R. me accuſo, quòd contra voluntatem Patris mei duxerim uxorem.

C. Perſona, quam duxit, erat ne inæqualis qualitatis, & conditionis?

P. P. R. In omnibus quidem fuit æqualis, Parentes tamen proponebant mihi aliam æqualem.

C. Si duxiſſet aliquam notabiliter inæqualis conditionis contra voluntatem ſuorum Parentum mortaliter peccâſſet, ut dicit communis Theologorum cum Toleto, & Navarro apud Fagundez *in Decalog. lib. 4. num. 4.* quia Filius tenetur obedire Genitoribus in rebus rationabilibus: ſed rationabile eſt non ducere uxorem inæqualem: ergo, &c.

3. Ducere tamen uxorem ſibi æqualem contra voluntatem Parentum non eſt peccatum, ut docent Toletus, Molina, Cörduba, & alij apud Fagundez *ubi ſupr. num. 4.* Et ratio eſt; quia eſt liber in electione ſui ſtatûs, ergo, quando hæc eſt rationi conformis, Pater nequit eum impedire. Ad quod multùm Parentes attendere deberent, qui filiorum ſuorum, & filiarum voluntati contradicunt obligando eos ad ineundum Matrimonium cum perſonis, ad quas nullum genium, & propenſionem habent. Unde provenit, quòd totam vitam miſerè, & deſolate, ſine pace, & quiete protrahant.

Solùm in hoc caſu obligatur Filius ducere perſonam æqualem à Parente propoſitam relictâ aliâ æquali, ad quam inclinat; nempe, quando ducendo illam perſonam à Parente propoſitam ſedantur rixæ, lites, & familia à gravi miſeria liberatur; ita Remigius *tract. 2. cap. 4. § 1. n. 10.*

4. P. P. R. me accuſo, quòd multoties arroganter reſponderim dictis Parentis, & cùm ſemel me verberâſſet, aggreſſus ſum ipſum, & in defenſionem meam eum ad terram projeci.

C. Quando Filius manus in Parentem injicit, imò, quando ei verberationem minatur, peccat mortaliter, ut cum Reginaldo docet Buſembaum *in Medulla lib. 3. tract. 3. cap. 2. dub. 1. num. 2.* actus tamen defenſionis non eſt condemnandus culpæ mortalis; quia defenſio eſt licita, & conceſſa: & quod V. D. patravit, fuit ſolùm ob ſui defenſionem, & *per accidens* ſecutus eſt prolapſus Patris.

5. Dicat mihi nunc: ſolebatne Parens ipſius maledicere, & jurare, quando V. D. ejus dictis reſpondebat?

P. Ita P. R. magnoperè, & vehementer.

C. Protulit ne contra V. D. verba mordacia, & injurioſa?

P. P. R. ille eſt naturæ tam iracundæ, ut ad quodlibet meum reſponſum ita fuerit exagitatus, ut in mille maledictiones, & juramenta proruperit.

C. Ad formandum judicium de qualitate hujus peccati attendi non debet inquietudo, & moleſtia Patris, ſed occaſio data; ſi occaſio

est levis, quamvis Pater multùm excandescat, & se exasperet, veniale erit; quia hæc inquietudo provenit à mala natura Patris, & non à Filio, ut ait Marcantius *resol. moral. circa quart. Decalog.* §. *Quæro* 3. Remigius *tract. 2. cap. 4.* §. 1. *n. 4. in fine.*

6. P. P.R. me accuso, quòd semel exortâ aliquâ discordiâ inter me, & Parentem meum diù postmodum eundem odio habueram.

C. Quanto tempore duravit hoc odium?

P. P.R. per tres Menses.

C. Toto hoc tempore V. D. fuit in statu peccati mortalis, & taliter, quòd odium illud ob circumstantiâ talis objecti duas malitias specie distinctas habuerit; unam contra charitatem propter generalitatem Proximi: aliam contra pietatem propter circumstantiam Patris; quia ad pietatem requiritur, ut Patri amor specialis deferatur; ergo, si odium cujuscunque ex nostris proximis habet malitiam contra charitatem, odio habere Patrem duplicem malitiam continebit, scilicet contra charitatem, & pietatem.

7. P. P.R. me accuso pariter, quòd subinde Parentem meum torvo oculo, & aspero supercilio aspexerim.

C. Hoc forsan erit aliqua vindicta ob aliquam levem inquietudinem?

P. Ita P.R. solemus in rebus minimis, & domesticis habere aliquam dissensionem cum aliqua exacerbatione.

C. Intueri Parentem torvo, & aspero oculo absolutè loquendo est peccatum mortale; sed quando ob aliquam dissensionem domesticam habetur aliqua modica indignatio, solùm erit veniale: ita Toletus, Sylvester, Tabiena apud Fagundez *tom. 1. super Decalog. lib. 4. cap. 2. n. 1.* &c.

8. P.R. me accuso, quòd Fratri meo natu majori, dum adhuc parvulus eram, dixerim verba mala, & aliquando ipsum percusserim.

C. Rixæ, quæ fieri solent inter infantes, quamvis sint Fratres, venialia peccata esse censentur.

9. P. P.R. me accuso, quod meam sororem odio habuerim, & ipsi malum exoptaverim.

C. Illud malum, quod desideravit, fuit ne mors, infamia gravis, aut aliud malum notabile?

P. P.R. desideravi quidem grave malum, non tamen adeò notabile.

C. Desiderare grave malum sororori, est peccatum mortale, sicut desiderare cuicumque nostro proximo, ob circumstantiam tamen sororis non habet malitiam specialem contra pietatem, nisi fortè desideraverit malum notabile, ut mortem gravem infamiam; sicut sentit Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 16. *num.* 307. quia fratres non tenentur tantum invicem amare, nec est tanta obligatio inter illos, quanta est erga Parentes: ergo quamvis sit peccatum speciale contra pietatem, desiderare qualecunque grave malum Parentibus, non tamen erit respectu fratrum,

trum, nisi esset malum notabile. Ex quo infertur, quòd damnum notabile, etiam ipsam mortem alijs consanguineis, præter Genitores, Avos, & fratres desiderare, quamvis mortale erit contra charitatem, tamen non habebit specialem malitiam contra pietatem; ut cum Bonacina docet Lugo *loco cit. num.* 398. quia alijs consanguineis nō debetur ille amor specialis, sicut Parentibus Avis, & fratribus: ergo non erit contra virtutem pietatis desiderare ijs damnum notabile.

10. P. P.R. me accuso, quòd interdum etiam contra meam Matrem dixerim aliquam maledictionem dicendo, Diabolus vos rapiat.

C. Hanc maledictionem dixit ne ex corde?

P. Non P. R. sed solùm ab impatientia motus.

C. Dixit ne in præsentia Matris?

P. Ita P. R.

C. Maledictione afficere Genitores cum animo, & intentione, ut eveniat id, quod eis imprecamur, sive sit in præsentia illorum, sive in absentia, semper est peccatum mortale cum duplici malitia specie distincta, nempè contra charitatem, & pietatem. Si maledicuntur Parentes in absentia eorum sine animo, ut maledictio suum sortiatur effectum, veniale tantùm erit; si verò fiat in præsentia, licèt sine hoc animo, erit peccatum mortale, nisi inadvertentia excuset; ut ait Remigius *in Sum. tract.* 2. *cap.* 4. §. 1. *num.* 3.

11. P. P. R. me accuso, quòd ante aliquot dies cum Judice, vel Gubernatore contenderim, cúmque sui intentionatus occidere; interim obviarunt mihi aliqui amici, quibus de eo multa mala sui locutus.

C. Id, quod dixit amicis, fuit ne res gravis contra bonum nomen Gubernatoris?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne res publica?

P. Non P. R.

C. Duæ actiones sunt hìc distinguendæ: prima, in qua contendit cum Gubernatore, fuit contumelia; secunda fuit detractio; in prima actione sunt duæ malitiæ specie distinctæ, una contra justitiam, altera contra virtutem observantiæ, vel obsequij, quæ virtus requirit specialem respectum erga Judicem, & Superiorem: in secundo fuit tantùm una malitia, scilicet injustitiæ; quia virtus observantiæ præcipit, ut Superioribus specialis reverentia deferatur; huic reverentiæ opponitur oblocutio, vel actio contumeliosa contra Superiorem, non autem murmuratio in absentia: ergo in prima sunt duæ malitiæ, in secunda verò tantùm una. Est doctrina S. Thomæ, & ipsius scholæ, quæ videri potest in disquisit. moral. P. Murciæ *tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 8. *resol.* 3. *num.* 6. & 7.

Circa modum, quo satisfieri debet injustitiæ propter contumeliam,

& damnum, ac propter detractationem, in octavo præcepto patebit.

12. P. P.R. me accuso, quòd debitum respectum erga personas me natu majores non habeam.

℣ C. hæc circumstantia majoris ætatis in personis offensis non mutat speciem, quamvis aggravet malitiam offensæ, ut colligitur ex doctrina de Lugo supra cit. & specialiter *num.* 309. & perdere respectum erga illas erit peccatum veniale, vel mortale secundùm ea, quæ contra ipsas dicuntur, vel fiunt.

Caput II.

De obligatione Parentum erga Proles.

P. P.R. dico meam culpam, quòd fuerim negligens in educandis meis prolibus.

C. Procuravit ne, ut instruantur in doctrina Christiana, aut misit eas ad scholam, vel ad Parochum, ut eas instruat?

P. P.R. magnam negligentiam in hoc habui.

C. Graviter peccant Parentes, si negligunt instruere Proles in doctrina Christiana, & rudimentis Fidei, non solùm in tenera ætate, verùm etiam in ætate jam provecta; siquidem satis in confessionali experimur cum maximo nostri cordis dolore magnam ignorantiam, quæ inter Fideles de sacris Fidei Mysterijs reperitur, & hic defectus non solùm in parvulis, sed etiam in adultis videtur esse, qui, cùm facilè possint memoriæ mandare cantilenas lascivas, & res mundanas, solùm pro addiscendis necessarijs ad salutem consequendam se ineptos esse censent, & volunt: Hoc enim provenit à Parentibus, qui in eorumdem pueritia non procurant eos alere hac doctrina Cœlesti; nec juvat excusatio, quòd Parochus, & Magister eos sint erudituri, sæpius enim contingit, quòd utérque negligat, Parens hoc negligit; quia credit, quòd Parochus suo officio sit functurus; Parochus similiter idem credit, quòd Magister scholæ sua faciat, & ita evenit, quòd pauperculæ proles in fine vitæ suæ toties inveniantur absque notitia necessariorum ad salutem; de quo Parentes, & Parochi strictissimam Domino Deo rationem reddent. Hoc idem dico de Dominis respectu famulorum suorum, quorum non solùm corpus, sed & singulariter anima est ipsis commendata; & si graviter peccarent Parentes, & Domini, qui filijs, aut famulis congruum, & necessarium alimentum corporale non tribuerent, quanto major culpa erit non subministrare animæ alimenta spiritualia.

14. Dicat mihi, procuravit ne, ut Proles ipsius bonis moribus instruantur, corrigendo earum vitia, & abstrahendo eas à mala societate?

P. P.R. in hoc valde negligens fui.

C. Negligentia, & omissio in hac ma-

materia est peccatum mortale; Videatur Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *q.*17. & est communis. Parentibus verò in hoc negligentibus timendum est de Domini DEI vindicta, ut factum est Heli; quia non correxit errores, & defectus filiorum suorum. 1. *Reg.* 3. *eò quòd noverit filios suos indignè agere, & non corripuerit.*

15. Dedit ne filijs aliquod malum exemplum?

P. Ita P. R. habui per aliquod tempus unam malam, & perversam amicitiam, de qua tota familia conscia erat.

C. Ob hanc circumstantiam mali exempli commisit novum specie peccatum, scilicet injustitiæ; quia quivis Superior ratione sui officij obligatur ex justitia præesse bono exemplo suis subditis: sed Pater est verus Superior suæ familiæ: ergo ex justitia obligatur familiæ bono exemplo præesse; & per consequens, si dat malum exemplum, peccat contra justitiam.

16. Permisitne V. D. aliquem ex suis filijs, postquam ad usum rationis pervenit, dormire in cubiculo suo, quando utebatur uxore sua? aut filios cum filiabus, famulum cum famula simul dormire indulsit?

P. P. R. famulum cum famula non sed benè filios cum filiabus, & hos nobiscum.

In hoc pessimè egit, & agit; quia malitia moderno tempore eò devenit, quòd vix appareat viriditas rationis, jam videtur germen malitiæ: & certum est, quò expertus dicere possim, multa mala me invenisse in mundo, maximè inter fratres, & sorrores parvulas, quando simul, vel etiam cum Parentibus dormire permittuntur, postquàm ad usum rationis pervenerunt.

17. P. P. R. dico meam culpam, quòd filius meus, quem Sacerdotem futurum determinavi, velit ducere uxorem, dicendo, se non habere vocationem ad statum Ecclesiasticum, ego autem nolo, ut uxorem ducat, sed ad susceptionem Ordinum eum obligare tento.

C. V. D. pessimè agit, & peccat mortaliter; quia filius est liber in electione sui statûs; ita Sotus, Corduba, Lopez, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 22. *num.* 6. & hoc peccatum reducitur ad speciem injustitiæ; cùm V. D. usurpet jus, quod habet filius ad electionem status secundùm vocationem suam.

In hac materia Parentes magnum scrupulum habere debent, pariter & Confessarij; quia hoc tempore Ecclesia Dei habet innumeros perversos Ministros ex culpa eorũ Parentũ, ut ad aliquã capellaniam, vel beneficiũ promoveant filios, ad susceptionẽ Sacrorum Ordinum licet invitos compellunt, nec advertunt hi, quòd continentia sit singulare Dei donum, & maxima sit temeritas eligere statum continentiæ absque vocatione Divina. Nec minus improperandum est illis Parentibus, qui filias, licèt re-

reluctantes, monasteria ingredi, & statum Religiosum eligere cogunt, quem proinde invitæ amplectentes vitam postmodum desolatam, & interdum maximis Dei offensis obnoxiam ducunt. His enim expedientius fuisset Parentes pauperculos, & mercenarios habuisse; quia saltem statum sibi consentaneum eligere potuissent, quàm Filias esse nobilium, & equitum, qui usum eas ad Monasteria cogendi habent, absque eò, quòd perpendant; Deum nullo præcepto obligasse ad servandam castitatem tanquam summè arduam, sed liberè à quocúmque eligendam voluisse. *Qui potest capere, capiat. Matth.* 19. Hoc ipsum ait Apostolus: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, ad Corinth.* 7. de eo autem, quod Deus in libertate reliquit, quomodo Parentes præceptum facere prætendunt, tales sunt in malo statu, nec absolvi possunt, donec voluntates filiorum suorum cogere desistant.

18. P. P.R. dico meam culpam, quòd Filia mea contra meam voluntatem personæ inferioris conditionis nupserit, quod multùm ægrè fero, quapropter non volo conversari cum ea, totíque familiæ meæ imposui, ut similiter faciat.

C. Habet ne illam odio, vel desiderat ipsi malum?

P. Non P. R. sed solùm ægrè fero modicum respectum, quem erga me habuit.

C. Est ne multùm temporis, quòd hoc acciderit?

P. P.R. erunt sex anni.

C. Quando Proles similes errores committunt ineundo Matrimonium cum persona inferioris conditionis contra rationabilem suorum Parentum voluntatem, licitum est his indignationem suam ostendere per aliquod tempus in pœnam parvi respectûs, cum hac tamen conditione, ut in eas mala voluntate non ferantur, sed, si hoc per longum temporis spatium fit, est peccatum mortale, ut etiam mortale erit, cum ijsdem communicare nolle, licèt malè egerint. Est doctrina Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. Et ratio est; quia errantem punire licitum est potestatem habenti, excedere autè in pœna illicitum est: sed Parens habet potestatem castigandi suas proles errantes: ergo in pœnam earum hoc facere potest, non tamen per longum tempus. Existimo; quòd per quatuor, vel sex menses possit Parens Filio indignationem suam ostendere, qui sine causa ita cum Parente se gerit; elapso autem hoc tempore, pœnam erit excessiva.

Quapropter V. D. peccat mortaliter monstrando se ita rigidum, & indignatum erga Filiam tanto tempore, & malitia hujus peccati est contra virtutem pietatis, & charitatis, adeóque nisi mihi emendationem promiserit non possum V. D. absolvere.

P. P.R. me exhibeo facturum omnia mihi imponenda.

19. Per hoc forsan negavit Filiæ dotem aut privavit eam hæreditate?

P. Ita

P. Ita P.R.

C. Quamvis Barbosa, Vega, & alij apud Fagundez *in præcept. Decalog. lib. 4. cap. 3. n. 4.* concedant, Parentem posse hæreditatem negare Filiæ, quæ personæ inferioris conditionis indignè, & contra Parentis voluntatem nupsit. Et licèt Thomas Sanchez dicat, esse probabilem hanc opinionem, idemmet tamen cum pluribus alijs contrarium sentit *lib. 4. de Matrim. disp. 65. num. 2.* quia quamvis Lex civilis impertiatur facultatem privandi hæreditate filios, ducentes, & filias nubentes contra voluntatem Parentum. Attamen Jus Canonicum in favorem libertatis Matrimonij videtur huic derogare; ut constat ex Conc. Trident. *Sess. 24. cap. 9.* ubi anathematizat impedientes libertatem Matrimonij: sed pœna, qua Filia privatur hæreditate, eique dos negatur, impedit libertatem Matrimonij: ergo &c.

20. P. P. R. habeo aliam Filiam illegitimam, quæ dotem pro Matrimonio postulat, at animum non habeo ipsi dandi.

C. Navarrus in Manuali *cap. 14. n. 17. ver. 3.* Sylvester *verb. alimentum*, Barbosa *tom. 1. p. 4. legis primæ ff. soluto Matrim. num. 131.* plerique alij docent: Parentem obligari ad dotandam Filiam spuriam secundùm suam possibilitatem. Et ratio est; quia Jure naturali Parens obligatur alere suas Filias: Sed dos datur titulo alimenti ex sententia communi DD. vide Sanchez *ubi supra disp. 26. num. 1.* Azorium *tom. 1. lib. 2. cap. 5. q. 6.* ergo Parens Filias spurias dotare tenetur.

Quamvis Molina *tom. 1. de Just. disp. 124. num. 22.* & alij distinguant dotem ab alimentis, & dicant, quòd, licèt Parens teneatur Filias spurias alere, non tamen dotare.

21. P. P.R. dico meam culpam, quòd alium Filium spurium exposuerim, ut ad Hospitale deferretur.

C. Procuravit ne, ut baptizetur?

P. Ita P.R.

C. Duo in hoc casu notanda sunt unum est; utrum sit peccatum exponere Filios illegitimos; alterum, an obligetur restituere Hospitali: Ad primum respondet cum Azorio, & alijs Leander à Sacram. *tom. 8. tract. 1. disp. 8. §. 2. q. 21.* dicendo, certum esse, quòd non sit peccatum exponere tales Filios, quando infamia timetur, in quam multotiès incidere possunt Parentes, nisi occultent, & exponant dictos Filios; quia ignominia magna est, fœminam concipere à viro alieno, & hunc, habere Filium ex muliere aliena.

Quo ad secundùm; si Parentes sint pauperes, non tenentur ad restitutionem ullius rei Hospitali; si verò sint divites, tenentur restituere alimenta, quæ Filius in Hospitali consumpsit, Est communis opinio DD. licèt Henriquez cum alijs apud Leandrum *ubi supra q. 13.* dicat nec Parentes divites obligari ad hanc restitutionem; quia Hospitale habet suos proventus, & eleemosynas pro nutriendis his Filijs: sed si Filios exponentes

nentes tenerentur ad restitutionem consumptorum, superflui essent hi proventus: ergo &c.

Hæc ratio valde tenuis est; quia Hospitale habet alias expensas faciendas, & plures Filios expositos à pauperculis Parentibus, qui eis alimenta contribuere nequeunt, pro quibus proinde multum expendit: quare prima opinio verior est, maximè si Hospitale divitijs non afflueret. Vide Leandrum *ibidem.*

Caput III.

De Obligatione Mariti erga Uxorem, & è contra.

22 P. P.R. me accuso, quòd subinde uxorem meam injuriosis verbis afficiam, multoties etiam verberibus.

C. Habuit ne causam rationabilem ita se gerendi cum uxore, nempè, ut se emendet?

P. P.R. aliquando quàm plurimas habeo causas eam castigandi, quia aliàs non possum eamdem ad curas domesticas perficiendas inducere, aliquando verò sine causa.

C. Hæc castigatio fuit ne moderata, vel excessiva?

P. P. R. non fuit excessiva.

C. Si adsit causa legitima, licitum est Marito castigare uxorem, sed moderatè, ad ejusdem emendationem; ut cum Barbosa, Cajetano, Sylvestro docet Valerus *in dif. utriusque fori verb. Uxor dif.* 4. contra Tiraquellum dicentem, non esse licitum Marito verberare uxorem.

23. Omnes tamen conveniunt, ne rationabili causa non esse licitum Marito castigare uxorem, & si castigatio esset gravis, graviter peccare. Et ratio est; quia Superior non potest absque legitima causa subditum castigare, sine qua, si castiget, peccat; mulier est subdita Marito, eique inferior: ergo cum causa legitima potest eam castigare, sed sine ea peccabit eam castigando, & hoc peccatum habebit duas malitias specie distinctas, unam contra justitiam aliam contra pietatem propter circumstantiam uxoris ita Lugo *de Justit. disp.* 16. *num.* 306. quia sicut virtute pietatis est vinculum speciale inter Parentem, & Filios, ita quoque inter Maritum, & uxorem; & uxor odio habeat Maritum, eumque inhonoret, vel è contra, peccat contra pietatem.

Advertendum tamen est hìc Confessario, quòd domesticæ differentiæ, quæ communiter inter Maritum, & uxorem accidere solent, ordinariè sint tantùm peccata venialia, licet inter eos aliqua oblocutio contingat.

24. Advertendum est secundò quòd uxores mortaliter peccent non obediendo Maritis in rebus, cujus momenti, & ad bonum regimen domûs pertinentibus, & hoc peccatum opponitur virtuti obedientiæ, & justitiæ: Obedientia quidem; quia suo legitimo Superiori

non obtemperat, *Mulier sub viri potestate erit.* Justitiæ verò; quia vi Matrimonij inter Maritum, & uxorem est virtualis contractus, quo Maritus se obligat sustentare uxorem, & uxor ei obedire in rebus justis, & rationabilibus, sed Maritus peccaret non sustentando uxorem contra justitiam: ergo etiam uxor peccabit eidem non obediendo, ita Fagundez *in Decalog. lib. 4. cap. 12. num. 1. & 2.*

25. Si quis interrogaret, an uxor duo peccata specie distincta committat non obediendo Marito in rebus gravis momenti. Respondeo negativè, ut patet ex doctrina Diana *part. 1. tract. 7. resol. 16.* Cajetani, Ledesmæ, & Soti, qui docent, Religiosos non obedientes in rebus gravibus per sanctam obedientiam impositis à suis Superioribus non committere duo peccata specie distincta, unum contra obedientiam, & aliud contra Religionem propter votum obedientiæ, sed solùm unum specie, nempè contra virtutem Religionis: atqui Prælatus est Superior subditi, sicut Maritus uxoris; ergo uxor non obediens Marito solùm committet unum specie peccatum, scilicet contra justitiam.

26. P. P. R. me accuso, quòd fuerim Zelotypus seu æmulator meæ uxoris.

C. Hæc Zelotypia consistit ne in sola suspicione, vel transit in judicium determinatum, quòd uxor non sit ipsi fidelis?

P. P. R. asseveranter non affirmo sed mea Zelotypia solùm reducitur ad malè fundatam suspicionem.

C. Suspicio non est peccatum mortale, nisi transeat in judicium firmum, & assensum determinatum, ut in octavo Præcepto patebit. cap. 1.

Dicat mihi, manifestavit ne uxori se habere hanc Zelotypiam, seu æmulationem?

P. P. R. binis vicibus hoc ipsi obieci.

C. Hoc est peccatum mortale duplicem malitiam contra charitatem, & pietatem continens: Contra charitatem; quia præbuit ipsi motivum gravis contristationis, & afflictionis: cùm mulier honorata multùm turbetur, quòd Maritus quid simile de ea suspicetur, & sine ratione similia ei objiciat; contra pietatem verò; quia est ipsius uxor, ut Superius dixi. Vide Remigium *in Sum. tract. 2. cap. 4. §. 8. n. 4.*

27. Quando Confessarius adinvenerit Pœnitentem his Zelotypijs, & æmulationibus deditum, Procuret omni possibili modo ei suadere, ut tales chymeras deponat, cùm sint evidentes suggestiones Diaboli his phantasticis illusionibus eum divexantis in animæ suæ perditionem, perturbationemque pacis familiæ, & ad inducendum ipsum ad peccatum, de quo suspicatur. Quòd ipsius uxor sit honesta, & proba, & cùm in ipsa motivum fundamentale suspicionis non reperiat, stultè agere hominem rationis compotem suadendo sibi rem aliquam sine fundamento.

28. Huc etiam spectat obligatio pupillorum erga Tutores, famulorum erga Dominos; de his autem discurrendum est cum proportione id ipsum, quod dictum est de Filijs erga Parentes. Advertendum tamen est, famulum inhonorantem suum Dominum, vel pupillum Tutorem in omni individua actione duo peccata specie distincta committere, scilicet contra justitiam, & observantiam juxta superius dicta de Judice, & alijs Superioribus *cap.* 1. *num.* 11.

Caput IV.

Exhortationes ad inhonorantes suos Genitores.

29 PRocuret Filius omni studio debitum honorem præstare suis Genitoribus perpendendo, quòd vices gerant Domini Dei, & quòd is, qui Patrem, & Matrem spernit, spernat Deum. *Qui vos spernit, me spernit.* Sed præscindendo etiam ab hoc respectu Divino, solus humanus debet eum obligare ad magnum studium venerandi suos Genitores: Si ab his habet suum esse post Deum, nonne ingratitudo maxima erit tantæ obligationi seriò non correspondere? Et si amicus ei aliquod donum offert, se gratum ei exhibere molitur, quantò majorem gratitudinem Genitoribus ostendere debet.

Quamplurimas Deus inflixit pœnas in hoc mundo Filijs inobedientibus suis Genitoribus. Super Cham cecidit maledictio perpetua propter modicum respectum erga Patrem suum Noë. In Chronicis S. P. N. Francisci legitur in vita S. Antonij de Padua de quodam Juvene, qui in confessione ex eo, quòd pede percusserit Matrem, graviter reprehensus à Sancto, ac ab eodem pedem calcitrantem abscissioni subjiciendum intelligens, licèt per modum exaggerationis delicti domum rediens pedem audacem, & injurium Matri sibi abscidit, quo audito Sanctus Antonius domum adolescentis profectus amputatum pedem miraculosè conjunxit, ac sanavit. Linguas sibi abscindere deberent plures Filij, qui sine timore, & pudore Parentes, à quibus suum esse habent, verbis injuriosis afficiunt.

Caput V.

Exhortatio ad Parentes negligentes in educatione Prolium.

30 COnstituti sunt à Deo Parentes in familijs, non solùm, ut alimentum corporale, verùm etiam spirituale verbis, & exemplo Filijs subministrent. ad quod exequendum ad instar Tobiæ bonis moribus eos instruere, timorem Dei super omnia inculcare, ad frequentationem Sacramentorum, visitationes Ecclesiarum; alienationem à pravis societatibus, & occasionibus eos incitare omni cura, & studio tenentur.

Et si Parens in domo omnium primus juret, maledicat, & Præcepta Legis Divinæ spernat, quid facient Filij, nisi quod viderent Patrem facientem? Omnibus notum est horrendum exemplum illius Patris inter brachia tenentis Filium, qui ad sui imitationem, & eruditionem horribilia juramenta proferebat: quòd exinde Deus iratus ob malam consuetudinem Filij apprehensam, vel perceptam à Patre, improvisè Patrem, & Filium condemnaverit ad Infernum.

Hoc idem V. D. formidandum est, nisi in educatione prolium se emendaverit: de Heli refert Sacra Scriptura, quòd Deus severè eum puniverit, eo quod Filios suos dissolutos non corripuerit 1. *Reg.* 3. *eò quòd noverit Filios suos indigne agere & non corripuerit.*

31. Refert S. Augustinus *lib.* 2. *de Civitate Dei cap.* 8. de quodam Filio suæ obligationis immemore, quòd Matrem suam verbo injurioso afficerit, & præterea manus violentas in eam injecrit, ex octo ipsius Fratribus nemo de tali temeritate eum redarguit; idcirco indignata Mater instigante Diabolo in omnes Filios maledictionem hanc jecit: Faxit Deus, ut omnes à terra vestra depulsi terras alienas circumeatis, toti mundo terrorem incutientes. Pessimis ejus votis annuit Deus, ac omnibus Filijs talem membrorum tremorem incussit, ut circumeuntes omnes eos videntes terrefacerent, de quo spectaculo erubescens Mater, & maledictionem suam completam cernens, se suspendit, remorsum conscientiæ, & ignominiam Filiorum sufferre haud valens; qui postmodum dolorosam, & miserabilem vitam duxerunt.

Ex quo Proles addiscere deberent, quàm gravis sit culpa, Genitoribus occasionem maledicendi præbere: & Genitores perpendere, quomodo Deus linguas eorum maledicas plectat.

Norratur etiam de quodam Patre, & Filio damnatis, quòd innumerabiles maledictiones unus in alterum mutuò jaceret; Filius maledicebat Patri, eò quòd suâ culpâ damnatus fuerit, similiter Pater maledicebat Filio, eò quòd suæ damnationis causa fuerit. Dubium non est, plurimos damnari Parentes ob malam Prolium educationem: Et si V. D. à potestate Diaboli liberari peroptat, solicitè Proles suas bonæ doctrinæ, & meliori exempli pabulo alere studeat: quod si fecerit, bonam senectutem ab ijsdem recipiet, ac Deus maximum præmium in gloria sua retribuet.

TRACTATUS V.
DE V. PRÆCEPTO.

Non occides.

CAPUT I.
De Odio Proximi.

P. P.R. confiteor, quòd aliquis me latronem nominaverit; qua de causa eum apud Judicem accusavi.

C. Habet ne contra eum malam voluntatem?

P. Ita P.R.

C. Duo in hoc casu concurrunt; unum, quòd V. D. illatæ injuriæ satisfactionem petat; & alterum, quòd erga ipsum animum adversum habeat. Primum licitum est, ut constat *ex Jure Leg.* 1. *& Leg.* 6. Cornelius §. *de Injurijs cap. Parochianus.* Secundum semper est prohibitum; quia DEUS Proximum nostrum amare præcipit: licèt autem sit inimicus per hoc tamen non definit noster Proximus esse: ergo, &c.

2. Desideravit ne V. D., ut illi aliquod malum notabile adveniat?

P. Ita P.R.

C. Malum, quod desideravit, fuit ne mors, infamia, aut damnum in bonis?

P. P.R. mortem desideravi, & ne ipsi quoddam negotium prosperè succedat.

C. Suarez, & Sylvius, quos citat, & sequitur Bassæus *verb. Odium num.* 4. docent, odia distingui specie morali, quando mala, quæ desiderantur, etiam specie distinguuntur: v.g. infamia, vel mors &c.

3. Bonacina tamen, Valentia, & alij cum Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 3. Leander à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *de Pœnit. disp.* 18. *q.* 19. Contrarium sentiunt, & approbat pro probabili Bassæus. Et ratio est; quia differentia specifica actus non desumitur ab objecto physicè considerato, sed secundùm rationem formalem quam idem actus respicit: & licèt mors, infamia, & alia mala specie distinguantur physicè, odium tamen omnia illa respicit sub una ratione formali, id est, in quantum sunt damnum proximi: ergo *in genere moris* odia non distinguuntur specie ob diversitatem malorum; quapropter Pœnitens satisfacit accusando se desiderâsse Proximo grave, vel leve malum absque specificatione desiderij mortis, vel infamiæ, &c.

4. Desideravit ne V. D. per se immediatè inferre hoc malum illi personæ, vel ut alia via ipsi adveniret absque sua cooperatione?

P. P.R. ego ipsemet inferre optavi.

C. Quamvis paulo ante dixerimus quòd desiderare hoc, vel illud malum proximo non sit circumstantia mutans speciem; nihilominus, quando quis cupit per se immediate illud eidem inferre, certum est, specie distingui desiderium homicidij à desiderio infamiæ, vel ablationis bonorum,

rum, &c. quare necessarium est, ut species mali Proximi desiderati in confessione explicetur; ita docet communis cum Lugo, & Leandro à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 8. *q.* 8.

5. Quantum temporis est, â quo hanc malam voluntatem contra illam personam habet.

P. P. R. erit integer annus.

C. Per totum hunc anni decursum fuit semper huius malæ voluntatis.

P. P. R. tunc solùm deposui, quando fui confessus, & postea illicò renovavi odium antiquum.

C. Quoties V. D. fuit confessa hoc tempore odij?

P. P. R. tribus vicibus.

C. His tribus vicibus, quibus malam voluntatem interrupit, ac denuo in eamdem reincidit, tria numero peccata commisit: pro residuo autem tempore, quo non interrupit per actum contrarium, sufficit se accusare de unius peccati commissione minùs, vel magis gravis secundùm maius, vel minus tempus persistentis malæ voluntatis. Vide Palaum *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *part.* 2.

6. Infero ex doctrina Petri Navarri, Aragonij, & aliorum, quam ut probabilem defendit Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 58. qui docent, cum, qui longo tempore sine causa distulit restitutionem rerum alienarum, committere solùm unum numero peccatum, & sufficere, se accusare in confessione de tempore, quo culpabiliter restitutionem distulit absque distinctione numerica habitæ commoditatis sæpius restituendi, nisi fortè primam voluntatem per aliam contrariam retractâsset: v. g. proponendo restitutionem, & statim renovando voluntatem contrariam: ergo hoc idem dici debet de odio, quòd sufficiat se accusare de tempore habitæ malæ voluntatis absque specificatione numerica mali desiderati, nisi forsan odium retractâsset, & in illud relapsus fuisset; quia toties, quoties renovatur mala voluntas, semper est interruptio moralis, constituens diversum numero peccatum.

7. P. P. R. confiteor, quòd ante aliquos dies habuerim aliquam indignationem contra unam personam, & ab illo tempore usque huc ambo sumus divisi.

C. Habet ne contra illam personam aliquam malam voluntatem?

P. Non P. R.

C. Quando ei obviavit, salutavit ne illam?

P. Non P. R. quinimò licèt illa me salutâsset, ego eamdem non resalutavi.

C. Absolutè loquendo nullus abligatur suum inimicum salutare, nisi fortè per hanc omissionem daretur scandalum; quia tam illi, qui advertunt, quàm ipse inimicus sibi persuadent, hanc omissionem salutationis â corde infecto, & amaro provenire. Est communis D. D. cum S. Thoma 2.2. *q.* 25. *art.* 6.

Qua de causa inimicum primò salutantem

lutantem non resolutare regulariter est peccatum mortale. S. Thomas ibid. Cajetanus & alij apud Castrum Palaum *tom. tract.* 6. *disp.* 1. *punct.* 5. *n.* 6. Murcia *in disq. tom.* 2. *lib* 4. *disp.* 3. *resol.* 11. *n.* 2. Et ratio est; quia licèt salutare, & resolutare sit actus urbanitatis, & politicæ; nihilominus ob circumstantiam inimicitiæ non resalutare est signum evidens alicujus odij: atqui homo non tantùm tenetur non odio habere, sed etiam non ostendere ejusmodi signum: ergo inimicum primò salutantem resalutare tenemur.

8. P. P. R. confiteor, quòd ante hujusmodi casum, vel eventum magnam amicitiam cum illa persona habuerim, & sæpius domum ejus frequentaverim, ab illo autem tempore usque modo nec pedem in illam posui.

C. Illa persona est ne ipsi consanguinea?

P. Non P. R.

C. Si esset consanguinea, peccaret interrumpendo communicationem debitam inter consanguineos, sed cùm non sit consanguinea, nec est talis obligatio. Villalobos *part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *n.* 6. Et ratio est; quia illa communicatio cum proximo requiritur, quæ sufficit quòd non possit suspicari adesse aliquod odium in corde: atqui non communicando cum illis, qui sunt proprio sanguine coniuncti, post aliquam dissensionem præsumitur, quòd odium in corde foveatur, quod non præsumitur non communicando cum extraneis: ergo cum ista non est tanta obligatio communicationis, quanta cum consanguineis. Probo minorem; quia inter personas sanguine conjunctas solet & debet esse major familiaritas quam inter extraneos: ergo. &c.

Quando in publicis, & communibus functionibus habetur conversatio cum extraneis, sufficit ad suadendum, & indicandum, quòd non adsit aliquis internus rancor erga illos licèt non fiat cum aliqua intrinseca correspondentia, quod tamen non sufficit cum consanguineis.

9. P. P. R. confiteor etiam, quòd habeam modicam aversionem erga unam personam, de cujus malo non habeo tantam displicentiam, quantam habeo de malo aliorum.

C. Habet ne aliquam complacentiam positivam de suo malo?

P. Non P. R.

C. Habet ne displicentiam positivam de suo bono?

P. Neque hoc P. R.

C. Aliud est habere positivè complacentiam de malo proximi, vel habere positivè displicentiam de suo bono, & aliud non habere displicentiam de suo malo, vel complacentiam de suo bono. Primum semper est peccatum. secundum vero nunquam, nisi quando instet præceptum amandi proximum; tunc enim est obligatio habendi complacentiam positivam de suo bono, & displicentiam de suo malo.

Qu

Quomodo, & quando obliget præceptum amandi proximum, tradam infra in explicatione Propositionum damnatarum ab Innocentio XI. *tract.* 10. *Prop.* 10. *&* 11. *num.* 32. *& seq.*

10. P. P.R. mihi videtur, quòd habuissem positivam complacentiam de aliquo malo illius personæ, si id ipsi contigisset.

C. Hoc malum desideravit ne positivè, vel habuit actualem complacentiam de tali malo?

P. Non P.R.

C. Aliud est voluntatem ferri in futurum conditionatum, & aliud in præsens: habere actualem complacentiam, vel desiderium de malo proximi, est peccatum grave, vel leve secundùm qualitatem mali desiderati, si verò voluntas feratur conditionatè, id est, si tale malum succederet, mihi videtur, quòd haberem complacentiam, non est peccatum, ut dicit Alcocer *cap.* 19. *fol.* 16. Remigius *tract.* 2. *cap.* 5. *part.* 7. *num.* 1. quia non datur persona quantumcúmque composita, quæ non timeat se peccaturam, si in tali occasione esset constituta, & tamen hoc non obstante, hæc prævisio conditionata non est culpabilis: ergo quamvis ipsi conditionatè videatur, quòd, si illi personæ tale malum accideret, sibi complaceret, quando tamen non adest complacentia actualis, vel desiderium positivum, non est peccatũ.

11. P. P. R. confiteor pariter, quòd cum aliquibus personis soleam verba contentiosa habere, & subinde verbis pungentibus nos invicem excipimus.

C. Solent ne esse verba injuriosa?

P. P. R. de honore, & fama nihil.

C. Hæ contentiones non sunt peccata mortalia, licèt deinde in corde aliqua indignatiuncula remaneat; quia hi sunt leves, & subitanei motus irascibilis, ex quibus odium in corde non sequitur.

Quædam verò dissensiones, quas solent habere mulierculæ ad invicẽ, aut propter gallinam deperditam, aut propter verbum aliquod reprehensionis ad filios, sunt dissensiones leves; & quia ex his odium in corde non relinquitur, sunt solùm peccata venialia, maximè cùm sint verba parvi momenti.

Caput II.

De Odio sui ipsius.

12. P. P.R. dico meam culpam, quòd superveniente aliqua afflictione multotiès mihi mortem desideraverim.

C. Desideravit ne hoc cum conformitate ad Divinam voluntatem, dicendo, si Deo placeret, si esset ejus voluntas?

P. P. R. aliquando desideravi hoc modo, aliquando ex impatientia.

C. Desideravit ne ex corde, vel tantùm ex aliquo repentino animi motu?

P. Aliquando desideravi ex toto corde.

C. Si quis sibi ipsi desiderat mortem ex impatientia, tanquam proprium damnum, est peccatum mortale, sed quando quis Divinæ voluntati conformis desiderat, ut liberetur ab aliqua tribulatione, non est peccatum. Marcantius *in resol. circa* 5. *præcept.* §. *Quæro* 9. Remigius *in Sum. tract.* 2. *cap.* 5. §. 7. *n.* 5. Sed si mors desideratur non ex corde, nec voluntate totaliter deliberata, sed ex aliquo levi impatientiæ motu, solum est peccatum veniale: Et hoc ordinariè contingit in personis, quæ confitentur, se habuisse desiderium propriæ mortis: quia pauci sunt, qui vitam tam parum æstiment, ut deliberatè sibi mortem exoptent, siquidem eam etiam ex DEI voluntate advenientem lubenti animo non suscipiunt.

13. P. P. R. dico etiam meam culpam, quòd multotiès in cibo, & potu excessum fecerim.

C. Iste excessus causavit ne ipsi aliquod damnum notabile sanitatis?

P. Semel mihi causavit notabile damnum, cum ex illo excessu fuerim infirmatus.

C. Cogitavit ne tunc, quòd ille excessus hoc damnum sit ipsi allaturus?

P. Non P. R.

C. Habuit ne experientiam, quòd alijs vicibus similis excessus ipsi causaverit damnum notabile?

P. P. R. nunquam fui expertus notabile damnum.

C. Ergo quamvis peccaverit venialiter excedendo regulam temperantiæ, cùm tamen non prævideret damnum exinde secuturum, non est peccatum mortale: Et ratio est; quia omne peccatum debet esse voluntarium; ad hoc autem, ut sit voluntarium debet esse prævisum, seu præcognitum: sed V. D non prævidit hoc damnum, nec habuit experientiam, quæ potuisset fuisse fundamentum ad cognoscendum hoc damnum: ergo hic excessus non fuit mortaliter culpabilis.

14. P. P. R. semel evomui cibum, cùm stomachus nimis aggravatus non potuerit eum sufferre, & digerere.

C. Per istum vomitum sensit ne notabile damnum in sanitate?

P. Non P. R.

C. Aliquantùm plus stomachum onerare, ita, quòd vomitus tam de cibo, quàm de potu sequatur, nisi adveniat aliud damnum notabile in sanitate, non est peccatum mortale, sed veniale; constat ex Decreto Innocentij XI. Proposit. 8. videatur ejus explicatio *tract.* 10. *n.* 28. *&* 29.

15. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd bis vino me inebriaverim.

C. Fuit ne causa ebrietatis nimia quantitas vini sumpta, aut quòd ille profuerit ad ignem post moderatum potum, vel debilitas stomachi?

P. P. R. semel fuit causa quantitas vini, & semel debilitas stomachi, & capitis.

C. Voluntariè se inebriare est ma-

ter.

teria peccati mortalis, non solùm ex eo, quòd quis agat contra virtutem temperantiæ, sed etiam, quòd se voluntariè privet usu rationis, & per hoc ad statum bestiæ se reducat; quando autem ebrietas oritur ex debilitate stomachi sine excessu in potu, non est culpa gravis. Toletus, Lessius, Navarrus, & alij, quos citat, & sequitur Bassæus *verb. Gula n.* 5. & 6.

16. In hac occasione; qua se inebriavit per nimium potum, cognovitne, & prævidit, quòd per potum sit usum rationis perditurus?

P. Cognovi, quòd ex nimio potu facilè mihi nocumentum sit secuturum.

C. Si ipsi in mentem non venisset aliquod damnum exindè secuturum, non commisisset peccatum mortale; quia non fuisset voluntarium, ut dixi: quapropter ad formandum judicium, quòd V. D. mortaliter peccaverit, sufficit, quòd prægnoverit, quia per hoc se exposuit periculo se inebriandi: sed exponere se periculo est peccatum mortale, & culpa gravis: ergo V. D. in hoc graviter peccavit

17. Habet ne consuetudinem se inebriandi?

P. Rarò mihi contingit.

C. Si haberet hanc consuetudinem, esset incapax absolutionis, ut constat ex Decreto Innocentij XI. in Propos. 60.

Hìc multùm interest, quòd Confessarius cum non paucis personis huic vitio ebrietatis obstrictis utatur Zelo, negando nimirum illis absolutionem; quia ordinariè veniunt sine proposito emendationis, & per hoc sunt absolutionis incapaces, etenim cùm hæc passio, & habitus sit difficilè mobilis à subjecto, nisi Confessarius hoc medium adhibeat, & imponat eis usum moderatum vini, & ut vinum adaquent, aliàs erit quasi impossibile, ut hoc vitium eradicari possit. Alia vitia, si non vincit ratio, saltem tollit ætas, vel minuens, vel auferens vires ad prosequendum, sed hoc vitium ebrietatis, quantò plus ætas decrescit, tantò magis consolidatur, & augetur.

Non minùs est reprehensibilis illa complacentia nimis inordinata aliquorum, qui cooperantur, & positivè concurrunt ad aliorum ebrietatem gloriantes, ac si fortalitium hostis expugnassent sine reflexione gravis offensæ Dei, in quam incidunt ex data Proximo occasione peccandi.

Caput III.

De homicidio, mutilatione, & restitutione damnorum exindè provenientium.

18 P. R. me accuso, quòd una nocte dum sur ad spoliandam meam domum venerat, contra ipsum rectè de domo egredientem explosserim, & interfecerim eum.

C. fuit ne magna quantitas rei ablatæ?

P. Abstulerat mihi crumenam cum viginti Imperialibus.

C. Propter quantitatem unius Imperialis non est licitum occidere furem, ut constat ex Decreto Innocentij XI. in Proposit. 31. sed propter quantitatem, quam ipsi abstulerat, potuit eum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ; ut modò resolvam.

19. Potuit ne V.D. suam pecuniam absque homicidio recuperare?

P. Ita P. R. paucis verberibus potuissem eum obligare ad deponendam rem ablatam.

C. Furem intrantem domum nocturno tempore occidere licitum est, & permissum in Jure tam Civili, quàm Canonico, quando bona ablata essent alicujus momenti, & illa aliter recuperare non possit; quia vim vi repellere licet, non solùm ad tuendam propriam vitam, sed etiam bona temporalia à se licitè possessa: Insuper tales personæ aggrediuntur domus cum intentione interficiendi illarum Dominos; & si faciendo rumorem non fugiunt, signum est, quòd ad hoc absolutè se determinaverint. Est quidem verum, quòd tam in ingressu, quàm in egressu, si possit impediri damnum, & furtum absque occisione, debeat fieri; quia aliàs deesset moderamen inculpatæ tutelæ. Et ob hanc rationem V.D. peccavit mortaliter contra justitiam occidendo illam personam, cùm potuerit paucis verberibus suam pecuniam, ut ipsamet fatetur, recuperare.

20. Non tenetur tamen ad restitutionem omnium damnorum expatrato homicidio secutorum propter excessum moderaminis inculpatæ tutelæ, sed solùm *pro rata* ad proportionem excessus dicti moderaminis, juxta illud, quod cum alijs docet Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 44.

Quamvis mihi verius videatur oppositum, quod docet Thomas Sanchez *in suis consilijs tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 9. *n.* 3. Vasquez, Navarrus, & alij, quos citat R.P.Fr. Leander de Murcia *tom.* 2. *disq.* 9. *l.* 4. *disq. resol.* 19. *n.* 2. asserentes, quòd ille, qui occidit alium excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, teneatur omnia damna ex tali homicidio secuta restituere; quia talis homicida est causa mortalis, culpabilis, & efficax omnium illorum damnorum: sed ille, qui est causa efficax, & totalis damni secuti, tenetur ad restitutionem in integrum: ergo V.D. tenetur omnia damna ex homicidio secuta restituere; quia non servavit moderamen inculpatæ tutelæ, quod si servasset, ad nihil teneretur.

21. Ad hoc, ut videatur, quid restituere debeat juxta hanc secundam opinionem, quæ est securior: Mihi dicat; illa persona fuit ne statim mortua?

P. Ita P. R.

C. Si vixisset aliquo tempore, V. D. teneretur ad restitutionem omnium expensarum in illius cura consumptarum.

Mihi

Mihi dicat, cujus conditionis erat defunctus?

P. P. R. erat Rusticus, & Fossor terræ.

C. Si non fuisset persona mercenaria, & in sudore vultus sui pecuniam sibi comparans: v. g. Eques, ad nullam restitutionem teneretur; quia exindè nullum damnum fuisset secutum; cùm autem fuerit Rusticus, qui suâ industriâ, & labore domum suam sustentavit, ad restitutionem tenetur, ita Navarrus *in Sum. lat. cap. 25. n. 22. vers. 15.* Lessius *lib. 2. de Just. cap. 9. dub. 23. nnm. 145.*

22. Quot annorum fuit illa persona, quando eamdem interfecit?

P. P. R. fuit triginta annorum.

C. Fuit ne persona robusta?

P. Fuit sat bonæ valetudinis.

C. Ad formandum judicium de numero annorum, quibus naturaliter loquendo persona occisa potuisset vixisse, spectanda est ejus virium fortitudo, valetudo, & an labor illius ordinarius fuerit onerosus, defatigans, ac vires valdè debilitans: sed ad stabiliendum id, quod in his casibus justum est, mihi placet regula generalis, quam adstruunt Panormitanus, & Angelus *verb. Restit 1. §. Homicida*, & alij, quòd communiter censendum sit, defunctum 60. circiter annis potuisse vivere secundùm dispositionem Legum de computatione; & Legem *hæreditatem ff. ad legem falcidiam.* Et hoc mihi videtur magis rationabile: primò; quia modò natura est ita debilitata, ut vix inveniatur sexagenarius, in quo vires non decrescant, quique possit diutiùs laboribus incumbere: Secundò; quia licèt aliquis ob firmam valetudinem possit attingere sexaginta annos, vel ultrà, viribus retentis, & ad laborandum aptis, attamen plures alij vix quinquagenarij vel moriuntur, vel non possunt amplius laborare: & sic in casu dubio, an attigisset sexaginta annos cum hac bona dispositione, vel an anno quinquagesimo suæ ætatis eam amisisset, rationabiliter videtur medium tenere, & adjudicare, quòd vixisset viribus retentis, & ad laborandum aptis circiter sexaginta annis, prout communiter contingere solet: *Et aliquando judicamus futura contingentia secundùm communem contingentiam* ut dicit Surd. *de aliment tit. 8. q. 1. n. 8. & cons. 454. num. 14.* Tertiò; quia, cùm sit casus dubius, videtur ad praxim reducendum illud adagium: *media via est eligenda*: ut habetur §. *Pœnit. de instit.* Quarto tandem; quia hoc videtur verisimilius, *verisimilitudo dicitur cognata naturæ* Bald. *cons. 180. lib. 3.* Et sic de hac persona, quam V. D. interfecit, cùm habuerit tringinta annos, adjudicandum est, quòd adhuc alijs triginta vixisset; & de hoc tempore debet restituere id, quod modò resolvam.

23. Hæc persona defuncta quantum in die lucrari potuisset?

P. Ordinariè duos regales quotidiè lucrabatur.

C. Ex his duobus regalibus neces-

sarium est demere id, quod quotidiè pro victu, & vestitu per totum annum expendisset, ut advertit Lessius *ubi supra*, *dub.* 1. *n.* 124. Et sic, si quotidie lucratus fuisset duos regales, dematur unus pro victu suo, & vestitu insumendus.

Est etiam doctrina communis DD. cum S. Thoma 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 1. quòd bona in spe minus æstimentur, quàm bona in possessione. Juxta quam doctrinam, cùm lucrum, quod defuncto cessavit, fuerit solùm bonum in spe, debet etiam demi id, in quo ob hanc rationem fit deterius; & quamvis DD. non doceant, quantum sit id, in quo bonum in spe fiat deterius, mihi tamen videtur, quòd sit quarta pars: v. g. si res possessa valet octo, res in spe æstimanda est sex. Demptis duobus quartam partem constituentibus.

24. Sic etiam in lucro spectari debet labor, cui subjectus fuisset hic mercenarius, & detrahi *pro rata* secundùm qualitatem laborum; ita Diana cum alijs 5. *part. tract.* 4. *resol.* 53. quia si aliquis operarius in fine anni potuisset suo labore sexcentum lucrari, & ipsi sine labore 500. darentur, lubenti animo susciperet.

Præterea debent etiam eximi Festa, quæ sunt in Anno: v. g. 52. dies Dominicæ, & cætera Festa, similiter illi dies, quibus ob pluviam, vel alia impedimenta operari non potuissent, sic ergo pro quolibet anno circiter centum dies eximi debent: demptis his portionibus cæterum hæredibus defuncti restituendum est. Modus autem melior, practicabilior, & securior erit, ut homicida conveniat cum dictis hæredibus, & procuret, ut aliqua tertia persona sincera, & non præoccupata componat cum prudentia, & modo magis proprio

25. Dicat mihi, defunctus habuit ne Filios, Parentes, vel uxorem?

P. P. R. non habuit, nisi unum Fratrem.

C. V. D. non obligatur ad ullius rei restitutionem ob hoc homicidium in sententia Lessij, Soti, & aliorum apud Fagundez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 1. qui docent, quòd si defunctus non relinquat Filios, Patrem, vel uxorem (qui sunt hæredes necessarij) non sit obligatio restituendi damna secuta ex tali homicidio, quod censet esse probabile ipsemet Fagundez *loco cit. num.* 6.

P. P. R. mihi notum est, quòd defunctus habuerit aliqua debita quæ, si esset in vivis, solvisset, teneor ne satisfacere?

C. V. D. non tenetur, ita Lessius & alij apud Fagundez *ubi supr. num.* 9. Diana 5. *part. tract.* 4. *resol.* 29.

26. P. P. R. hæreditavi bona mei Patrui, quem scio pro certo unum occidisse, nec propter hoc homicidium ulli rei satisfeciisse,

C. Habuit ne illa persona à suo Patruo occisa hæredes necessarios?

P. Ita P. R. habuit unum Filium.

C. V. D. tenetur, de illis bonis quæ hæreditavit, resarcire damna quæ Filio ob occisionem sui Patris

supervenerunt; quia sicut docet Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 22. n. 74. usque ad* 84. Murcia *disq. tom. 2. lib. 4. disp. 9. resol. 25. n.* 6. & Diana *part. 5. tract. 4. resol.* 53. obligatio restitutionis damnorum secutorum ex homicidio, non est solùm personalis, sed etiam realis transiens ad hæredes: sed V. D. est hæres sui Patrui: ergo tenetur ad restitutionem damnorum, quæ ex homicidio provenerunt.

P. Bona â me hæreditata sunt nimis aggravata alijs debitis.

C. Ista debita sunt ne assecurata in his bonis per modum hypothecæ?

P. Ita P. R.

C. Solutis his debitis remanebit necapitale ad satisfaciendum damnis homicidij?

P. P. R. nec omnia bona sufficient ad solvenda debita.

C. Hoc supposito V. D. non obligatur tanquam hæres damna per mortem secuta compensare; quia hæres non obligatur debita defuncti solvere, si hæc excedant bona relicta; ut cum Sanchez & alijs dicit Bonacina *de contract. tom. 2. disp. 3. q. 17. punct. 7. n.* 3. bona relicta à suo Patruo non sufficiunt pro satisfactione hujus damni: ergo V. D non obligatur, sed alia debita solvere tenetur; quia ratione hypothecæ habent præcedentiam.

27. P. P. R. me accuso, quòd in alia occasione vulneraverim unum, sed non est mortuus.

C. Habuit ne animum ipsum occidendi?

P. P. R. non, sed tantùm ut signatus maneat.

C. Peccavit graviter contra justitiam inferendo hoc damnum proximo, satisfecit ne expensis factis ob vulneris curam?

P. Ita P. R.

C. Et ob lucrum cessans ex tam diutina detentione in lecto?

P. Etiam P. R.

C. Liquidò constat, quòd V. D. obligabatur ad utriúsque restitutionem, nisi fortè vulneratus fuisset nobilis, vel Eques cum in similibus personis vendere sanguinem habeatur pro ignominia; & ex hac ratione ille, qui occidit, vel vulnerat hujusmodi personam, non tenetur ad restitutionem, ut dicit cum Sanchez, & alijs Diana *part. 5. tract. 6. resol.* 51.

C. Vulneratus remansit ne cum aliqua cicatrice ob illatum ictum?

P. In facie remansit una cicatrix.

C. Propter hanc deformitatem V. D. non tenetur quidquã restituere; ita Thomas Sanchez *in opusculo tom. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 1. n.* 7. & alij; quia mutilatio, cicatrix, etiam vita non sunt pretio æstimabilia, & pro re pretio non æstimabili nulla facienda est restitutio: ergo pro illa cicatrice V. D. non obligatur ad ullam restitutionem.

Limitatur hæc doctrina in casu, quo cicatrix, vel deformitas inferretur alicui fœminæ destinatæ ad Matrimonium, ad quod ineundum ratione illius deformitatis majori

dote

dote indigeret; tunc enim esset obligatio resarciendi excessum dotis necessarium propter cicatricem ad honestè nubendum : ita Gomez, alij citati à Fagundez *ubi supr. cap.* 20. *num.* 7.

Caput IV.

De Duello.

28 P. P.R. confiteor, quòd in una provocatione aliquem occiderim.

C. Fuit ne V.D. causa, & motivum provocationis, vel fuit ab altero inducta?

P. Alter me provocavit evaginando gladium, & jurando, quòd, nisi certamen, & pugnam subirem, me occidere vellet.

C. Fuit ne hæc persona talis, de qua V.D. prudenter dubitare potuisset, quòd, si non acceptasset provocationem, ipsam occidisset?

P. P.R. fuit homo ita crudelis, ut nihil plùs æstimaverit occidere hominem, quàm muscam.

C. Non habuit V. D. aliud medium se extricandi?

P. Non P.R.

C. Ergo V. D. non peccavit in hoc homicidio, ita Azorius *part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 3. Navarrus *cap.* 15. *n.* 9. Toletus *lib.* 5. *cap.* 9. & alij, qui docent, quando provocans sit talis, de quo prudenter judicari possit, quòd, nisi provocatus provocationē acceptet, sit eum occisurus, nec aliud medium se extricandi adsit, possit provocatus provocationem acceptare; & si alio modo vitam suam defendere nequeat, licitum sit ipsum occidere; quia hoc homicidium committitur in defensionem propriæ vitæ, & ad se redimendum à vexatione: Ipsúmque Jus naturale concedit, ut quivis suam vitam defendat, & se à vexatione redimat eo modo, quo potest: ergo, &c.

29. P. P.R. confiteor, quòd alium virum continuò me molestantem, ac ignarum, formidolosum, & sordidum me appellantem provocaverim ad duellum ad evitandam hanc molestiam.

C. Contigit ne aliquod infortunium?

P. Non P.R.

C. Habuit ne V. D. moralem certitudinem, quòd ex neutra parte damnum notabile esset secuturum?

P. Ita P.R. quia hic casus contigit in præsentia amicorum, quos pro indubitato statim nos reconciliatos tenui, uti factum est.

C. V. D. in hoc casu peccavit mortaliter; quia, licèt ipsius finis fuerit ad se liberandum ab illa molestia, medium tamen fuit illicitum, & prohibitum, *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Verum quidem est, quòd in hoc casu excommunicationem Clementis VII. non incurrerit. Sic cum Trullench, & alijs docet Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 53. & *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 1. qui dicunt, quòd ille, qui provocationem admit-

mittit ad suum honorem tuendum, & se à vexatione liberandum cum morali certitudine de nullo damno, vel infortunio secuturo, excommunicationem non incurrat: sed hoc accidit V.D. in sua provocatione: ergo excommunicationem non incurrit.

Notetur hæc doctrina pro militibus, qui propter quamcúmq; controversiam frequenter ad duellum se provocant, cum morali tamen certitudine, quòd illorum Signifer, aut alij illicò ipsos sint reconciliaturi, negatis interim medijs jaculandi, & se vulnerandi: hi inquam, licèt peccent graviter se provocando ad similia duella, excommunicationem tamen non incurrunt.

30. P. P.R. alia vice occidi virum in una provocatione, quam facilè evitare potuissem.

C. Provocavit ne V. D.?

P. Non P.R. sed alter me provocavit; potuissem tamen facilè me extricare.

C. In provocatione sunt duo peccata mortalia: unum contra charitatem propriam; alterum contra justitiam; quia se exponere periculo vitæ est peccatum mortale contra charitatem propriam: & contra justitiam est se exponere periculo occidendi proximum: In provocatione est manifestum periculum perdendi propriam vitam, & occidendi proximum: ergo sunt duo peccata mortalia.

Præter hæc duo peccata, ille, qui provocat, peccat etiam peccato scandali; quia dat occasionem, & inducit proximum ad peccatum: sed inducere proximum ad peccatum, est peccatum scandali: ergo &c.

Si provocans occidit provocatum tenetur resarcire omnia damna per mortem secuta; quia fuit causa totalis, & efficax, sed si provocatus occidit provocantem, ad nullam restitutionem tenetur; est communis. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. Villalobos *in Sum. p.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 25. *n.* 1. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 5. plerique alij. Et ratio est; quia *scienti, & volenti nulla fit injuria:* ille, qui provocat ad duellum, scit, quòd se exponat periculo perdendi vitam, & hoc non obstante se exponit, quærit, & solicitat: ergo, quando provocat, si occiditur, non fit ipsi injuria.

31. Tam provocans, quàm provocatus excommunicationem reservatam Sedi Apostolicæ à Clemente VIII. incurrunt, quam etiam incurrunt Domini locum, vel situm pro complemento provocationis concedentes, vel non impedientes, cùm possint in suo dominio; sic pariter incurrunt provocationi cooperantes, imperando, consilium, vel auxilium præbendo, intimando, vel publicando duellum.

Etiam incurrunt assistentes, & aspicientes duellum tanquam testes; non autem ille, qui casu, & fortuitò illuc transit, vel ex loco occulto conflictum prospicit. Bassæus *verb. Duellum n.* 8. *usque ad* 9. *inclusivè.*

Ab hac autem excommunicatione possunt absolvi *totiès quotiès* per Bullam Cruciatæ, & per privilegia Regularium; ita Rodriquez *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 5. 6. *&* 7. & alij, de duello accuratius loquar part. 2. hujus praxis *tract.* 17. *n.* 12. & seq. ubi videri possunt notata ad hanc materiam spectantia.

Pro nunc sufficit scire, quòd per Decretum Clementis VIII. Anno 1592. editum vetitum sit Regularibus absolvere ab hac excommunicatione. Vide Bullar. Rom.

Caput V.

De Abortu.

32 P. P. R. dico meam culpam, quòd cuidam puellæ fœtum in utero habenti, & per hoc multùm afflictæ ob timorem infamiæ exinde secuturæ dederim consilium, ut sumat unam potionem pro faciendo abortu.

C. In Decreto Innocentij XI Propos. 44. & 35. damnatur opinio, quòd ante animatum fœtum licitum sit procurare abortum ad fugiendam infamiam, vel mortem, quæ fœminæ secutura timetur: hoc jam est improbabile. Mihi dicat V. D. fuit ne jam fœtus animatus, quando ad abortum consilium dedit?

P. Nescio P. R.

C. Quantum temporis erat, à quo puella conceperat?

P. P. R. secundùm dicta puellæ erat fœtus trium mensium.

C. Ergo non est difficultas, quòd jam fuerit fœtus animatus; etiam secundùm opinionem nimis latam Aristotelis *lib.* 7. *de Anima cap.* 3. & Plin. *lib.* 7. *cap.* 6. qui dicunt, quòd masculi sint animati intra 40. dies, fœminæ verò intra 80.

33. Hæc puella fuit ne determinata ad se interficiendum, si per aliud medium non potuisset liberari ab infamia?

P. P. R. illa fuit desperationi, & suffocationi sui ipsius proxima.

34. Dicat mihi, fuit ne effectus abortûs in puella secutus?

P. Non P. R.

C. Sumpsit ne illa potionem aliquam ex consilio V. D. in hunc finem?

P. Ita P. R.

C. Præter peccatum homicidij attentati procurando abortum hujus creaturæ jam animatæ, incurrit etiam excommunicationem Xisti V. quam deinde Gregorius XIV. moderabatur, & modo comprehendit omnes procurantes abortum, consulentes, auxiliantes, ordinantes medicinas, vel alia remedia post animationem fœtûs. Non incurritur tamen dicta censura, quando fœtus non est animatus, nec quando remedia, vel consilia solùm eo fine dantur, ut fœmina deveniat sterilis, vel non concipiat. Si effectus fuisset secutus, incidisset etiam in irregularitatem.

35. Et quamvis ad censuras incurrendas communiter requiratur, ut sequatur effectus, & opus consumatur, attamen, quandoquidem ha-

excom-

excommunicatio fulminatur *contra auxiliantes, consulentes, vel procurantes abortum*, dicitur effectus secutus, & dum fœmina sumit medicinam, vel utitur remedijs, licèt non sequatur abortus. Ita Graſs, & Portel. apud Baſſæum *verb. Abortus num.* 5. §. 6. Et ſiquidem hæc puella ſumpſerit potionem ex conſilio V. D., quamvis non fuerit ſecutus abortus, V. D. tamen incurrit dictam excommunicationem, quæ modo eſt reſervata Epiſcopis, & poteſt abſolvi per privilegium Bullæ, à Regularibus habentibus facultatem à ſuis Superioribus. Vide Baſſæum *loco. cit*, & Villalobos *part. 2. tract. 12. diffic. 14. num. 2.*

Probabile eſt, quòd pœnæ privationis officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum contra procurantes, conſentientes, vel dantes auxilium ad abortum non incurrantur ante declaratoriam Judicis ſententiam, ſic docet Marchinus, & alij, quos citat Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 44. n. 29.* videatur id, quod de abortu dicam *tract. 10. ſuper Propoſit. 34. & 35. damnatas & part. 2. hujus praxis tract. 14. cap. 3. n. 28. & tract. 16. cap. 4. n. 25.*

CAPUT VI.

De Excommunicatione Canonis: Si quis ſuadente Diabolo, & de aliquibus effectibus, & notatis hujus excommunicationis.

36 EXcommunicatio una eſt major, altera minor: Excommunicatio major *eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua homo baptizatus ſeparatur à communione Fidelium*: Dicitur cenſura, per quod convenit cum ſuſpenſione, interdicto, & irregularitate *ex delicto*, juxta ſententiam, quæ dicit eam eſſe cenſuram: Dicitur *Eccleſiaſtica*, ut intelligatur, quòd ſoli Judices Eccleſiaſtici, & non ſæculares habeant poteſtatem ferendi cenſuras: Dicitur *qua homo baptizatus*; quia Gentiles, Pagani, & Hebræi, qui non ſunt baptizati, ſunt incapaces excommunicationis incurrendæ, aut alterius cenſuræ; quia hæ ſunt pœnæ, quibus Eccleſia ſuos ſubditos punit; ſed illi, qui non ſunt baptizati, non ſunt Eccleſiæ ſubditi: ergo non ſunt capaces incurrendi cenſuras: Dicitur tandem *ſeparatur à communione Fidelium*; quia per excommunicationem majorem fit homo inhabilis ad communicandum cum Fidelibus tam in rebus Divinis, quàm politicis ut infra dicam *n. 45.*

37. Aliquæ excommunicationes ſunt à Jure, aliæ ab homine: à Jure ſunt illæ, quæ feruntur à Lege, & hæ durant, licèt moriatur ille, qui eas tulit: Ab homine ſunt illæ, quas

Judex fert per modum præcepti, vel particularis sententiæ; & istæ cessant per mortem easdem ferentis. Ex hoc sequitur, quòd licèt ille, contra quem fuit lata excommunicatio, ab hac debeat absolvi; si tamen eamdem non incurrit vivente illo, qui eam tulit, neque post ejus mortem incurret; ut in simili casu dicam, quando tradam de casibus reservatis *tract.* 11. *in Appendice n.* 3. *advert.* 3. Excommunicatio potest esse latæ sententiæ, vel ferendæ, & qualis nam differentia sit inter has duas, explicabo, ubi loquar de censuris in communi. 2. *part. hujus praxis tract.* 17. *n.* 289. *& seq.* in explicatione Propos. 44. ab Alexandro VII. damnatæ.

38. Excommunicatio minor *est censura privans Sacramentorum participatione, & electione passiva.* Dicitur *censura*, in quo convenit cum excommunicatione majori, & alijs censuris: Dicitur *privans participatione Sacramentorum*, in quo distinguitur ab excommunicatione majori, tanquam *inclusum ab includente, vel secundùm magis, vel minus*; quia excommunicatio major non solùm privat participatione, aut receptione Sacramentorum, sed etiam administratione: minor verò non privat administratione, sed solùm receptione, licèt venialiter peccet, qui cum excommunicatione minori Sacramenta administrat. Vide Sanctium *in select. disp.* 32. *num.* 11. §. *Nec.* Additur *& electione passiva* ad distinctionem excommunicationis majoris, quæ privat electione passiva, & activa, id est, posse eligere, & eligi, sed minor tantùm privat electione passiva. Advertendum tamen est, quòd, si unus fuerit electus, valida sit electio, quamvis non licita, sed peccato mortali obnoxia; ut constat *ex cap. si celebrat. de Cler. excomm.* Excommunicationem minorem potest quis incurrere per peccatum veniale; & solùm incurritur per communicationem cum excommunicato excommunicatione majori: ab hac excommunicatione minori, cùm non sit reservata, potest absolvere quivis Confessarius. Qui totalem intelligentiam censurarum habere desiderat, potest videre aliam partem conferentiarum moralium; modò in sequentibus interrogationibus solùm resolvam id, quod est magis practicum.

39. P. P. R. me accuso, quòd in Clericum manus injecerim.

C. Vulneravit ne, vel graviter eum percussit?

P. P. R. unum Colaphum ipsi dedi.

C. Tres dantur species percussionum; una est levis, altera mediocris, & tertia gravis. Percussio levis dicitur illa, quæ nullam maculam, vel signum offenso relinquit: v. g. dare pugnum, vel trudere aliquem pede, vel leviter baculo percutere, & vocatur levis, non ex eo, quòd non sit peccatum mortale, sed ideo, quia non habet in se illam malitiam requisitam à Lege. Percussio gravis est quan-

quando sequitur alicujus membri mutilatio, magna effusio sanguinis (non autem è naribus) ex aliquo vulnere, vel quando ictus est gravis, licèt parùm de sanguine exeat, vel quando percussio est ignominiosa, ut est, percutere cannâ, dare colaphum, vel quando persona est graduata: v. g. Episcopus, vel alius Prælatus.

Percussio mediocris est illa, quæ mediat inter levem, & gravem: v. g. dentem pugno extrudere, & multitudinem crinium evellere.

Percussio mediocris, & gravis sunt reservatæ summo Pontifici, levis verò Episcopo, & omnes per Bullam absolvi possunt. Bassæus *verb. Excom. 7. n. 7.* possunt etiam ab his absolvere Regulares vi privilegiorum, nisi sint reservatæ Suæ Sanctitati, ut sunt gravis, & mediocris, levis etiam quando est publica. Ita Sanchez *tom. 2. in Sum. lib. 6. cap. 17. n. 47.* & cum alijs P. Leander à Murcia in explicat. Regulæ N. P. S. Francisci *cap. 7. q. 8. select. §. 1. n. 34.*

40. Scivit ne V. D. quòd sit excommunicatio, manus in Clericum injicere?

P. Ita P. R.

C. Si ignorasset, percussorem Clerici esse excomunicatum, quamvis ignorantia fuisset vincibilis, non autem crassa, aut supina, non incurrisset dictam excommunicationem. Sylvester, Tabiena. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 32, n. 31.* Diana *part. 5. tract. 9. resol. 17.* qui universaliter docent, nullam pœnam Ecclesiasticam incurrere eam ignorantem, quamvis ignorantia sit culpabilis, vel vincibilis, non autem crassa, & supina: sed excommunicatio est pœna Ecclesiastica: ergo eam ignorans dictâ ignorantiâ excomunicationem non incurrit.

41. Dicat mihi percussio fuit ne cum advertentia, vel tantùm ex motu iræ primò?

P. P. R. quamvis fuerim ira incensus, nihilominus scivi hanc percussionem esse grave malum.

C. Requiritur etiam ad incurrendam hanc excommunicationem, ut percussio fiat cum advertentia, & deliberatione, qua deficiente non incurrit. Layman *tract. 5. part. 2. cap. 5. n. 5.* Cajetanus, *verb. Excommunicat. cap. 10. Notando 6. dicto 4.* & alij. Et ratio est; quia nulla excommunicatio major incurritur, nisi per actionem, quæ sit peccatum mortale: atqui, quando percussio fit sine advertentia, vel deliberatione, non est peccatum mortale: ergo per percussionem sine advertentia factam non incurritur excommunicatio Canonis, quæ est excommunicatio major.

Cùm verò V. D. fuerit operata cum advertentia, & sciverit percussionem Clerici habere annexam excommunicationem, hanc incurrit.

42. Nunc mihi dicat, fuit ne percussio facta in loco publico, & coram multis hominibus?

P. P.R. in medio fori, quo magnus Populus convenerat.

C. Si clam hoc accidisset, & percussio fuisset occulta, licèt esset excommunicatus, non tamen vitandus.

Dicat mihi, crediderunt ne circumstantes, quòd ex motu iræ hoc egerit absque advertentia mali?

P. P.R. omnes viderunt, quòd fuerim multùm exacerbatus, & quòd Clericus magnam mihi dederit ansam, cæterùm nescio, quale nam judicium formârint.

C. Hoc est sufficiens fundamentum quo actio V. D. excusari potest, & quòd circumstantes crediderint, hanc fuisse factam absque totali deliberatione, & sic V. D. usque modò non est excommunicata, tanquam excommunicatus vitandus, sed tanquam tolleratus; quia Conc. Constantiense Anno 1414. celebratum declaravit, quòd, adhoc, ut notorius percussor Clerici sit vitandus, requiratur, ut ejus actio nullo modo excusari possit: *cujus factum non potest tergiversatione celari, aut aliquo Juris remedio excusari.* Et quando percussor se excusare potest, dicendo, se id feciisse *in sui defensionem*, vel ex motu primò primo, non est vitandus; quia verò difficulter contingit, quòd quilibet non habeat aliquem titulum probabilem pro excusatione, & tergiversatione percussionis, propterea ordinariè requiritur sententia Judicis, ut excommunicatus sit vitandus. Fagundez *in Præcepta Ecclesiæ lib. 2. cap. 5. num. 12.* Suarez *tom. 5. de Censur disp. 11. sect. 2. n. 13.* Avila *part. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 4. §. Tertio sequitur.* Caspensis *tom. 2. tract. 25. sectio 2. num. 15.*

43. In alijs excommunicationibus (excepta hac Canonis) nullus habetur ut vitandus, usque dum non sit *nominatim* denuntiatus post Judicis sententiam.

Excommunicatus vitandus est ille, cum quo alij Fideles nec in humanis, nec in Divinis communicare possunt, & illi, qui cum tali communicant, incurrunt excommunicationem minorem. Tolleratus est ille, cum quo licitè Fideles communicare possunt tam in Divinis, quàm in humanis absque eò, quòd incurrant excommunicationem minorem, quamvis ipsemet hanc communicationem inchoare licitè non possit.

44. P. P.R. post hoc factum non abstinui ab auditione Sacri, nec à mutua communicatione indifferenter.

C. Illi, cum quibus communicavit, induxerunt ne V. D. ad *hanc* mutuam communicationem?

P. Aliquando illi, aliquando ipsemet me introduxi.

C. Quamvis Concil. Constantiense Anno 1414. celebratum *ad evitanda pericula animarum.* concesserit, quòd cum excommunicato tollerato communicari possit, attamen hoc fuit concessum non in favorem excommunicati, sed aliorum Fidelium, ut constat ex ipsis Concilij verbis: *Per hac autem non intendimus ipsos excommunicat-*

communicatos in aliquo sublevare, aut quomodolibet eis suffragari. Ex quo habetur, quòd excommunicato tollerato non sit licitum se intrudere in communicationem aliorum Fidelium: sed si fuerit inductus, & invitatus ab alijs, potest licitè facere; & sic quotiescúmque V. D. se intrusit in communicationem aliorum Fidelium, peccavit graviter, vel leviter secundùm majorem, vel minorem communicationem; & malitia hujus peccati opponitur virtuti Religionis.

45. P. Dicat mihi R. P. in qua re deberem abstinere à communicatione Fidelium?

C. In omnibus, quæ in hoc versu continentur.

Os, Orare, Vale, Cõmunio, Mensa negatur

Per os prohibetur omne colloquium, etiam privatum, cujus quælibet dictio suam explicat prohibitionem. Item per nutus, litteras, internuncium, & quævis signa amicitiæ, & societatis, ut sunt oscula, amplexus, acceptatio munerum tam activè, quàm passivè.

Per orare prohibetur audire Missam, Divino officio, & Processionibus publicis interesse, offerre Sacrificium Missæ pro excommunicato, administrare ipsi Sacramenta, vel ab eo recipere; non prohibetur tamen orare Deum pro ipso etiam in Memento Missæ, cùm in hac Sacerdos, non ut Minister publicus, sed ut persona privata oret.

Per vale intelligitur prohibita omnis honorifica salutatio, & honor, sive detegendo caput, sive signis, sive verbis, quæ afferunt honorem, & communicationem ipsi excommunicato; quando verò ille primus est in exercenda aliqua urbanitate, vel scribendis litteris, non est peccatum, eâdem humanitate correspondere; quia iste est actus politicus nullatenus virtuti oppositus.

Per verbum communio intelligitur illicita omnis, & quæcúmque Societas cum excommunicato, in habitatione, in exercitio, in contractu, & similibus, licèt, si aliquis contractus celebretur cum excommunicato, erit illicitus sed non invalidus.

Per alterã tandem perticulã Mensa prohibetur participatio, & cõmunicatio cibi, & potûs, & quæ dicitur communicatio in eadem mensa formaliter per aliquam societatem, & amicitiam, non verò, quando quis reperiatur in aliquo hospitio, ad quod etiam casu devenerit excommunicatus, tunc enim non est prohibitum in eodem loco, sive etiam in eadem mensa comedere, dummodò unusquisque suum habeat cibum, nec comedat cum excommunicato ratione societatis, sed unusquisque attendat refectioni, ut advertit Suarez *de Cens. disp. 5. sect. 2. n. 6.*

Quando excommunicatus est vitandus, in nullo supradictis casibus licitum est communicare cum illo, nec ille cum alijs Fidelibus; sed quan-

quando est tolleratus, licitum est Fidelibus communicare cum illo, ac si non esset excommunicatus; excommunicato verò non est licitum inchoare communicationem cum Fidelibus, aut se spontè ingerere, nisi sit in ductus, vel ab illis invitatus.

46. P. P. R. quomodo ergo me debeo gerere cum hominibus meæ familiæ propter usum vitæ necessarium, & sustentationem?

C. Excommunicatio est præceptum humanum quale dictam communicationem prohibet, non potest autem aliquid præcipere, quod sit contra præceptum naturale, & sic in multis casibus excommunicato, etiam vitando licet communicare cum Fidelibus, qui casus comprehenduntur in hoc versu.

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

47. Per has particulas *Utile*, & *Necesse* intelligitur quæcumque utilitas, & necessitas moraliter, tam ex parte excommunicati vitandi, quàm ex parte aliorum participantium cum eo: v. g. licitum est petere eleemosynam, & eam dare excommunicato, & si sit Medicus, vel Chirurgus ab illo curari, eiusque personâ in infirmitate uti.

Per secundam particulam *Lex* intelligitur jus, & lex Matrimonij; ideoque quando maritus esset excommunicatus, potest communicare uxor cum ipso non solùm quo ad thorum, sed etiam in omnibus rebus ad bonam familiæ gubernationem spectantibus. Idem dicendum de marito non excommunicato, quando uxor esset excommunicata.

Per tertiam particulam *Humile* intelligitur officium, obsequium, vel subiectio servorum, subditorum, filiorum; adeoque poterunt filij cum Parentibus, servi cum Dominis, subditi cum Prælatis excommunicatis communicare; & universaliter, quando in una familia est aliquis excommunicatus, omnes, qui sunt de familia, possunt cum ipso communicare. Ita Banacina *de Cens. disp.* 24. 2. *p.* 3. §. 2. *num.* 27.

Per quartam particulam *Res ignorata* intelligitur quæcumque ignorantia sive Juris, sive facti, sive inadvertentia inculpabilis, quæ excusat, ne incurratur in minorem excommunicationem ratione communicationis cum excommunicato vitando. Ignorantia facti est, quando nescio, quòd Petrus sit excommunicatus, vel vitandus: Ignorantia Juris verò est, quando, licet sciam, quòd Petrus sit excommunicatus vitandus, non scio tamen, quòd Lex prohibeat communicationem cum excommunicatis; utraque hæc ignorantia vel inadvertentia licitam reddit communicationem cum excommunicato, excusatque â peccato, & censuris incurrendis iuxta communem DD. sententiam.

48. Ad hoc ut v. d. sit â scrupulo libera, si habet Bullam Cruciatæ, & hac excommunicatione absolvatur.

P. Ita P. R. habeo Bullam.

C. Liber-

C. Libenter absolvam; necessarium tamen est, ut prius satisfaciat Clerico ob injuriam illatam.

P. Quomodo debeo satisfacere?

C. Petendo veniam; & si eum vulneravit, omnes expensas factas in cura vulneris debet solvere.

P. P. R. faciam libenter, sed pro præsenti non possum; quia Clericus est absens, nec possum à Sacra Synaxi abstinere ad evitandam infamiam.

C. Quando non potest parti satisfieri, communiter docent Theologi, ut offensor det arrham, quæ debet esse *pignoratoria*, hoc est ut det aliquod pignus in signum, quòd sit satisfacturus: & si hoc fieri non possit, sit arrha, vel cautio *fidejussoria*, id est, ut assignet aliquem fidejussorem; & si etiam hoc fieri nequit, tunc sufficiet, ut sit *juratoria*. Hoc est, ut juret, quòd velit parti læsæ satisfacere.

Ego verò sum paucioribus contentus, & solùm mihi sufficit, ut V. D. seriò emendationem promittat, & habeat efficax propositum satisfaciendi Clerico; hoc supposito eam ab excommunicatione absolvam sequendo doctrinam Laymanni. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *cap.* 6. *n.* 8. §. *Dico quartò in fine*, & cum Valerio, Henriquez, & Diana *p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 44. ubi docent, quòd ad absolvendum ab excommunicatione in foro conscientiæ sufficiat simplex promissio satisfaciendi parti læsæ, si Pœnitens est persona fidelis, de quo sperari possit, quòd sit promissa adimpleturus.

49. P. P. R. in verbo viri promissis stabo Attamen modò mihi incidit alius scrupulus; nempè, quòd alia vice excommunicationem incurrerim ob vulnus, quòd alteri personæ inflixi, Confessarius autem, qui me ab hac absolvit, ad nullam satisfactionem me obligavit, nec ego eamdem sponte implevi, ideóque timeo, ne illa absolutio fuerit invalida.

C. Talis Confessarius (nisi excusset inadvertentia) peccavit mortaliter eam absolvendo, antequam parti læsæ satisfaceret, vel cautionem adhiberet pro futura satisfactione, si ad præsentem se obligare nequeat; per hoc tamen non fuit invalida absolutio ab excommunicatione, & alijs peccatis. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 33. *num.* 3. & alij, quos citat Avila *de Cens. p.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 9. *concl.* 2. plerique alij.

Sed advertat, quòd, quamvis Confessarius ex inadvertentia non imposuerit hanc obligationem, teneatur V. D. satisfacere personæ offensæ, secùs verò noviter eamdem excommunicationem incurret; ita dicit Villalobos *in Sum. p.* 1. *tract.* 16. *diffic.* 20. *num.* 10. & constat *ex cap. Eos de sent. excommunic. in* 6.

50 C. Hæc excommunicatio, à qua Confessarius eam absolvit, fuit ne Superiori reservata?

P. Ita P. R. Summo Pontifici.

C. Deposuit ne juramentum ex

mandato Confessarij, quòd, quando poterit, velit Suæ Sanctitati se præsentare?

P. Non P. R.

C. Absolvit fortè virtute Bullæ, Jubilei, vel alterius privilegij, vel eò, quòd pro tunc non potuerit ad Suam Sanctitatem recurrere?

P. Me absolvit virtute Bullæ.

C. Qui ab aliqua excommunicatione Papæ reservata absolvitur, eò, quòd ad Suam Sanctitatem ob aliquod impedimentum recurrere nequeat, dicit cum Navarro, Corduba, Rodriquez, & Sanchez Leander â Sacram. *part.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 64. quòd sub juramento ad onus præsentationis cessante impedimento obligari debeat, exceptis impuberibus, & etiam fœminis secundùm Avilam, & Sylvestrum, quos citat Leander *ibid. q.* 65. Avila tamen apud eumdem Leandrum *cit. q.* 65. dicit, hoc juramentum se præsentandi in nulla excommunicatione imponi debere, nisi in illa, quæ incurritur ob percussionem Clerici. Hoc idem tenet cum Avila N. R. P. Torrecilla *in suo Exam. Episc. tract.* 1. *q.* 1. *sect.* 4. *diffic.* 35. *num* 130. *pag.* 49.

51. Ego verò opinor, quòd in foro conscientiæ non sit necessarium sub juramento imponere onus præsentationis in ulla censura reservata, à qua absolvitur ille, qui habet impedimentum pro tunc recurrendi ad Superiorem, sed sufficiat simplex promissio, & firmum propositum Pœnitentis se præsentandi ablato impedimento, maxime, si sit persona fidelis in promissis servandis. Quod probo; quia in censura, in qua requiritur satisfactio partis offensæ non est necessarium, ut ille, qui pro tunc nequit satisfacere, emittat juramentũ satisfaciendi ablato impedimento, sed sufficit, ut firmiter proponat, se id adimpleturum, prout dixi *num.* 48. cum Laymano, Valerio, Henriquez, & Diana: ergo non erit necessarium, ut sub juramento onus præsentationis imponatur illi, qui absolvitur à censura reservata præsente impedimento recurrendi ad Superiorem, sed sufficit, ut simpliciter absque juramento promittat. Consequentiam probo: ideo, qui absolvitur à censura, in qua satisfactio partis læsæ requiritur, non est necessarium, ut deponat juramentum, vel det aliam cautionem, sed sufficit in foro conscientiæ promissio simplex; quia *in foro pœnitentiali* dicit Diana *resol.* 44. *cit. deficiente possibilitate Pœnitentis propositum ejus firmum tantùm valet, quantum datio pignorum, vel fidejussorum in foro judiciali* ergo, si in foro conscientiæ tantùm valet propositum firmum quantùm externa cautio pignoratoria, vel fidejussoria, & consequenter juratoria, sequitur, quòd, quamvis pro absolutione à censura reservata in foro externo, & judiciali sit necessaria cautio juratoria de futura præsentatione ablato impedimento, pro absolutione tamen in foro conscientiæ simplex promissio, & firmum

mum propositum se præsentandi sufficiant. Hujus opinionis est N. R. P. Fr. Martinus de Torrecilla, cui oretenùs hunc casum communicavi.

52. Notandum tamen est primò, quòd, si impedimentũ sit perpetuũ, onus præsentationis imponi non debeat; ut dicit Bassæus *verb. Excom. 7. sub num.* 8. §. *circa hos*, sed solùm in impedimẽto temporaneo dicta obligatio imponi debet; quia *ad impossibile nemo obligatur. leg. impossibiliũ. ff. de reg. Jur.* sed habenti impedimentum perpetuũ est impossibilis similis recursus: ergo nec ipsi imponendus.

52. Notandum est secundò, quòd, quando Confessarius Pœnitentem absolvit à censura reservata absque impositione oneris se præsentandi Superiori ablato impedimento, per hoc non invalidetur absolutio à censura, ut videri potest apud Dianam *part.* 5. *tract.* 9. *de Excom. resol.* 68. §. *Ad secundum*, quamvis Confessarius peccet, si culpabiliter dictæ obligationis impositionem omittat; nec Pœnitens ab hoc onere liberatur ex culpabili omissione Confessarij, & si ablato impedimento non se præsentet, in eamdem excommunicationem relabitur. *Ex dict. cap. eos, qui de sent. Excom. in* 6. Verum tamen est, quòd non requiratur personalis præsentatio Pœnitentis, sed sufficiat per Procuratorem; sic cum Navarro, & alijs Leander à Sacram. *part.* 4. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 21.

54. Notandum est tertiò, Pœnitentem absolutum à censura reservata non præcisè propter impedimentum recurrendi ad Superiorem, cui est reservata censura, sed virtute Bullæ, Jubilei, vel alterius privilegij concedentis facultatem absolvendi à tali censura reservata non debere obligari ad se præsentandum postea Superiori, cui est reservata; ut cum Cornelio, & alijs docet P. Leander à Sacram. *dict. part.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *q.* 69. Ratio est primò; quia Canones præcipientes præsentationem Pœnitentis, quando hic absolvitur ab inferiori propter legitimum impedimentum se præsentandi Superiori; non autem, quando absolvitur virtute Bullæ, vel Jubilei, aut alterius privilegij, per quæ Superior tribuit potestatem absolvendi absolutè à censuris reservatis. Secundò; quia, quando vi talium privilegiorum datur absolutio à censura reservata, absolutio est directa, & non indirecta: sed sic est, quòd cum absolutione directa non cohæreat onus præsentationis: ergo nec hoc imponi debet Pœnitenti absoluto vi Bullæ, Jubilei, aut alterius privilegij tribuentis facultatem absolvendi à censura reservata.

CAPUT VII.

Cùm in hoc Præcepto prohibeatur homicidium, operæ pretium duxi hic etiam agere de Scandalo, quod est mors spiritualis animæ Proximi.

55. SCandalum, ut dicit S. Thomas 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. & cum ipso

communis Theologorum, *est dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ* : Dicitur *dictum*, *vel factum*; quia scandalum dari potest operibus, & verbis: operibus datur scandalum peccando, vel in præsentia aliorum aliquid faciendo, quod sit causa eorum ruinæ; verbis datur scandalum, solicitando, vel dando consilium ad malum, & coram alijs aliqua proferendo, quæ pariter eorum ruinam causent: Dicitur *minus rectum*, ad significandum, quòd non solùm verbis, vel operibus malis scandalum detur, sed etiam speciem mali habentibus: v. g. si quis verba jocosa, & æquivoca in præsentia aliorum proferat, ex quibus eorumdem secuturam ruinam prævideat: Dicitur tandem *præbens occasionem ruinæ*: quia, si verba, vel opera non sint causa lapsûs, aut ruinæ, vel quia personæ jam prius sunt determinatæ ad malum, vel quia propter illa non moventur ad malum, non erunt peccatũ scandali, ut infrà dicam *n.* 58.

56. Scandalum unum est activum, aliud est passivum: Passivum est ipsa ruina, sive peccatum, in quod Proximus labitur: Activum verò sunt opera, vel verba, quæ causant ruinam: Dividitur ulterius scandalum, in datum, & acceptum: scandalum datum, quod alij vocant scandalum debilium, & pusillorum, est, quando actio vel verbum Proximo fragili, & debili est occasio ad peccatum: scandalum acceptum, quod alij vocant pharisaicum, est quando Proximus ex sua malitia scandalizatur de operibus, & verbis, quæ in se non sunt mala, nec habent speciem mali. Scandalum potest esse particulare & generale: scandalum particulare est, quando quis inducit alium ad peccatum, intendendo directè ruinam spiritualem: & hoc solo vocari *peccatum Dæmoniorum*, & opponitur directè virtuti charitatis. scandalum generale est, quando quis est causa ruinæ Proximi, quam tamen directè non intendit; & hoc potest duobus modis contingere primò, quando quis alium solicitat ad peccatum propter utilitatem, vel voluptatem sibi exinde eventuram v. g. quando quis inducit alium ad jurandum falsum ex intentione lucrandi aliquam litem; vel ipsum inducit ad furandum, ut rem furto acceptam acquirat; vel solicitat fœminam ad fruendum turpi voluptate: Secundò, quando quis sine intentione ruinæ Proximi, aut propriæ utilitatis est occasio ruinæ: v. g. quando quis jurat, blasphemat, aut aliud peccatum committit coram Proximo, cujus ruinam spiritualem exinde prævideat, licèt illam directè non intendat. Scandalum generale reducitur ad illam peccati speciem, ad quam Proximum inducit. Est opinio communis, ut infra dicam *num.* 59.

59. P. P. R. dico meam culpam, quòd jactanter dixerim coram al-

quibus meis amicis, me habuisse copulam cum muliere aliena.

C. Habuit ne V. D. tunc temporis complacentiam de præterito peccato?

P. Ita P. R.

C. Nominavit ne personam, cum qua peccavit?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne persona boni nominis, & æstimata pro honesta?

P. Ita P. R. saltem ego nunquam aliquid in contrarium audivi.

C. Personæ, coram quibus se jactavit, fuerunt ne tales, quòd potuerit dubitare de earum lapsu ex auditu copulæ habitæ?

P. Non fuerunt totaliter sanctæ, nescio tamen, quid nam in corde latuerit.

C. In hac jactantia V. D. commisit quatuor malitias specie distinctas: prima est peccatum jactantiæ, cujus malitia generaliter opponitur virtuti Pœnitentiæ, quia hæc virtus inclinat ad detestationem peccati; sed jactantia opponitur detestationi: ergo generaliter opponitur virtuti Pœnitentiæ, quamvis formaliter tantùm opponatur virtuti humilitatis, tanquam species superbiæ; quia superbia ad æstimationem, & gloriam propriam anhelat: ad hoc idem tendit jactantia: ergo est species superbiæ.

Secunda malitia est complacentia, quam V. D. habuit de peccato præterito, cujus malitia est species luxuriæ opposita virtuti castitatis.

Tertia malitia est detractio; quia nominavit, & infamavit personam, cum qua peccavit, & hæc opponitur virtuti Justitiæ.

Quarta malitia est scandali, & Occasionis peccandi, quam V. D. præbuit audientibus suum lapsum.

58. Sed si audientes fuerunt ita probi, ut ex tali auditu non se determinaverint ad peccandum; aut ita improbi, ut jam fuerint parati ad peccandum independenter ab hac narratione, ipsius jactantia non haberet malitiam scandali; quia esset occasio peccandi, sic Palaus *par.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *punct.* 1 *n.* 4. Sed cùm non fuerint ita probi, nec adeo improbi, ut dixit, commisit peccatum scandali jactando se de peccato in illorum præsentia.

59. Dicat mihi, cujus status erant personæ audientes?

P. P. R. unus est Sacerdos, alter uxoratus, reliqui sunt liberi.

C. In opinione communi, quòd scandalum reducatur ad peccati speciem, ad quam inducitur Proximus, necesse est scire statum illorum, quibus fuit datum scandalum. Attamen secundùm id, quod infero ex opinione Suarez *disp.* 10. *de charit. sect.* 2. *n.* 4. Coninch *disp.* 32. *de charit. num.* 46. & *disp.* 28. *num.* 12. quam probabilem judicat Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 14. *n.* 157. qui docent, quòd, quamvis ille, qui consulit ejusdem transgressionem habenti votum castitatis, peccet contra votum, & hoc scandalum reducatur

ad ſpeciem ſacrilegij; ille tamen, qui ſolùm ſuo malo exemplo dat occaſionem transgrediendi votum caſtitatis, non peccat contra votum alterius: atqui V. D. audientibus conſilium ad peccandum non præbuit, ſed ſolùm ob ſuam jactantiam illis malum exemplum dedit: ergo ſecundùm hanc doctrinam non eſt neceſſarium, ut illorum ſtatus explicetur; quamvis communem tanquam veram ſequar. videatur pars 2. hujus praxis, *tract.* 14. *cap.* 6. *n.* 52.

60. Neque erit neceſſarium explicare numerum perſonarum, quibus fuit datum ſcandalum juxta doctrinam traditam à multis Theologis, quòd unus numero actus non poſſit continere duplicem numero malitiam: atqui jactantia V. D. fuit unus numero actus: ergo non poſſunt in eo contineri duo peccata numero diſtincta: & ſic ſufficiet ſe accuſare dicendo; P. R. me accuſo, quòd multis malum exemplum dederim in hac, vel alia ſpecie peccati, abſque explicatione perſonarum; ut dicit in propriis terminis de hoc caſu Leander à Sacram. *part.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 8. §. 5. *q.* 8. quamvis ſit ſecuriùs ſequi contrarium, & ſe accuſare de numero perſonarum audientium, ita Sanchez & alij, *quos ibi citat* Leander.

61. P. P. R. dico meam culpam, quòd poſt emiſſum votum caſtitatis dederim conſilium cuidam perſonæ ad patrandum peccatum inhoneſtum.

C. Hæc perſona fuit ne voto caſtitatis obſtricta?

P. Non P. R.

C. Dedit ne conſilium ad peccandum ſecum, vel cum alijs.

P. Ad peccandum cum alijs.

C. Cujus ſtatus erat perſona, cui ad peccandum conſilium dedit; illa, cum qua peccare ſuaſit?

P. Vir eſt uxoratus, fœmina verò eſt ſoluta.

C. Quamvis hoc ſcandalum reducatur ad ſpeciem adulterij dando viro uxorato conſilium ad peccatum; ut ſuperius dixi, ratione verò voti emiſſi V. D. non commiſit ſacrilegium; ita Sanchez *lib.* 5. *Sum. cap.* 6. *num.* 11. quia vi hujus voti V. D. non obligatur ad cuſtodiam alienæ, ſed propriæ caſtitatis: ergo contra votum caſtitatis non deliquit. Hoc idem docetur part 2. hujus praxis *tract.* 14. *cap.* 6. *num.* 50.

62. In hoc tractatu multùm interreſt, ut Confeſſarius graviter, & ſtrenuè redarguat luxum, & exceſſum in ornatu, & veſtibus pretioſis, quibus fœminæ vanæ, & inſipientes utuntur, ijſdem objiciendo ſcandalum activum, & paſſivum in laqueos Diaboli, & retia laſciviæ turpiter convertunt; Vitium non ſufficienter deplorabile, quando quidem modeſtiâ foemineo ſexui adeò connaturali ſe expoliantes vanis ſuis ornamentis totum mundum ad ſordes inhoneſtatis inverecundè invitant, & quod pejus eſt, de hoc nullum ſcrupulum ſibi faciunt, cùm tam-

sit materia periculosissima, & summæ consequentiæ. Admoneat eas Confessarius, hoc esse obiectum reprehensionis, abominationis, ac detestationis Sanctorũ Patrum, & Doctorum uno ore prædicantiũ, hujusmodi excessum maximâ pœna dignum esse: *Innumeri Sancti, & Doctores & antiqui Patres huiusmodi abusum taxant, & igne æterno dignum existimant. dicit* P. Laynez *de ornam. & fuc. mulier. q. 15. casu. 12.* Nec valet excusatio, quòd Sancti Patres reprehenderint, quia judicarunt, melius esse abstinere ab his ornamentis, quàm jisdem uti; non verò quòd existimaverint, esse malum ita grave, & graviter per hoc delinqui: Ad hocenim respondetur, quòd Sancti Patres, & Doctores non fuissent tali verborum pondere locuti, nisi etiam rem magni ponderis esse judicâssent; ut sufficienter exprimit Dionysius Carthusianus *in Dec. vitæ Nobil. art. 14.* his formalissimis verbis: *Sancti Patres, & Glorioſi, Illustrissimique Doctores contra ornatum superfluum, & exquisitum, curiosum, superfluumque vestitum tam rigoroſe non scriberent, nisi in eis mortalem culpam existere non iudicarent, venialia quippe peccata talem condemnationem non promerentur.*

Nec subsistit excusatio, quòd in hoc malam intentionem non habeant: quia, si percipiunt, vel percipere debent (cùm totiès id audiant â Zelantibus DEI Ministris) se per huiusmodi luxus plurimis occasionem ruinæ præbere, quomodo hæc excusatio jis suffragari poterit. *Cavendum enim est, quòd occasionem mali præstet, licèt non intentione mali fiat: dicit eruditè Abulensis ad cap. 11. Matth. q. 24. lit. c.* Et in historijs legimus, Deum propter huiusmodi excessum pluribus pœnam irrogâsse. hàc, vel alia excusatione nullatenus eis suffragante.

63. Mulieres tamen se modestè ornantes, licèt ex fine exhibendi pulchritudinẽ præcisâ aliâ pravâ intentione excitandi aliquem ad malum, non peccant mortaliter; nec si desiderent conspici ab hominibus, dummodo determinatè non sciant, quòd illorum aliquis amore obliquo eas prosequatur; si enim hoc esset, mortaliter peccarent, quandocumque id absque necessitate facerent. Vide Bassæum *verb. Scandalum* §. 3. & alios.

Caput VIII.

Exhortationes pro perseverantibus in odio.

64 Inter Præcepta â Christo Domino specialiter commendata præcipuum est illud Charitatis erga inimicos exhibendæ, nõ solùm verbis, sed magis præstantissimis exemplis; licèt enim fuerit summè Sanctus, & innocens, imò ipsa Sanctitas, & Innocentia, fuit tamen ut latro, blasphemus, & dœmoniacus habitus, & tandem ut reus cruci affixus, hasque injurias & contumelias

summa

ſumma longanimitate, & æquanimitate condonavit, ac pro crucifixoribus oravit. Nunquid maxima eſſet ſuperbia, ſi homo maiorem Deo ſe eſſe præſumeret? Immenſa ergo Dei Majeſtas tot injurijs affecta ſufferre, tolerare, & condonare voluit, & homo creatura vilis, & miſerabilis imitari Deum renuet?

Dicam cum S. Paulo Hæbr. 12. Aſpiciat V. D. in Authorem Fidei, & conſumatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta. Contempletur eum vinculis alligatum: flagellis, & colaphis cæſum: ſpinis coronatum: Cruci clavis affixum: tot iniurijs, calumnijs, vexationibus expoſitum: Forſan iniuriæ ab inimcis ipſi illatæ ſunt æquales? procul dubio non. Si ergo Deus tot, & tanta ſuſtinuit, ac ſumma conſtantia tot offenſas condonavit, ut V. D. daret exemplum, cur ad hoc imitandum inimicis ſuis parcere recuſabit?

Et ſi ulterius per diſcurſum progredi velimus, quoties V. D. in Deum ſuum peccavit? quot iniurias ipſi intulit? quoties eum contempſit? & hoc non obſtante tot iniquitates ſibi â Deo condonari exoptat? Aſt caveat ſibi, quia, ſi inimicis ſuis non parcit, nec Deus ipſi parcet; & ſi eo præcipiente inimicos non diliget, nec ab eo diligi promerebitur juxta ejuſdem Domini dictum: *eadē menſurâ, qua menſi fueritis, remetietur vobis Luc. cap.* 6. Recogitet, quòd, ſi in Oratione Dominica petit ſibi dimitti debita, ſicut ipſe debitoribus ſuis dimittit, non dimittendo nec ipſi dimitti petat; & eo modo, quo V. D. cum Proximis ſuis ſe gerit, ſic Divina Majeſtas cum ea aget. Pro hujus veritatis probatione idem Chriſtus in ſuo Euangelio dicit, quòd, cùm homo quidam propter debitum ad carceres trudendus obtentâ â creditore remiſſione debiti noluerit alteri ſibi debitori ſupplicanti debitum dimittere; in pœnam huius crudelitatis ad infernales carceres fuerit â Deo condemnatus. Hoc idem continget V. D. niſi Proximi ſui miſereri decernat, ut videri poteſt in caſu ſequenti, relato in ſpeculo exemplorum *verb. Dimittere num.* 4.

65. Fuit homo adèo vindictæ addictus, ut injuriam quandam ſibi illatam nullatenus condonare voluerit; deceſſit hic è vita, & cùm in cantando officio Defunctorum in Eccleſia præſente corpore Sacerdos protuliſſet illa verba, *Parce mihi Domine* (caſus horribilis, & tremendus) Crucifixus Altaris Maioris manus è Cruce diſſolvit, jiſque aures occludens, alta voce pronuntiavit: *Non pepercit, neque parcam.*

Exemplum de Dei pietate erga parcentes inimicis.

66. Narrat Surius in Feſto translationis S. Donatiani, quòd, dum quidam Eques ad Templum hujus Sancti Reliquias veneraturus veniſſet

set, inimicus ejus ad Equitis pedes procumbens de offensis ipsi illatis veniam petierit: indignatus Nobilis dixit: abi hinc, aliàs coram his Reliquijs de medio te tollam, & interficiam; in qua obstinatione persistens, nec ad Sacerdotum preces parcere voluit.

Ast ira Dei, & Sancti non longè fuit; quia de repente intenso oculorum dolore agitatus, visu corporali privatum se vidit, quo tamen amisso oculos animæ aperuit, ac de peccato veniam à Domino DEO petens inimico ex corde pepercit. Vix secuta fuit conciliatio cum inimico, per Sancti merita evanuit dolor, ac visum amissum recuperavit. Casus hic considerare nos admonet, quàm severè Deus puniat non remittentes injurias, & quàm grata è contra sit ipsi conciliatio cum inimicis.

TRACTATUS VI.
DE VI. PRÆCEPTO.

Non Mœchaberis.

§. I.

1. NOn dubito, quin quivis innocens affectibus, & mundo corde hujus Præcepti lectioni, & studio incumbet eâ repugnantiâ, quâ ego ad agendum de eodem me determinavi; nihilominus, si Angelus ille, licèt puritate excellentiori nostra præditus non fuit dedignatus Hierosolymam venire ad revoluendas aquas Piscinæ mendicis putridis plagis infectis circumdatæ pro solius infirmi salute: *& sanabatur unus Joan.* 5. multò minùs dedignari debet homo, licèt in sui æstimatione candidus, & castus, perlustrare hujus Piscinæ aquas pro impertienda salute tot animabus contagio sensualitatis infectis. Faxit Deus, ut, quæ scribuntur, & præscribuntur remedia, & medicinæ, animabus infirmis proficiant: sed cùm pestis hujus vitij sit summè contagiosa, consultum est, ut, sicut Medicus corporalis de aliquo parvulo vasculo pleno odoribus, & aromatibus sibi providet ad se defendendum à qualitatibus, & impressionibus nocivis sibi obventuris ex communicatione cum infirmis: & sicut cubicula, ubi febricitantes febri maligna jacent, asperguntur aceto, ne intrantes, & visitantes inficiantur, ita pariter ut Confessarius ab infectione maligna sensualitatis immunis evadat, consulendum est inquam, ut sibi de suavissimo orationis odore, & mortificationis, circumspectionisque aceto provideat.

§. II.

2. ANtequam de particularibus speciebus hujus Tractatûs tradere incipiam. Suppono primò, per hoc Præceptum prohiberi omnia genera peccati luxuriæ, quæ cogitationibus, verbis, & operibus

committuntur: cogitationibus, consentiendo per modum delectationis, vel desiderij in turpia: Verbis, loquendo de rebus obscœnis: & operibus, inhonesta patrando. Suppono secundò, quòd luxuria *sit inordinatus appetitus venereorum*, & unum ex septem peccatis capitalibus communius, & periculosius alijs; adeò commune, ut incipiendo ab ætate magis tenera regnet usque ad decrepitam, & senilem nulli, vel sexui, vel statui parcendo; & ita periculosum, quòd, si semel introducatur in animam, dissimulatis blandimentis voluntati adhæreat, maxima cum difficultate eradicari possit propter multas, & valdè profundas radices, quas in humanorum cordium terra germinare solet; idcirco magno studio, & vigilantiâ opus est, ne cordis dominium sibi arrogare præsumat.

3. Septem species luxuriæ numerantur, nempe, simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium, & peccatum contra naturam. Simplex fornicatio *est accessus soluti cum soluta*. Stuprum *est accessus cum virgine, vel renuente, vel liberè consentiente* juxta varias opiniones. Raptus *est accessus cum fœmina per vim adducta de uno loco in alium*. Adulterium *est alieni thori violatio, vel accessus viri soluti ad mulierem nuptam, aut è contra*. Incestus *est accessus cum consanguinea, vel affine intra quartum gradum*. Sacrilegium *est accessus cum persona votum castitatis habente*. Peccatum contra naturam *est effusio seminis extra vas debitum*. Et hoc peccatum contra naturam habet tres species distinctas, quæ sunt pollutio, seu mollities, Sodomia nefandum crimen, & bestialitas. Pollutio, seu mollities *est effusio humani seminis extra vas*. Sodomia *est accubitus, seu congressus inter personas ejusdem speciei, sive ejusdem, sive diversi sexûs, sed in vase indebito*. Bestialitas *est accubitus, seu accessus ad suppositum alterius speciei*.

4. In singulis sequentibus capitibus tradam id, quod magis practicatur, & succedit; & initium summam à peccato contra naturam, quod nimis frequenter committitur, quamvis enim in hoc tractatu deberet etiam tradi de Sodomia, & bestialitate, quia autem de his in explicatione Propositionis 24. ab Alexandro VII. damnatæ agere debeo, ideò ea ad part. 2. hujus praxis n. 17. *num.* 150. *& seq.* remitto.

Non possum præterire, quin pp. Confessarios admoneam, quòd hoc Præceptum sit scopulus ordinarius obvians in confessionibus; hìc occasiones proximæ, hìc habitus mali inveniuntur; hìc peccata, & circumstantiæ necessariæ ex timore, & verecundia occultantur.

Minister DEI zelo, & zeli discretione se vestiat, ut cum constantia christiana, & forti animo sciat loqui illis, qui in profunda occasionum fovea sunt immersi, & in re-

tibus

tibus pravorum habituum illaqueati, utatur hìc exemplis, & exhortationibus ad eos educendos ex tam misero, & cæco statu: & si hoc non sufficiat, negetur ipsis absolutio. Discretione pariter opus est, ut modò suaviter, modò acriter, & præcipuè toleranter à lepra mundare valeat cor miseri Pœnitentis, qui ex ignorantia sui mali propriam infirmitatem curare negligit. Quia verò plures idiotæ coinquinati peccato contra naturam putant non posse ab eodem absolvi absque recursu ad Sacram vel Pœnitentiariam, vel Inquisitionem; ideò Confessarius de rei veritate eos certiores reddat. Alij pariter dantur, maximè rustici existimantes, quòd Confessarius audito hoc peccato ad clamores, & injurias contra ipsos procedet (quod fortè aliquis insipienter, & inique practicavit) quare ita se gerat, ut experientiâ hoc falsum esse compertant, & hoc eis erit motivum cor aperiendi, ac peccati venenum evomendi.

De cogitationibus, & verbis obscœnis loquar in hoc Tractatu *cap.* 9. & 10. de osculis verò, & tactibus inhonestis *part.* 2. hujus praxis *tract.* 17. *num.* 256. *& seq.* in explicatione Propositionis 40. ab Alexandro VII. damnatæ.

Caput I.

De peccato contra naturam.

2

P. P. R. supplico, placeat habere modicam patientiam, & audire iniquitates meas; quia sum peccator magis sceleratus inter omnes, qui ex mulieribus nati sunt.

C. Mi Fili sit bono animo, non se affligat; quia exaudiam ipsius confessionem libenter, & peramanter absque admiratione alicujus rei mihi revelandæ; etenim homo sum, sicut ipse, & summam hujus terreni vasis fragilitatem cognosco, nec unquam de peccatis auditis admirationem concepi, sumat sibi animum, & dicat, quid quid vult, & habet, nec minimam rem ex timore, vel verecundia omittat; quia si infirmus infirmitatem suam medico non manifestat, eum curare nequit; & si V. D. omnes suæ conscientiæ plagas mihi non manifestaverit, nec ego ipsam curare potero; quia unum peccatum ex malitia omissum causat mortem.

3. P. P. R. me accuso, quod in mea pueritia me associaverim cuidam adolescenti, à quo edoctus pessimum crimen me polluendi, crimen hoc ego inde sæpiùs patravi.

C. In illa ætate scivit ne V. D. hunc actum esse peccaminosum, vel sibi imaginabatur, esse malum?

Hæc interrogatio adhibenda est cum juvenibus teneræ ætatis, &

rusticis; quia multi horum censent, se in hac materia non peccare, nisi peccatum cum persona diversi sexûs consument: ego enim plures adinveni ignorantes pollutionem esse peccatum.

P. P.R. non scivi.

C. Fuit ne V. D. aliquando hoc confessa?

Ex hac interrogatione potest inferri à posteriori, utrum in talibus personis fuerit aliqua malitia; quia si confitentur absque eo, quòd audiverint hoc esse peccatum, signum est, quòd formaverint conceptum de turpitudine, & deformitate rei.

P. Nunquam cogitavi hoc confiteri, nisi, postquàm audivi esse peccatum.

4. C. Quanto tempore fuit in hac ignorantia?

P. P.R. quatuor circiter annis.

C. Toto hoc tempore quoties in hoc peccatum cecidit?

P. P.R. quasi omni hebdomada bis.

C. Hoc peccatum est contra naturam: verum quidem est, quòd in V. D. non fuerit peccatum propter ignorantiam, quamvis hoc peccatum Lege naturali prohibitum sit juxta communem Recentiorum sententiam, quæ admittit, posse dari ignorantiam invincibilem in rebus Lege naturali prohibitis: vide Caspensem *tom.* 1. *tract. de Peccatis disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 19.

5. Postquam in cognitionem venit, cecidit ne alijs vicibus?

P. Sæpissimè.

C. Quoties commisit?

P. P.R. hoc crimen in me numerum non habet.

C. Quanto tempore in hoc vitio perseveravit?

P. P.R. usque dum uxorem duxi.

C. Cujus ætatis erat, dum uxorem duxit?

P. Viginti quatuor annorum.

C. In qua ætate venit in cognitionem hujus peccati?

P. De hoc non recordor.

C. Quando se associavit illi adolescenti, qui V. D. hoc peccatum edocuit, quot annos putat se habuisse plus, vel minus?

P. Mihi videtur, quòd habuerim duodecim circiter annos.

C. Ergo si in hoc vitio perseveravit quatuor annis absque notitia ejus malitiæ, & vigesimo quarto suæ ætatis anno duxit uxorem: ab illo tempore, quo novit esse peccatum, usqua ad matrimonium elapsi sunt octo anni; siquidem anno duodecimo apprehendit hoc vitium, & quatuor annis vixit in ignorantia, duodecim, & quatuor faciunt sexdecim annos; à decimo sexto usque ad vigesimum quartum debent esse octo anni?

P. Ita P.R. sic est.

6. C. Ab illo tempore, quo novit esse peccatum, quoties id commisit? & quoties in hebdomada, die numerando adinvicem dies?

P. P.R. non possum scire, quia aliquando per integram hebdo-

dam non deliqui, aliquando verò sæpiùs in heddomada

C. Ergo sufficit, quòd accusetse habuisse hoc vitium per spatium octo annorum; sic docent communiter DD. cum Navarro, Victore, Cajetano apud Villalobos *in Sum. tom. 1. tract. 9. diffic. 33. num. 5.* Cano, Soto, quos citat Diana *part. 3. tract. 4. resol. 89.* Hoc enim est generale, & commune principium, quòd in quacúmque materia, in qua Pœnitens individuum numerum suorum peccatorum explicare non potest, sufficiat, se accusare, quanto tempore in illo vitio perseveraverit.

7. Nunc mihi dicat, quando in has fragilitates cecidit, ferebatur ne cogitationibus in mulieres?

P. Ita P. R.

C. Desiderabat ne eas? quia si habuisset hoc desiderium præter malitiam peccati contra naturam, quam pollutio includit, commisisset aliam specie distinctam propter desiderium secundùm circumstantiam objecti desiderati, & si desiderium fuisset in uxoratam, fuisset adulterium, si in consanguineam, vel affinem fuisset incestus; quia doctrina certa, & communis est, quòd desiderium efficax habeat eamdem malitiam, quam habet objectum, ad quod fertur, & dirigitur.

P. P. R. mihi videtur, quòd, si pro tunc præsentem habuissem mulierem, peccassem cum ea.

C. Desiderabat ne actu pro tunc cum ea peccare? Quia peccatum non consistit in contingenti conditione, id est, si essem in hac, vel illa occasione, peccarem; quando quidem etiam magis timorati de propria fragilitate dubitant, & timent, quòd, si essent in occasione, peccarent, per hoc tamen non peccant.

P. P. R. non habui hoc desiderium.

8. C. Solùm ejus cogitatio ferebatur in mulieres ad capiendam majorem delectationem in pollutione?

P. Ita P. R.

C. Ergo illæ fragilitates non distinguuntur specie ratione cogitationum, quibus delectabatur in varijs objectis alterius sexûs sed omnes sunt ejusdem speciei; Ita Bassæus *verb. Luxuria n. 18.* Diana *part. 7. tract. 12. resol. 15.* Cajetanus, Bonacina, Azorius, & alij, quos citat, & sequitur Murcia *tom. 1. disq. lib. 2. disp. 3. resol. 4. num. 3.* Et ratio est; quia reminiscentia horum objectorum, quando non adest efficax desiderium, solùm est ad capiendam delectationem: atqui media, per quæ solùm intenditur delectatio, non causant distinctionem specificam, sed solùm aggravant intra eamdem speciem: ergo pollutiones illæ non distinguuntur specie ratione objectorum.

Caput II.

De Incestu.

9. P. P.R. confiteor, quòd cum mea consanguinea indecens tripudium habuerim.

C. Hoc tripudium fuit ne ad obtinendam copulam?

P. Non P.R.

C. Habuit ne internè desiderium? quia sicut efficax desiderium habet eamdem malitiam, quam habet actus, seu objectum desideratum, sic sine dubio hoc Desiderium haberet malitiam incestûs.

P. P.R. non habui similem intentionem, nec tale desiderium.

C. Est ne passus illis in tripudijs effusionem seminis, vel se exposuit periculo effundendi?

P. Ita P.R. lapsus sui actualiter in hanc miseriam.

C. Clarum est, quòd copula, seu accessus ad consanguineam, seu affinem intra quartum gradum sit incestus, incestus quoque sit illius desiderium; aliquis tamen dubitavit, an similes tactus, vel tripudia habita cum tali consanguinea, vel affine induant malitiam incestûs: & ratio dubitandi est; quia copula sodomitica inter consanguineos, etiam in primo consanguinitatis gradu non habet malitiam incestûs; ita Belocus, Homobonus, & alij, quos citat, & sequitur Murcia *tom.* 1. *disq. lib.* 2. *disp.* 2. *resol.* 19. *n.* 5. *& tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 40. *resol.* 6. *n.* 2. *&* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 101. Quia juxta opinionem horum DD. solùm contrahitur malitia incestûs, quando intervenit copula apta ad causandam affinitatem: ergo in nullo horum actuum contrahitur malitia incestus: consequenter ex hac doctrina videtur inferri, quòd nec tactus, nec tripudia cum consanguineis habeant malitiam incestûs.

Attamen si in hac opinione veritas locum habeat, debet solùm intelligi de tactibus sodomiticis, non verò de alijs, qui tales non sunt. Et ratio est: quia tactus ex fine operis ordinantur ad copulam: atqui copula cum consanguinea est incestus: ergo etiam tactus.

10. P. P. R. confiteor, quòd cognoverim consanguineam meam in secundo consanguinitatis gradu, & affinem in tertio affinitatis gradu.

C. Tam in uno, quàm in altero accessu V. D. commisit incestum; necessarium tamen non est secundùm opinionem aliquorum, explicare gradum cognationis inter V.D. & illas personas, sed sufficit dicere quòd cum sibi cognatione conjunctis intra quartum gradum peccaverit absque explicatione cognationis sive affinitatis, sive consanguinitatis. Cajetanus, Bonacina, Ledesma, quos citat Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 31. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 234. Murcia *tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 10. *sol.* 6. *n.* 7. Et ratio est: quia differentia specifica desumitur ex oppositione cum diversis virtutibus; omnes gradus consanguinitatis, affi-

affinitatis soli opponuntur virtuti pietatis, & eam diverso modo non respiciunt: ergo non distinguuntur specie.

Attamen contraria vera est, & communis, & saltem quo ad primum gradum debet specificè explicari. *Videatur* Bassæus *verb. Incestus n.* 3.

CAPUT III.

De Adulterio.

11. P. R. dico meam culpam, quòd tribus annis continuis pessimam familiaritatem, & amicitiam habuerim.

C. Cum quali persona?

P. Cum maritata.

C. Et V. D. in quo statu tunc fuit?

P. P. R. pariter & ego uxoratus eram.

C. Mulier hæc consanguinea sui erat, vel uxoris suæ?

P. Non P. R.

C. Ergo peccata commissa fuerunt adulteria, & juxta sententiam communem quotiescúmque habuit rem cum illa, commisit duo adulteria numero distincta; quia per duplex adulterium, ut in nostro casu contingit, duorum Matrimoniorum jura violantur, & duobus conjugibus injuria irrogatur; ita Moya *in select. tom.* 3. *tract.* 3. *disp.* 3. *q.* 4. *art.* 4. *num.* 11. Contrarium necessariò debent dicere illi, qui asserunt, quòd in uno numero actu non possint esse duæ malitiæ numero distinctæ. Cajetanus, Layman. Serra. Filiucius, & alij, quos citat Diana *part.* 3. *tract.* 4 *resol.* 164. Leander à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *de Pœnit. disp.* 8. §. 3. *q.* 20. 21. & 22. & *tom.* 4. *de Censur. tract.* 1. *disp.* 3. *q.* 42. pleríque alij. Et ratio est, quia concreta accidentalia multiplicantur secundùm multiplicationem subjectorum, & non formarum, ut docent Philosophi: Peccatum est concretum accidentale, cujus subjectum est actus, & forma est malitia: ergo in uno numero actu non possunt esse duo peccata numero distincta.

12. Nunc mihi dicat, hæc persona ex suo concubitu concepit ne aliquando?

P. Non P. R.

C. Adhibuit ne aliquod medium, ne hoc sequeretur?

P. Ita P. R. effundebam extra vas.

C. Hæc circumstantia videbatur ne ipsi esse peccatum distinctum?

P. Ita P. R.

C. Clarum est, quòd sit peccatum distinctum contra naturam. Non obliviscatur Confessarius interrogare, num conceperit: tum propter restitutionem damnorum, de quibus mox tradam; tum quia plurimi ex isto timore extra vas semen emittunt, maximè, quando rem habent cum mulieribus non maritatis, per hanc interrogationem habetur perfecta notitia hujus novæ circumstantiæ peccati contra naturam.

13. Mihi dicat, præter actus consumatos habuit ne cum hac persona oscula, aut tactus impudicos?

P. Ita

P. Ita P. R. quotiescúmque eam accessi.

C. Non interrogo de hoc; quia tactus, & oscula habita ante, & post copulam sunt ipsi concomitantia, & consequenter non constituunt distinctum peccatum, ut docet Azorius *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *in fine* Henriquez *in Sum. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 5. Navarrus *cap.* 6. *num.* 7. & alij. Solùm interrogo, an in distinctis ab actibus consumatis habuerit hæc oscula, sive tactus.

P. Ita P. R.

C. Tunc desideravit ne accubitum?

P. Ita P. R. & si non fuit secutus, ex eo fuit, quia deerat opportunitas.

C. Ergo suo desiderio commisit adulterium.

14. In his tactibus est ne passa V. D. pollutionem?

P. Ita P. R. Sæpius.

C. Quoties habuit tactus cum pollutione, & quoties sine?

P. P. R. his tribus annis sæpissimè fui passus, ita quòd numerum scire nequeam.

C. Poterit ne recordari, quoties habuerit tactus cum hac persona?

P. Certè, hoc est mihi impossibile.

C. Ergo sufficit, quòd se accusèt in hoc pessimo statu tribus annis fuisse, & omnes hos tactus, & pollutiones habuisse, juxta id, quod superius dixi *cap.* 1. *num.* 6.

15. Mihi dicat, quando V. D. fuit sola, recordabatur ne obscœnorum, & turpium cum hac persona patratorum?

P. Ita P. R. multoties.

C. Erat ne se polluendo?

P. Aliquando P. R.

C. Habebat ne tunc temporis desiderium verè peccandi cum illa?

P. Non P. R.

C. Ergo hæ delectationes non contrahunt malitiam adulterij in sententia Vasquez *part.* 2. *tom.* 2 *disp.* 112. *cap.* 2. Sairi *in Clavi Regia lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 10. Bonacinæ *de matrim. q.* 4. *punct.* 8. *n.* 19. Lessij *lib.* 4. *de Justit. cap.* 2. *dub.* 15. & aliorum multorum, qui distinguunt desiderium à delectatione, & dicunt, quòd desiderium, cùm ordinetur ad opus, contrahat integram malitiam objecti, & circumstantiarum: sed delectatio, cùm solùm in speculatione consistat, & executionem non respiciat, non contrahit malitiam objecti, & simul circumstantiarum, sed solius objecti: adeóque ille, qui delectatur de maritata, consanguinea, vel virgine juxta sententiam horum Authorum non obligatur circumstantias harum personarum explicare, sed solùm sufficiat dicere, me accuso, quòd habuerim tot delectationes morosas cogitando de mulieribus sine explicatione statûs. Contrarium tamen communiter practicatur à moratis, & benè faciunt.

16. Cùm autem V. D. sit uxorata hæ delectationes habent malitiam adulterij, licèt dicamus, quòd delectatio non contrahat malitiam objecti

objecti, contrahit tamen malitiam subjecti; quia persona suâ circumstantiâ se spoliare non potest; quamvis videam, quòd aliqui DD. quos omisso nomine citat, sed non sequitur Bassæus *verb. Delect. num.* 5. §. *An autem*, dicant, quòd uxoratus habens delectationes de muliere aliena non committat adulterium, nec injuriam suæ uxori inferat; quia ajunt, quòd per Matrimonium solùm obligetur ad non dandam carnem propriam alienæ mulieri, sed non ad se abstinendum a delectationibus: quam sententiam, quamvis Diana *part.* 3. *tract.* 6. *Miscel. resol.* 3. reprobet, postea tamen *part* 9. *tract.* 6. *resol.* 4. admittit pro probabili. Hocidem sentit Casparus Hurtadus, quem citat, & non reprobat Murcia *tom.* 1. *disq. lib.* 2. *disp.* 3. *resol.* 3. *n.* 6. Ego tamen nunquam huic doctrinæ assentirem; cùm circumstantia personæ sit inseparabilis.

17. Mihi dicat V. D. quando cognoscebat suam uxorem, recordabatur ne uxoris alienæ?

P. Ita P. R. multoties.

C. Pro tunc habebat ne desiderium decumbendi cum illa, aut tantummodò de illa cogitabat ad majorem capiendam delectationem?

P. cogitabam solùm ob delectationem.

C. Si tunc habuisset desiderium peccandi, illa reminiscentia fuisset peccatum adulterij, sed cùm tantùm meram complacentiam habuerit; quamvis graviter peccaverit, adulterium tamen ratione hujus objecti non commisit, secundùm opinionem, quam enarrare desino.

Hoc modo, & cum his interrogationibus examinandi sunt Pœnitentes, qui multo tempore in malo statu vixerunt; & quandocúmque non possunt numerum suorum peccatorum distinctè explicare, sufficit, quòd se accusent de vitio, seu consuetudine peccandi; & qui cum varijs personis peccarunt, se accusent saltem in genere, si determinatum numerum circumstantiarum mutantium speciem scire nequeant: v. g. an cum consanguineis, maritatis, Virginibus &c.

18. Mihi dicat ulterius, vivendo in hac amicitia solebat ne noctu manere extra suam domum, vel dormire in cubiculo separato à sua uxore?

P. Sæpius solebam noctu foris dormire.

C. Hæc circumstantia habuit aliud peccatum in se, nempè injustitiæ; cùm non duxerit vitam conjugalem cum sua uxore, & posuerit obicem ad non solvendum debitum.

P. P. R. dico meamculpam, quòd ad aliam mulierem conjugatam viginti ferè vicibus accesserim.

C. Supponit ne V. D. quòd ex aliquo suo accessu aliquando conceperit?

P. P. R. bis; prima vice post novem Menses, ex quo habui rem cum ea, peperit.

C. Hæc persona cohabitabat ne tunc cum suo Marito?

P. Ita P.R.

C. Habuit ne proles prius à suo proprio Marito?

P. Ita P.R.

C. Ergo in dubio est, num filius sit ipsius, vel conjugis illius mulieris, habetne aliquod fundamentum conjiciendi esse suum ex eo, quòd post novem Menses sui accubitûs sit natus?

P. Ita P.R. sed habeo etiam fundamentum conjiciendi, eum esse sui conjugis; quia cum eo dormiebat, & cohabitabat.

In casu dubio judicari debet, filium esse legitimum; ita Lessius, Navarus, & Sotus, quos citat, & sequitur Laymanus *lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *part.* 3. *cap.* 14. *n.* 13. §. *Sed quid.* Villalobos *in Sum. part.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 34. *num.* 5. & alij.

20. P. P.R. altera vice, in qua habui copulam cum hac persona, certus sum, quòd ex me conceperit, & pepererit; conjux enim illius erat absens, certóque scio, eam cum nullo alio rem habuisse.

C. Ad procedendum in resolutione hujus casûs cum certitudine debet supponi tanquam res stabilis, & firma, quòd Parentes teneantur filijs alimenta tribuere; Mater tenetur filium usque ad tertium annum nutrire; & Pater post hos tres annos, donec filius suâ industriâ, & labore se alere possit; sic definit Textus Civilis *lib.* 3. *tit.* 19. *part.* 4.

Debet etiam supponi tanquam res certa, quòd Mater non tenetur cum periculo suæ vitæ, aut famæ manifestare filio, eum esse legitimum.

Nec Filius tenetur fidem præstare Matri affirmanti, ipsum esse spurium, etiam si juramento hoc affirmet, vel constituta in articulo mortis: nisi rationibus ineluctabilibus Filius convincatur, & certior fiat de rei veritate. Azorius *tom.* 2. *part.* 3. *lib. cap.* 7. *q.* 5. Suarez *tom.* 5. *de Cens. dist.* 50. *sect.* 4. Videatur Diana *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 33. *& tract.* 6. *resol.* 55. Murcia *tom.* 2. *disp. lib.* 4. *disp.* 10. *resol.* 5. *num.* 6.

Notandum etiam est, hos filios illegitimos non solùm præjudicare Marito Adulteræ, sed etiam alijs hæredibus; siquidem Maritus credendo suum esse Filium, relinquit ipsi partem hæreditatis absque ulla obligatione.

21. Mihi dicat, intulit ne vim huic mulieri?

P. Blandimentis, & precibus tantummodò solicitavi, vim verò non intuli.

C. Si vim intulisset, non solùm obligaretur alere Filium, sed etiam solvere expensas factas à Matre in partu, & alia damna compensare; ita Villalobos *part.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 33. *num.* 1. Sed cùm ambo consenserint, ambo ad supradicta damna tenentur.

22. Dedit ne huic mulieri consilium, ut Filium spurium inter Fi-

lios

lios legitimos induceret decipiendo conjugem, cæteróſque Filios legitimos?

P. Hac de re nihil ipſi dixi.

C. Leſſius *lib. 2. de Juſtit. cap. 10. dub. 6. num. 46.* Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 6. & 7.* pleríque alij ſunt hujus opinionis, quòd, ſive Adulter conſultat Adulteræ, ut inter legitimos ſpurium introducat, ſive ex ſe ſine Adulteri conſilio Adultera hoc faciat, ambo obligentur non ſolùm ad alimenta præſtanda, ſed etiam ad damna hæreditatis, vel dotis, quam conjux Adulteræ dedit Filio, & Filiæ ſpuriæ, reſarcienda; quia ſemper verificatur, quòd ambo ſint cauſa efficax horum damnorum: ſed qui eſt cauſa efficax alicujus damni, obligatur illud reſarcire: ergo quocúmque modo Adultera Filium ſpurium tanquam legitimum intrudat, ſive conſilio Adulteri, ſive non, ambo obligabuntur ad reſarcienda damna.

Quamvis Villalobos *part. 2. tract. 11. diffic. 30 n. 5.* Sotus *lib. Juſtit. q. 7. art. 2.* Henriquez, quos probabiliter ſequitur Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſionis diſp. 23. n. 7.* doceant, quòd, quando Adulter non conſulit Adulteræ, ut ſpurium inter legitimos introducat, ſed illa propria ſponte hoc facit, quamvis teneatur compenſare alimenta, quæ Maritus Filio ſpurio dedit, non tamen alia damna ex diviſione hæreditatis, vel dotis provenientia. Hoc idem ut probabile ſequitur Diana *part. 2. tract. 17. qui eſt tertius Miſcel. reſol. 55.* Et ratio eſt; quia ſi Adultera intentaret abortum hujus fœtûs ſpurij, Adulter non diceretur cauſa hujus abortûs, niſi aut conſuleret, aut cooperatione ſua adjuvaret: ergo hoc idem dici debet de introductione Filij Spurij inter legitimos; licèt verum ſit id, quod dicunt Leſſius, & Azorius.

Modus, quo Adultera hæc damna reſarcire debet, eſt, conferendo Filijs legitimis, vel veris hæredibus ſua bona paraphernalia, & dotalia, ſi habet, vél alia acquiſita ex propria induſtria, vel ſi neutrum poſſit, parcat alijs expenſis aliunde iuxta ſuum ſtatum ſibi debitis, extraordinarijs laboribus incumbat, ut ſic damna Marito, & Filijs legitimis illata reſarcire queat.

Tandem quantum poteſt abſque ſua infamia, tenetur conſulere Spurium ingreſſum Religionis, quæ non ſit capax hæreditatis dummodò Filius ad eam aptus ſit, vel ut Sacris initietur, & accipiat Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, quo contentus hæreditatem alijs renuntiet; ut dicunt Navarrus *in Man. cap. 16. n. 44. & ſeq.* Sotus, Corduba, & Aragonius, quos citat, & ſequitur Villalobos *ubi ſupr. num. 8.*

Caput IV.

De Raptu.

23 P. P. R. me accuso, quòd Virginem de domo Patris sui noctu surripuerim, eamque in domum meam adductam violaverim.

C. Consensit ne Virgo in hunc actum spontè, & liberè?

P. Ita P. R.

C. Si V. D. eam de domo vi surripuisset, ipsius peccatum haberet duas malitias specie distinctas; unam contra virtutem castitatis, & alteram contra justitiam: Est communis. Ita Lessius *de Justit. cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 7.

Cùm autem illa voluntariè domo discesserit, non fuit malitia raptûs. Sanchez *de Matrim. disp.* 14. *n.* 15. & alij, quos citat Bassæus *verb. Raptus num.* 7.

Hoc idem dico, si eam violàsset, ac per vim cognovisset nempe, quòd hic actus haberet duas malitias, & vocaretur stuprum, sed cùm illa voluntariè consenserit, non fuit stuprum, sed simplex fornicatio; est sententia Petri Navarri, Lessij, Vasquez, & aliorum apud Murciam *tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 10. *resol.* 3. *num.* 3. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 11. Et ratio est, quia scienti, & volenti nulla fit injuria: ergo, cùm Virgo liberè consenserit, non fuit malitia raptûs, nec stupri.

Quamvis Suarez, Azorius, Bonacina, & alij apud Murciam *ibid. n.* 2. dicant, esse malitiam stupri, quamvis Virgo liberè, & spontè consentiat: vide Bassæum *verb. stuprum num.* 1.

14. Dicat mihi, Parentes, vel Tutores, sub quorum custodia erat illa Virgo, viderunt ne, quòd V. D. eam domo abduxerit?

P. Ita P. R.

C. Isti restiterunt, ne V. D. eam abduceret?

P. Ita P. R. sed ego tanquam majori fortitudine præditus eam abstuli.

C. Ergo propter hanc circumstantiam, quòd eam cum resistentia Parentum surripuerit, hic raptus habet malitiam injustitiæ, ut DD. citati dicunt.

25. P. P. R. me accuso, quòd viduam vi cognoverim.

C. Transtulit ne vi de uno loco in alium eam cognoscendi causa? quia in hoc casu commisisset peccatum raptûs.

P. Ita P. R. vi eam abduxi.

C. Sicut malitia raptûs verificatur, quando fœmina de uno loco in alium vi abducitur eâ abutendi gratiâ, sive sit Virgo, sive Maritata, sive vidua: Ita cujuscúmque status sit fœmina, si eam vi quis accedat, talis accessus habet malitiam injustitiæ; quia virtus justitiæ præcipit, ne ullus in bonis, vel personâ aggravetur: sed in hoc casu aggravatur persona talis fœminæ: ergo est peccatum injustitiæ. Insuper est contra charitatem, ut patet: & cùm hæc fœmina non fuerit Virgo, non habet malitiam stupri.

Ch-

Caput V.

De Stupro.

26. P. P. R. me accuso, quòd vi aliam Virginem cognoverim.

C. Fuit ne cum promissione ducendi eam in uxorem, vel eam dotandi?

P. P. R. nihil ipsi obtuli.

C. Si illa consensisset in sui defloration em, V. D. non teneretur ad restitutionem illius rei; quia nihil promisit, licèt aliàs Parentes, vel Tutores fuissent contrarij. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 14. num. 11.* Lessius, Navarrus, & alij, quos citat, & sequitur Fagundez *in 6. Præcept. lib. 6. cap. 5.* Villalobos *part. 2. tract. 11. diffic. 3. n. 5.* quia illa, & non Pater ejus habet plenum sui corporis dominium.

Cùm autem V. D. eam vi cognoverit cum detrimento sui honoris, licèt aliàs nihil ipsi promiserit, tenetur subministrare non integram dotem, sed illam majorem partem, quæ nunc est necessaria ad debitè nubendum: v. g. si cum integritate signaculi, & clausstri virginalis nupsisset personæ sibi æquali cum 300. Ducatis, & post defloration em Sponsus prætendat habere 500. V. D. obligatur ad largitionem ducentorum; quia hoc damnum ex culpa V. D. ipsi advenit, Villalobos *loco cit. n. 13.* Navarrus *in Sum. lat. cap. 16. n. 17.* & alij.

P. P. R. ut defl orata non indigue major dote ad nubendum, quàm si nupsisset ut Virgo, parémque alijs sororibus dotem habuit.

C. Ergo in hoc casu V. D. ad nihil obligatur, cùm per stuprum nullum damnum perpessa sit. Lessius *lib. 2. de justit. cap. 10. dub. 2. n. 15.* & alij.

27. P. P. R. me accuso, quòd aliam cognoverim ipsa consentiente, quam Virginem credebam, re autem ipsa non erat talis.

C. Solicitavit ne illam importunis precibus, frequentibus muneribus vel magnis promissionibus?

P. Ita P. R. fortiter solicitavi, & varijs modis.

C. Est ne persona inferior v. g. ancilla, &c?

P. Non P. R.

C. Importunæ preces personæ alicujus authoritatis, ut preces Domini cum sua ancilla, æquivalent violentiæ, ut dicunt communiter DD. etiam quando preces non sunt personæ alicujus authoritatis, sentiunt Medina, Corduba, Cajetanus, & alij, quos citat Diana *part. 2. tract. 16. resol. 48.* quòd æquipolleant, & reputentur pro violentia, quamvis Lessius Petrus Navarrus, & Ledesma apud Fagundez *in 6. Præcept. lib. 6. cap. 5. n. 11. §. Alij.* Contrarium sentiant. Sed sententia Medinæ mihi verior videtur; quia fœminæ labiles sunt, & quando preces invalescunt, eis resistere non valent.

28. Dicat mihi, per hunc accessum

sum advenit ne ipsi aliqua infamia, vel diminutio honoris;

P. Ita P.R. in tota terra illa hoc notum factum fuit.

C. Hujus facti publicatio fortè secuta fuit: quia V.D. se jactavit, aut alicui personæ dixit.

P. P.R. non fuit ex mea culpa, sed quia illa alicui personæ in secreto confidit, à qua postmodum fuit divulgatum.

C. Si V.D. fuisset causa infamiæ, teneretur resarcire damna exinde secuta, supplendo per dotem competentem ad nubendum. Major, Navarrus, Petrus à Navarra, quos citat, & sequitur Bassæus *verb. Stuprum num.* 15. *in Supplemento* & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *tom.* 1. *de Matrim. q.* 4. *punct.* 17. *n.* 7. *&* 9.

Attamen, si V.D. non fuit causa hujus publicationis, vimque non intulit, ad nihil obligatur. Bassæus *loco cit.* Villalobos *tom.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 30. *n.* 16. Fagundez *in* 6. *Præcept. Decalog. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 10. §. *Dicendum tamen est*; quia hæc obligatio restitutionis vel debet fundari in violatione hujus fœminæ, vel in infamia secuta: non in primo; quia illa voluntarie (ut supponitur) consensit, & *scienti, & volenti non fit injuria*: Neque in secundo: quia ipsamet fuit causa suæ infamiæ: ergo V.D. ad nullam compensationem obligatur.

29. P. P.R. me accuso, quòd diù cujusdam puellæ domum frequentaverim, & sæpiùs eam solicitaverim, illa tamen nunquam consensit.

C. Desideravit ne eam vi cognoscere?

P. P. R. non habui intentionem vim inferendi.

C. Secundùm doctrinam superius allatam, quòd quando Virgo voluntariè consentit, non fit stuprum: desiderium V.D. non habet malitiam stupri; quia desiderium habet eamdem malitiam, quam habet objectum: objectum cognoscendi virginem sine violentia non est stuprum: ergo nec desiderium hoc modo eam cognoscendi. Quare advertant hìc Confessarij, quòd in hac opinione, quando aliquis accusat se habuisse desiderium cognoscendi Virginem, non debeant ipsum condemnare peccati stupri, sed solùm quando desideravit vi eam cognoscere?

30. Mihi dicat, per frequentationem domus hujus puellæ perdidit ne illa suum bonum nomen?

P. Ita P.R. Populus credidit, me suum deturpâsse honorem.

C. Scivit ne illa, quòd hæc esset Populi opinio de sua persona propter hujusmodi frequentationem.

P. Ita P.R.

C. Intravit ne V.D. domum contra ejus voluntatem, vel cum consensu?

P. P.R. illa permisit, liberè intrare, & spontaneè mihi ingressum dedit.

C. Si V.D. intrâsset domum suam contra

contra ejus voluntatem, obligaretur damna hujus infamiæ resarcire supplendo per dotem competentem ad proportionem deperditi honoris; sed cùm illa in ingressum liberè consenserit non ignorando proprium ex hinc dehonestamentum in Populo, non obligatur ad restitutionem ullius rei. Ita Molina *tract. 3. disp.* 106. *concl.* 10. & alij, quos citat, & sequitur P. Bassæus *verb. Stuprum in Supplem. num.* 6. Constat etiam ex supra dictis.

31. P. P. R. me accuso, quòd in mea pueritia frequenter Juvenculas tetigerim, easque deosculatus fuerim.

C. Ex osculis illis, ac tripudijs sentiebat ne oriri pollutionem, sive commotionem partium verendarum?

P. Aliquando P. R. & aliquando feci ex puro joco.

C. Tactus in partibus venereis semper sunt peccata mortalia, quod etiam dicendum est de osculis, & amplexibus, sive tactibus manuum sine rationabili causa habitis, quando inde oritur commotio in eisdem partibus.

Sed quando tactus sunt leves: v. g. manuum, vultûs, aut aliquod osculum sine dicta commotione solùm ex aliqua levitate, vel urbanitate sunt tantùm peccata venialia: ita Caietan. *in Sum. verb. Impudicitia.* Navarrus *in Sum. hispanica cap.* 16 *n.* 21. *Grasis*, quem citat, & sequitur Murcia *tom.* 1. *disq. lib.* 2. *disp.* 3. *resol.* 13. *num.* 6. & alij. Attamen hæc opinio parcticari non potest post Decretum Alexandri VII. qui in Proposit. 40. damnat ut scandalosam assertionem, quòd osculum habitum solius delectationis sensibilis causâ absque alio turpi fine non sit peccatum mortale, & meritò; quia hæ sunt materiæ nimis periculosæ, raro, enim vel nunquam contingit, quin puritas in similibus tactibus maculetur, videatur explicatio dictæ Proposit. 40. *part.* 2. *huius praxis tract.* 17. *n.* 253. ubi de osculis, tactibus, alijsque levitatibus fit quæstio.

Caput VI.

De simplici Fornicatione, Habitu peccandi, & Occasione proxima.

32. P. P. R. confiteor, quòd post ultimam confessionem tribus vicibus cum muliere exposita peccaverim.

C. Putavitne V. D., quod accedere ad mulierem expositam sit peccatum mortale? Hoc interrogo; quia quamplures ex plebe rem permissam, & licitam pro eodem, & indistinctè sumunt, nam ex eo, quòd multis in locis ad evitanda majora mala permittantur domus publicæ (O DEUS! quo devenit malitia, & licentia humana) existimant licitum esse adire, & frequentare ejusmodi domus. Quare necessarium est, ut Confessarius similes admoneat, quòd

quòd hæc coacta permissio nulli licentiam peccandi tribuat.

P. P. R. scivi optimè, hoc esse peccatum mortale.

C. Certum est, quòd fuerit peccatum mortale, scivit ne V. D. cujus conditionis fuerit illa fœmina?

P. Dicebant aliqui, quòd fuerit maritata, ego tamen pro certo non scivi.

C. Si fuisset libera, & pariter V. D. libera, fuisset peccatum simplicis fornicationis; cùm autem V. D. illam notitiam habuerit, & dubitaverit, an fuerit maritata, vel non, nec ab illo dubio se liberare studuerit, commisit peccatum adulterij; quia operari cum dubio in quacúmque materia est peccatum mortale ejusdem speciei, ac peccatum commissum cum perfecta cognitione, quemadmodum qui jurat cum dubio, an res sit vera, vel non committit perjurium; quia se exponit periculo falsè jurandi: ergo hoc idem est in nostro casu.

33. Dixit ne V. D. alicui, hanc fœminam esse expositam?

P. Ita P. R. duobus meis amicis, qui mecum venerunt, idémque peccatum commiserunt.

C. Hi amici fuerunt ne liberi?

P. Ita P. R.

C. Sunt ne invicem consanguinei, vel sunt consobrini V. D.?

P. Sibi invicem sunt consobrini primi.

C. Ergo secundus horum, qui accessit ad hanc mulierem, commisit peccatum incestûs; quia ex copula habita cum primo contrahit mulier affinitatem cum secundo; cùm illi duo consobrini sint in secundo gradu consanguinitatis, & usque ad secundum gradum contrahitur affinitas per copulam illicitam, quorum peccatorum fuit V. D. causa notificando ipsis hanc mulierem esse peccato expositam; ruina autem, quam V. D. in illis causavit, est scandalum generale, quod respectu unius subjecti reducitur ad speciem simplicis fornicationis, & respectu alterius ad speciem incestus juxta dicta *tract. 5. cap. 7.*

34. Nunc mihi dicat, hoc peccatum quod modo confessa est V. D., est ne peccatum relapsûs.

P. Ita P. R. jam fui confessus in aliis confessionibus, quòd fuerim in hoc relapsu.

C. Quantum temporis est, quòd V. D. in hoc peccatum ceciderit?

P. P. R. alia peccata jam fui confessus.

C. Hoc nihil refert; quia ad ferendum judicium de animæ suæ statu necessariò scire debeo qualitatem suarum cicatricum, an sint habituatæ, vel non, ad applicandam medicinam convenientem.

Quando Pœnitens accusat se deliquisse contra hoc præceptum, Confessarius eum interrogare debet, an peccatum sit relapsûs, ut habitûs ad formandum verum judicium, utrum sit absolutionis capa secundùm Decretum Innoc[illegible]

tij XI. Proposit. 60. de quo loquar *tract. super hanc Propositionem n.* 204. *& seq.*

35. P. P. R. confiteor etiam, quòd habuerim quosdam accessus ad mulierem solutam.

C. Commorantur ne ambo simul in eâdem domo?

Hæc quoque interrogatio est necessario facienda, quandocúmque Pœnitens accusat se deliquisse in hoc Præcepto ad formandum judicium, an sit in occasione proxima constitutus, & an ipsi deneganda sit absolutio secundùm idem Decretum Innocentij XI. Proposit. 61. & 63. de quo etiam tractabo *tract.* 10. *n.* 225. ubi explicabo has, & alias Propositiones ab eodem Sancto Pontifice damnatas.

P. Ita P. R. ambo in eadem domo commoramur.

C. Quantum temporis est, à quo cum hac persona hujusmodi amicitiam inivit?

P. P. R. præterita jam fui confessus, modò tantùm ab ultima confessione commissa confiteor.

C. Nihil refert, necessarium enim est, ut sciam, an V. D. sit in occasione proxima constituta, ut remedia opportuna applicare valeam; adeóque temporis in hac mutua Conversatione consumpti conscius esse debeo.

P. Erunt duo anni circiter, quòd hanc familiaritatem habeam.

C. Quoties cecidit in hoc peccatum cum illa persona.

P. Post ultimam confessionem cecidi quatèr, vel quinquiès in hebdomada.

C. Et in anteactis confessionibus quotiès?

P. Jam fui omnia confessus.

C. Jam dixi, hoc nihil referre; quia ad ferendum judicium, an occasio sit proxima, necessarium est, ut sciam frequentiam relapsuum præteritorum, & præsentium, ut videam, an sit emendatio aliqua, vel spes emendationis.

P. Ante præteritas confessiones peccavi ita frequenter parum plùs, vel minùs.

C. V. D. habuit semper voluntatem dispositam, & determinatam ad peccandum adveniente occasione?

P. P. R. aliquando, & maximè, quando confiteri intendebam, firmiter proposui, me non velle amplius peccare, attamen talis, & tanta est mea fragilitas, ut, cùm eam viderem, continere non potuerim.

C. Nonne Confessarij ipsi imposuerunt ut eam dimittat?

P. Ita P. R.

C. Quoties fuit ipsi impositum?

P. Tribus, vel quatuor vicibus.

C. Et quare illam non dimisit?

P. P. R. illa est mea ancilla, si eam ejicerem de domo, magnum subirem detrimentum: quia similem invenire non possem pro bono meæ domûs servitio?

C. Hæc est occasio proxima, & voluntaria; siquidem illi prætextus, quos V. D. allegat, non sunt suffi-

cientes, ut in tanto periculo animæ suæ permanere possit, ut dicam *part. 2. hujus praxis. tract. 12. cap. 1. n. 11. & n. 14. & seq. & tract. 17. n. 270. & seq.* in explicatione Propositionis 41. ab Alexandro VII. damnatæ, ubi ex professo hunc casum tango; ubique videri possunt forma, modus, & tempus denegandi absolutionem ob hujusmodi proximam occasionem.

Caput VII.

De Sacrilegio.

P. P. R. dico meam culpam, quòd semel Virginem in Religione DEO dicatam desideraverim.

C. In quo statu fuit V. D. tunc temporis?

P. Fui uxoratus.

C. Virgo concupita fuit ne Deo dicata per vota solemnia facta in Professione?

P. Ita P. R.

C. Hoc desiderium habet tres malitias specie distinctas: unam contra virtutem castitatis: alteram contra justitiam; & tertia est species sacrilegij contra votum Virginis DEO sacratæ: non fuit tamen necessarium dicere, quòd sit DEO dicata in Religione, satis erat dicere, se desiderâsse peccare cum persona votum castitatis habente; ut cum Soto, & alijs docet Thomas Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 25. n. 2.* & plures alij, qui dicunt, quòd votum simplex, & solemne castitatis non distinguantur specie, sed solùm aggravent intra eamdem speciem; estque opinio probabilissima, non esse necessariò explicandas in confessione circumstantias aggravantes, ut docent S. Thomas *in 4. dist. 9. q. 3. art. 2.* S. Bonaventura, Scotus, & alij plurimi, quos citat, & sequitur Diana *part. 1. tract. 5. resol. 1.* ergo non est necessarium in confessione explicare, quòd sit Religiosa, sed sufficit dicere, quòd votum castitatis habeat.

Hoc non obstante securior est opinio illorum, qui dicunt, debere explicare, an votum sit simplex, vel solemne; ita Layman, & alij apud Dianam *ibid. resol. 4.* vide partem secundam hujus praxis *tract. 14. cap. 6. num. 47.* Sed si talis Religiosa esset Novitia, necdum voto castitatis obstricta, in hoc casu non esset sacrilegium: & si V. D. habuisset desiderium ingrediendi clausuram, aut extrahendi talem Virginem Professam, ipsius peccatum haberet adhuc aliam malitiam.

37. P. P. R. dico meam culpam, quòd bis habuerim tactus illicitos cum virgine in Ecclesia.

C. Habuit ne penès pollutionem?

P. Ita P. R. semel tantùm.

C. Tactus per se, nisi sequatur pollutio, non habent malitiam sacrilegij ob Sacri loci circumstantiam, ut docent Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 15. n. 21.* Coninch *de Sacram. disp. 7. dub. 4. n. 22.* & alij. Re-

tio est; quia malitia sacrilegij respectu loci sacri non fundatur in Lege naturali, sed in positiva, quæ assignat actiones, per quas Ecclesia violatur: atqui ex Lege positiva solum violatur per effusionem sanguinis, aut seminis, & non per solos tactus impudicos: ergo hi tactus, quos V. D. in Ecclesia habuit, non habent malitiam sacrilegij.

38. Ex hac ratione videtur inferri, quòd pollutio, aut copula habita in Ecclesia, si est occulta, non habeat malitiam sacrilegij, quod cum Vasquez affirmat, & docet Basilius de Ponte *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 10. *n.* 15. quia, quando copula, aut pollutio est occulta, non violatur Ecclesia, nec per illam indiget reconcilliatione.

Contrarium tamen mihi videtur verius, quòd, quamvis copula, vel pollutio sit occulta, habeat malitiam sacrilegij, idque defendunt Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 4. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 15. *n.* 11. Bonacina *de Matrimon. q.* 4. *punct. ult. num.* 7. & alij. Ratio est; quia malitia actionum humanarum habetur in ipso fieri actionis, & non in facto esse, in quo statu considerata non est capax contrahendi malitiam, quam non habuit in fieri; quia, *quod à principio non subsistit, tractu temporis non coalescit*: ergo ex eo, quòd actio in facto esse fiat nota, & publica, non sequitur, quòd fiat pejor, quam fuerit in fieri, seu in actuali sui productione: ergo si in fieri, seu in actuali sui productione, ex eo, quòd fuerit occulta, non fuit sacrilegium, neque erit, licèt postmodum in facto esse publicetur, & fiat notoria.

39. Idcirco illi, qui dicunt, quòd quando pollutio, vel copula est occulta, non habeat malitiam sacrilegij, sed quando est publica, meo judicio necessariò sic discurrere debent: quando fuit elicita actio, vel fuit periculum morale notoreitatis, & publicationis, vel non? si non fuit, quamvis fuerit postmodùm publicata, jam illa actio præterita non poterit amplius esse sacrilegiũ; quia hæc publicatio est tantùm accidens superveniens actui jam in suo esse completo: si verò fuit periculũ morale publicationis, quamvis aliàs occulta remanserit *per accidens*, jam habuit malitiam sacrilegij; quia, qui se periculo peccandi exponit, peccat, & committit eandem malitiam peccati, cujus periculo se exposuit: atqui pollutio publica est sacrilegium: ergo etiam erit se exponere periculo hujus publicationis.

40. P. P. R. dico meam culpam, quòd semel habuerim opportunam occasionem peccandi cum persona votum castitatis habente; & pro tunc nec peccavi, neque peccare desideravi, sed postmodùm me pœnituit tam opportunam peccandi occasionem neglexisse.

C. Per hanc displicentiam peccavit peccato sacrilegij, ita, ut in displicentia peccati non commissi contineatur eadem specie malitia, quæ continetur in ipsomet peccato, ut commisso; quia hæc displicentia est virtuale desiderium peccandi: sed desiderium peccandi habet eandem specie malitiam, quam habet ipsum peccatum: ergo etiam displicentia de non commisso peccato.

Caput VIII.

De Sacramento Matrimonij.

Cum in hac materia comprehendantur multi tractatus ad invicem differentes, ad procedendum cum distinctione dividam hoc caput in partes: & quia pariter hic dantur plura propriè ad fœminas spectantia, subdividam aliquas partes, in quibus speciatim de illis agetur.

Pars Prima.

De Sponsalibus ex parte Viri.

41. Suppono, quòd Sponsalia sint *mutua promissio de futuro Matrimonio contrahendo inter personas legitimas.* Dicitur *mutua promissio* ad significandum, quòd in sponsalibus fiat contractus onerosus, vi cujus Sponsi obligantur sub peccato mortali contrahere Matrimonium suo tempore; quia omnis contractus onerosus in materia gravi obligat sub peccato mortali: ergo, cùm Sponsalia sint contractus onerosus, & in materia gravi, obligant sub mortali, nisi fortè postmodùm dissolverentur ex aliqua causa noviter occurrente: Dicitur *de futuro Matrimonio contrahendo* ad differentiam sponsalium à matrimonio rato quod contrahitur *de præsenti coram facie Ecclesiæ* præsente Parocho, & testibus.

42. Additur *inter personas legitimas*; quia ad Sponsalia requiritur, ut personæ contrahentes sint habiles, præcipuè autem requiritur usus rationis: ideóque infantes carentes usu rationis contrahere usque ad septennium, *ex cap. litteras, & cap. accessit de Sponsal. impubcr.* Nec possunt contrahere amentes, ebrioli, nec qui sunt in Ordine sacro, vel Professi in aliqua Religione: requiritur etiam, ut promissio sponsalium sit mutua, & à Sponsis acceptata, celebretúrque per aliquod signum sensibile; non est tamen necessarium, ut fiat coram testibus, nec ut fiat scripto, vel tactu manuum, vel dono aliquo, sed sufficit verbalis mutua promissio, quam inter se sponsi faciunt.

43. P. P. R. me accuso, quòd contraxerim sponsalia cum una puella, quæ tamen adimplere dilo distuli.

C. Promisit fortè fictè? quia si pro-

promissio fiat animo ficto, sponsalia non sunt valida in foro conscientiæ, nec obligant ad sui adimpletionem *per se*, quamvis *per accidens* possint obligare propter damnum, quod puella pati posset, si hoc publicaretur cum aliqua sui infamia.

P. P. R. verè ex corde, & voluntarie hoc ipsi promisi.

C. Habuit ne legitimam causam pro differenda executione datæ promissionis? quia sicut intervenientе justa causa sponsalia dissolvuntur, sic eadem causa possunt etiam differri.

P. P. R. nulla causa dilationis mihi occurrit.

C. Determinarunt ne diem certum pro adimplenda sponsalium fide? quia in hoc casu debet adimpleri tempore præfixo, nisi causa differendi occurrat, vel per mutuum consensum contrahentium differatur, & prolongetur tempus assignatum.

P. P. R. nullum diem certum determinavimus.

C. Puella institit ne pro celebrando Matrimonio?

P. Non P. R.

C. Quando in sponsalibus non assignatur certum tempus pro contrahendo Matrimonio, potest differri, usque dum altera pars id petat, & requirat, tunc enim adimpleri debet; nisi occurat justa causa ulteriùs differendi, sic docent cum Sanchez Hurtadus, & alij, Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 245. quia sicut in alijs debitis, in quibus pro satisfactione non est tempus assignatum, non currit obligatio ea soluendi, usque dum altera pars non prætendat, sic sponsalia non obligant ad sui adimpletionem, quando pro ijs adimplendis præfixum tempus non assignatur, usque dum altera pars hoc non exposcat & requirat.

44. P. P. R. non habeo animum illam puellam ducendi in uxorem.

C. Habet ne V. D. justum, & rationabile motivum non ducendi eam in uxorem?

P. Ita P. R.

C. Quale nam motivum est hoc: forsan, quia opinabatur esse Virginem, postmodùm verò novit non ita esse in re? quia in hoc casu sponsalia non obligant.

P. P. R. non est ista causa.

C. Forsan V. D. existimavit illam esse devitem, pulchram, & postea fuit expertus, non esse talem? etenim in hoc casu pariter dissolvi possunt sponsalia? quia sicut possunt dissolvi, quando supervenit notabilis deformitas, vel paupertas Sponsæ, quæ antea erat dives, & puchra, ita etiam possunt dissolvi quando ex suppositione, quòd hujusmodi qualitatibus fuerit prædita, postmodum tamen ijsdem carere deprehenditur. Sic Palaus *tom.* 5. *disp.* 2. *de Sponsal. punct.* 29. *num.* 1.

P. Nec est ista causa.

C. Fortè: quia illa liberè cessit: & renuntiavit juri suo, & V. D. hoc acceptavit? adeóque ex mutuo consensu obligatio dissolvitur per illam regulam Juris *cap.* 1. *in* 6. *Res, per quascúmque causas nascitur, per easdem dissolvitur*

P. Neque ista est causa.

C. Forsitan; quia illa diù abfuit à Patriâ, & in longinquam Regionem discessit; quia possunt etiam dissolvi sponsalia, quando una pars absque consensu alterius abijt in Regionem longinquam, seu diù abest à loco, ubi contraxit sponsalia, nec brevi tempore speretur ipsius reditus: ita cum alijs Leander à Sacram. *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 2. *q.* 30.

P. Nec hæc causa est.

C. Forte: quia supervenit aliquod impedimentum dirimens cognationis legalis, vel affinitatis? ex hac enim causa possunt dissolvi sponsalia, nisi pars, quæ causa impedimenti fuit, se obliget ad petendam dispensationem vide Leandrum *ibid q.* 38. *& q.* 39.

P. P. R. nullum impedimentum supervenit.

C. Forte; quia sponsa fuit ipsi infidelis habendo copulam cum alio? quia si hoc esset, V. D. non obligaretur illam ducere, sive jam liberè, sive per vim fuisset ab altero viro cognita, quocúmque enim modo id contigerit, censetur facta esse mutatio valde notabilis in Sponsa; ideóque poterit licitè talis Sponsus à sponsalibus resilire: & hoc verum est: quamvis Sponsus habuisset copulam cum alia muliere, nam longè ignominiosiùs est, Sponsum ducere uxorem forneariam, quàm Sponsam ducere virum fornicarium; & cùm in tali casu delicta valdè sint imparia, non possunt inter se compensari. Vide Bassæum *verb. Sponsal.* 3. *num.* 5.

P. Nec fuit ista causa.

C. Qualis ergo fuit?

P. Quia rescivi, permisisse post sponsalia se ab alio viro impudicè tangi per oscula, & amplexus.

C. Scit ne V. D. pro certo?

C. Ita P. R.

C. Est ne hoc jam notorium?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne notorium, quòd V. D. cum hac puella sponsalia contraxerit?

P. Non P. R. sed fuit occultum.

C. Est causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia, quando Sponsa permittit ut alij cum ipsa habeant tactus impudicos? sic dicit cum communi Leander à Sacram. *Supr. q.* 35. quia cum his tripudijs Sponsa graviter frangit fidem suo Sponso debitam, & Sponsus cum fundamento dubitare potest, quòd illa, quæ in uno ipsi infidelis est, etiam in alijs infidelis sit extitura; quia *malus semel, præsumitur semper malus in eodem genere mali cap. Semel. de reg. Jur. in* 6. Et cùm sit certum, quòd hæc puella habuerit talia tripudia, quamvis sint occulta, non indiget V. D. authoritate

ritate Judicis pro resiliendo à sponsalibus; etenim cùm sint occulta, nullum exinde sequetur scandalum, vel damnum huic puellæ, licèt V. D. propria authoritate resiliat à sponsalibus contractis. Vide Palaum *ubi supr. punct.* 31. *per totum.*

45. P. P. R. pariter me accuso, quòd contraxerim sponsalia cum alia puella; post hàc Religionem ingredi proposui, sicque à contractis sponsalibus resilire.

C. Antequam contraheret sponsalia, emisit ne votum Religionis? quia si hoc votum emisisset, deberet Religionem ingredi; nisi Summus Pontifex dispensaret; vel si post contracta sponsalia defloràsset Virginem hujus voti insciam, tunc in utroque casu tam dispensationis, quàm defforationis obligaretur illam ducere. Leander *Supr. q.* 5. Hoc idem dico, si V. D. esset voto castitatis obstricta: Attamen si puella alterutrius ex his votis conscia, nihilominus liberè suum ei tradidisset corpus cum mutuo consensu contrahendi Matrimonium, non obligaretur illam ducere; cùm enim noverit adesse impedimentum, obligationémque voti præcedere, sibi imputare debet damnum ex copula, & sponsalibus secuturum; quamvis ad conservandum mulieris honorem consultum esset suadere illi, qui eam violavit, ut impetret dispensationem voti ad eam in uxorem ducendam.

P. P. R. nullum votum emisi antecedenter, nec castitatis, nec Religionis.

C. Fecit ne V. D. postea votum castitatis, Religionis, vel Ordines sacros suscipiendi? quia cùm copula cum muliere non præcesserit, ex opinione probabili possent sponsalia dissolvi per votum castitatis, Religionis, vel Ordinis sacri post sponsalia emissum. Vide Bassæum *verb. Sponsal.* 3. *num.* 9.

P. Neque aliquod horum votorum emisi.

C. Habuit ne copulam in his sponsalibus?

P. Non P. R.

46. Cùm non habuerit copulam, tunc licitè V. D. à sponsalibus resilire potest ad habitum Religionis assumendum: ita colligo ex Pontio, Soto, & Navarro, quos sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. resol.* 208. qui docent, nec peccare recipientem sacros Ordines post contracta sponsalia: ergo nec peccabit ingrediens Religionem. Probo consequentiam; per hoc, dicunt, quòd non peccet recipiendo sacros Ordines ille, qui contraxit sponsalia; quia in suo contractu hæc tacita conditio semper includitur: *Nisi meliorem statum elegero*, te ducam in uxorem: Sed sic est, quòd sit melior, & perfectior status Religiosi, quam uxorati: ergo &c. Secundò; quia longè major, & strictior est obligatio, quæ oritur ex matrimonio rato, quàm quæ oritur ex sponsalibus: sed qui contraxit Matrimonium

nium ratum, potest Sponsam relinquere, & Religionem intrare: ergo hoc idem licitum erit illi, qui contraxit sponsalia.

Dices contra hoc. Perfectior est status cœlibatûs, vel continentiæ, quàm status Matrimonij, & hoc non obstante non est licitum illi, qui celebravit sponsalia, ab ijs resilire ad eligendum dictum statum cœlibatûs, vel continentiæ in sæculo, ut docet cum Sanchez, & alijs Castrus Palaus *tom. 5. disp. 1. de Sponsal. punct. 20. n. 6.* ergo quamvis status Religionis, aut Sacerdotij sit perfectior statu Matrimonij, non erit licitum resilire à sponsalibus contractis ad recipiendos Ordines sacros, vel Religionem intrandam. Respondeo primò negando suppositum, quòd cœlibatus, vel continentia in sæculo sit status; quia hoc nomen *status* derivatur à verbo *sto*, quod significat stare cum aliqua firmitate, & constantia: sed vita cœlebs in sæculo præscindendo ab Ordine sacro, vel Religione non est stabilis, nec immobilis: ergo non est status: ergo quamvis in sponsalibus virtualiter includatur conditio: *Nisi meliorem statum elegero*, non poterunt dissolvi sponsalia ad eligendam vitam cœlibem in sæculo. Respondeo secundò quòd, quamvis sit probabilius, non posse dissolvi sponsalia contracta per votum continentiæ, vel cœlibatûs in sæculo emissum, attamen non caret probabilitate opinio, quòd sponsalia per votum continentiæ dissolvantur; ut videri potest in Palao *ubi supr. num. 5. & num. 6.*

47. Advertendum est, quòd, quando dicimus, sponsalia dissolvi in aliquibus casibus, nempe superveniente paupertate, infirmitate, deformitate, vel longâ absentia alterius Sponsi, &c. Intelligatur, liberum esse parti immuni à sponsalibus resilire, non tamen parti obnoxiæ, & deficienti; adeóque si pars immunis nolit resilire, & ad alia vota se transferre, neque pars obnoxia id poterit: v. g. Petrus celebravit sponsalia cum Joanna, Joanna habet tactus inhonestos cum alijs, per quod datur Petro potestas resiliendi à contractu; si Petrus cedendo suo Juri vellet illam ducere, Joanna non potest ipsi denegare. Joannes contrahit sponsalia cum Maria, ille abit in Regiones longinquas per multum tempus absque consensu Sponsæ, quamvis huic licitum sit nubere alteri, & à sponsalibus resilire, si tamen vellet nubere Joanni, hic aliâ ducere, & à sponsalibus resilire nequit. Et hoc modo discurrendum est de alijs similibus casibus.

48. P. P.R. etiam me accuso, quòd, cùm Religionem intrare non potuerim, ex consensu puellæ ab initis cum ea sponsalibus resiliverim, deinde aliam sub promissione eam ducendi in uxorem violavi.

C. Hæc promissio fuit ne vera, & seria, vel tantùm ficta?

P. Fuit

P. Fuit ficta.

C. Hæc puella fuit ne notabiliter inferioris conditionis?

P. Non P. R.

C. Et in qualitatibus?

P. Ita P. R. illa fuit valdè pauper, & ego satis dives.

C. Si promissio fuisset seria, & ex corde facta, licèt inter ipsos magna esset inæqualitas, tam in conditione, quàm divitijs, V. D. teneretur illam ducere; quia si promissio est vera, sponsalia sunt vera, & verus contractus onerosus: sed contractus onerosus, & vera sponsalia obligant sub peccato mortali ad executionem: ergo &c.

Hoc idem dico, quamvis promissio esset ficta, si aliàs ambo essent æquales, & V. D. cognovisset illam puellam vi promissionis factæ; ut docet S. Thomas *in 4. dist. 28. q. unica art. 2. ad 4.* Lessius *lib. 2. de justit. cap. 10. de Injurijs per Stuprum dub. 3. n. 2.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 10. n. 3.* & alij.

49. Cùm autem sint notabiliter inæquales in conditione, non obligatur illam ducere, siquidem sub promissione ficta eamdem cognovit, in sententia Sanchez *loco cit. n. 6.* Navarrus *in Man. cap. 16. n. 18.* Rodriquez *tom. 1. Sum. in 2. editione cap. 208. n. 8.*

Neque supposita hac ficta promissione vir valdè dives tenetur ducere mulierem valdè pauperem à se cognitam, licèt sint paris conditionis, ita Sanchez, & Navarrus locis cit. Sylvester *verb. Matrim. 4. n. 8.* & alij, quos citat, & sequitur Fagundez *in 6. Præcept. lib. 6. cap. 5. n. 13. §. Nec item.*

Ratio totius hujus doctrinæ est; quia, quando est notabilis inæqualitas in conditione, vel divitijs habet fundamentum fœmina sibi suadendi, & suspicandi de ficta Matrimonij promissione: ergo si posita hac notitia copiam sui corporis faciat, clarum est, quòd se exponat prævisò periculo proprij damni sibi imputandi, cùm voluntariè se decipi permiserit habendo sufficiens fundamentum fraudis.

Contrarium tamen, & bene, docet Castrus Palaus *ubi supra disp. 1. de Sponsal. punct. 2. n. 3.* nempè, quòd solus excessus in nobilitate aut divitijs non sit sufficiens fundamentum, ut fœmina noscere possit, quòd talia sponsalia sint ficta; quia satis frequenter contingit, quòd viri nobiles, & divites ex nimio affectu ducant in uxores pauperes, & sibi longè inferiores mulieres: ergo solus excessus nobilitatis, vel divitiarum non est sufficiens fundamentum, ut fœmina sibi suadeat sub falsa promissione sponsalia secum iniri; ideóque, cùm non habuerit aliud fundamentum judicandi promissionem non esse seriò factam, in dicto casu maneat obligatio eam ducendi in uxorem; sed si habeat aliud sufficiens fundamentum, quo noscere possit promissionem esse fictam, in hoc casu vera erit opinio Sanchez & aliorum

rum ſupra relatorum, quia in hoc caſu verificatur, quòd voluntariè, & propria paſſione ducta in ſui deceptionem conſenſerit. Videatur ſuper hoc punctum Leander à Sacram. *p.* 2. *tract.* 9. *de Matrim. diſp.* 1. *q.* 16.

50. P. P. R. me iterum accuſo, quòd contraxerim ſponſalia cum una puella, & poſtmodum Matrimonium cum altera iniverim.

C. Habuit ne V. D. aliquam cauſam ineundi Matrimonium cum ſecunda?

P. Secunda à me fuit cognita ſub promiſſione ducendi eam in uxorē.

C. Cognovit ne etiam primam?

P. Non P. R.

C. Eſt opinio Baſilij de Ponte *lib.* 12. *de Matrim. cap.* 14. *n.* 4. Coninch, & Rebelij cum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 210. quòd prima ſponſalia facta ſine copula diſſolvantur per ſecunda, in quibus copula intervenit: & ratio eſt; quia quando duo concurrunt, in quorum uno includitur, & intenditur tantùm aſſecutio boni, in altero verò evitatio mali, prius debet attendi ad evitandum malum, quàm ad conſequendum bonum; in contractu cum prima; cum qua non interfuit copula, ſolùm intenditur conſecutio boni, id eſt Matrimonij, & in contractu cum ſecunda, cum quâ interfuit copula, intenditur evitatio damni, quod ortum fuit ex tali copula: ergo debet magis attendi ad contractum cum ſecunda, quàm cum prima.

Verum tamen eſt, quòd V. D. præter peccatum commiſſum contra caſtitatem ex copula habita cum ſecunda, peccaverit etiam contra juſtitiam; quia per prima ſponſalia prior acquiſivit Jus ad Matrimonium: ſed contrahendo ſponſalia cum ſecunda cum copula reddidit impoſſibilem contractum Matrimonij cum prima: ergo peccavit contra juſtitiam.

De Sponſalibus ex parte Fœminæ.

51. P. P. R. confiteor, quòd contraxerim ſponſalia cum Adoleſcente, cum quo poſtea inivi Matrimonium; hic tamen, ſi ſciviſſet me Virginem non eſſe (prout de facto non eram) me non duxiſſet in uxorem.

C. Pro reſolutione hujus, & aliorum caſuum ſuppono, dari aliquos defectus perniciosos Matrimonio: alios verò non quidem perniciosos, reddunt tamen minùs appretiabile: pernicioſi ſunt, infirmitas contagioſa, vel gravis infamia: non pernicioſi ſunt: v. g. ſi quis opinetur fœminam eſſe pulchram, divitem, aut Virginem, quæ in re tamen non eſt talis: Sponſalia celebrata cum defectibus pernicioſis invalida ſunt, & licèt hi defectus ſuperveniant ſponſalibus jam contractis, nihilominus ea diſſolvunt: Sponſalia verò contracta cum defectibus non pernicioſis non ſunt invalida; licèt dent Jus ad ea invalidanda; ut dictum eſt *num.* 44. Eſt doctrina Baſilij de

de Ponte *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 18. *n.* 5. & 6. Coninch *de Sacram. disp.* 23. *dub.* 12. *num.* 91. *& seq.*

Loquendo de defectibus non perniciosis, potest fœmina eos occultare, ne Sponsus in eorum cognitionem veniat, si sine mendacio fieri potest.

52. P. P. R. etiam confiteor, quòd ille Adolescens noluerit amplius me ducere in uxorem, & ego obligaverim ipsum per Justitiam ad servandam promissionem.

C. Mihi dicat: fuit ne Domina prima, quæ ipsum induxit ad contrahenda secum sponsalia, vel fuit ille primus inducens Dominam.

P. P. R. ille me quæsivit, & solicitavit ad ineunda secum sponsalia; adeóque ad ejus instantiam eadem contraxi.

C. Cùm ille fuerit primus, qui V. D. induxit ad celebranda secum sponsalia, & Domina acceptaverit sine dolo, & fallacia, potuit non obstante hoc defectu eum ad adimplendam promissionem factam obligare: sic sentiunt Coninch, & Basilius de Ponte locis cit. & pro probabili affirmat Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 287. cum Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 68. *num.* 4. qui docent, quòd, quando defectus non sunt pernicioſi, possit pars defectuosa obligare Sponsum ad adimplendam sponsalium fidem, quando ille prius induxit ad contractum: sed ille defectus integritatis est defectus non perniciosus: ergo &c.

Hoc non obstante, contrarium tamen mihi verius videtur; quia aliud est se habere passivè, vel permissivè; & aliud se habere activè dissimulando defectus pernicioſos: quando Sponsus vult Matrimonium, Sponsa se habet permissivè, & tunc potest illos occultare ad conservandam indemnem suam famam: sed quando Sponsa ex justitia obligat Sponsum ad Matrimonium, illa se habet activè, & cùm possit resilire, ad idem tamen adimplendum compellit, quod facere non deberet decipiendo conjugē cum suis defectibus. Vide Castrum Palaum *supr. punct.* 30. *num.* 7. & 8.

Pars Secunda.

De Impedimentis, impedientibus Matrimonium.

53 HÆc differentia est inter impedimenta dirimentia, & impedientia; quòd Matrimonium contractum cum impedimento dirimente sit illicitum, & invalidum: contractum verò cum impedimento impediente; licèt sit validum, est tamen illicitum.

Quatuor sunt impedimenta, quæ hodie sunt in usu, quæque Matrimonium impediunt: nempè, votum Castitatis: votum Religionis, si sunt vota simplicia: sponsalia contracta cum alia persona: & vetitum Ecclesiæ; ideſt, quando Ecclesia ex aliqua rationabili causa prohibet, ne

contrahatur hoc, vel illud Matrimonium; dicta impedimenta in his versibus continentur.

Votum simplex Castitatis,
Votum simplex Religionis,
Sponsalia, & vetitum Ecclesiæ.

54. Per nomen votum simplex castitatis, ad hoc, ut Matrimonium impediat, non solùm intelligitur votum perfectum totalis castitatis, sed etiam votum non ineundi Matrimonium, non cognoscendi fœminam, votum recipiendi Ordines Sacros: sed votum non fornicandi, aut non peccandi contra castitatem, non est impedimentum impediens Matrimonium. Et Ratio est; quia copula Matrimonij non est fornicatio, nec peccatum contra castitatem: ergo emittens votum non fornicandi, aut non peccandi contra castitatem non habet impedimentum impediens Matrimonium.

55. Secundùm impedimentum impediens est votum simplex Religionis, per quod non intelligitur votum emissum in Professione Religiosa, quia hoc non est simplex, sed solemne, & dirimens Matrimonium: Hoc idem dico de voto castitatis emisso à Religioso in Professione, quod pariter non est simplex, sed solemne, & dirimens Matrimonium. Qui emisit votum simplex castitatis, vel Religionis, non potest licitè contrahere Matrimonium absque prævia dispensatione, irritatione, vel commutatione voti à facultatem habente obtentâ. Et solus Summus Pontifex dispensare potest in his votis, quando sunt perfecta, & absoluta, quando verò sunt conditionata, vel temporalia potest in ijs dispensare Ordinarius, vel ea commutare Confessarius virtute Bullæ, secundùm id, quod supra dictum est *tract. 2 cap. 4. part. 3. & 4.*

56. Tertium impedimentum sunt sponsalia; Qui enim hæc contraxit cum una persona, non potest Matrimonium contrahere cum altera, nisi prius prædicta sponsalia justè fuissent soluta ex consensu primæ sponsæ, vel ex alia rationabili causa juxta dicta *n. 43. 44. & 45. anteced.*

Quartum impedimentum est vetitum Ecclesiæ, nempe, quando Superior ex justa causa prohibet Matrimonium; & hoc impedimentum non tollitur, donec cessante causa prohibitionis Superior concedat licentiam illud contrahendi. v. g. Petrus voluit cum Maria contrahere Matrimonium, ex quo secutura essent odia, inquietudines, scandala, aliæque amaritudines; quapropter Episcopo hunc contractum prohibente non possunt licitè contrahere, donec Episcopus talem facultatem concedat.

57. Sunt & alia duo impedimenta impedientia; primum est quodcúmque peccatum mortale: & secundùm, si non præcedant proclamationes à Concilio statutæ; de his loquar part. 3. sequenti. De peccato mortali dico, quòd sit impediens

pediens: quia impedimentum impediens est illud, cum quo contrahendo Matrimonium committitur peccatum mortale: atqui, contrahere Matrimonium in peccato mortali, est peccatum mortale Sacrilegij; cùm sit Sacramentum vivorum, quod recipi debet in gratia? ergo peccatum mortale est impedimentum impediens, quod per confessionem, vel per actum contritionis cessat.

Hic notandum, contrahentem Matrimonium in peccato mortali non committere duo sacrilegia, ex eo, quòd sit Minister talis Sacramenti, & simul recipiens, sed unũ solùm; quia indignè Sacramentum recipit; sic Leander à Sacram. *part. 3. tract. 9. disp. 4. q. 11.*

58. P. P.R. dico meam culpam, quòd post emissum absolutum castitatis votum absque dispensatione Matrimonium contraxerim.

C. Imprimis V. D. peccavit mortaliter contrahendo Matrimonium cum hoc impedimento.

Mihi dicat, postquam contraxit Matrimonium, petijt ne debitum, vel solummodò reddidit?

P. Tunc, & postea multoties petij.

C. Non obstante hoc voto V. D. debitum reddere tenetur, quando uxor, vel tacitè, vel expressè petit; quia, cum validum sit Matrimonium, utérque conjux tenetur ex justitia reddere debitum: sed non obstante hoc V. D. voto est Matrimonium validum: ergo ex justitia tenetur reddere.

Verum tamen est, quòd, quoties V. D. petijt, toties graviter peccaverit; quia contracto Matrimonio adhuc obligatur observare votum, in quantum potest absque injustitia conjugis: ergo obligabatur ad observandum: Probo minorem; quia nullus conjugum tenetur ex justitia debitum petere. Tam una, quàm altera resolutio est certa, & communis, videatur P. Bassæus *verb. Votum 3. n. 9.* Layman. *tract. 10. n. 4. cap. 3. n. 6.*

59. Nec potuit licitè reddere debitum primis duobus mensibus in quibus fuit contractum Matrimonium ratum, & non consumatum; quia hoc tempore in ambobus contrahentibus est libertas non consumandi, & intrandi Religionem: ergo hoc tempore potuit non reddere absque uxoris gravamine: ergo vi voti castitatis obligabatur non reddere, cùm votum semper omni modo possibili debeat observari.

Hoc idem contingeret, si conjux adulterium committeret, vel divortium legitimum faceret, in eo enim casu neq; debitum reddere posset, quod aliàs licitè reddere potuisset, & ita votum adimplere. vide Layman. *lib. 5. tract. 10. part. 13. cap. 1. num. 10.*

60. P. P.R. quis potest mecum dispensare, ut debitum petere valeam?

C. In primis dico, quòd possint Episcopi; possunt etiam Religiosi mendicantes, qui facultatem, & commissionem à suis PP. Provincialibus habent. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 1. Portel *in dub. Regul. verb.* Abbas *num.* 5. *& verb. Confessor erga sæculares n.* 18. *&* 23. Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 43. *num.* 10. Pariter possunt dicti Religiosi dispensare, ut possit petere debitum ille, qui propter incestum cum consanguinea suæ uxoris intra secundum gradum jus petendi amisit. Ex privilegio Martini 5. dummodò in hoc specialem etiam habeant facultatem à suis PP. Provincialibus; ut dicit Sairus *in Clavi Regia l.* 6. *cap.* 11. *n.* 98. Rodriquez *q.* 63. *art.* 1. Henriquez *l.* 7. *de indulg. cap.* 28. *n.* 6. R. P. Leander à Murcia *super* 7. *cap. Regulæ N. P. S. Francisci q.* 8. *select.* §. 2. *n.* 43. Leander à Sacram. *tom* 2. *tract.* 9. *disp.* 24. *q.* 17. *in fine*, & Machadus *tom.* 1. *lib.* 5. *part* 5. *tract.* 3. *doc.* 1. *n.* 2. addunt, non esse necessarium, ad hoc, ut dicti Religiosi dispensare possint; quòd habeant specialem licentiam à suis PP. Provincialibus; & hoc pro probabili tenet Diana *part.* 10. *tract.* 14. *&* 4. *Miscel. resol.* 20.

61. P. P. R. vi hujus dispensationis, quam mihi concedit vel Episcopus, vel Regularis, possem ne mortuâ meâ uxore aliam ducere?

C. Non Fili; quia hæc dispensatio solùm conceditur, ad hoc, ut possit debitum petere ab uxore, quam nunc habet, sed mortuâ illâ reviviscit votum; adeóque ad licitè contrahendum aliud Matrimonium requiritur dispensatio Summi Pontificis. Ballæus *verb. Votum* 3. *num.* 6.

62. P. P. R. dico pariter meam culpam, quòd emiserim votum Religionis, hoc non obstante uxorem duxerim.

C. Scivit ne V. D. quòd sit grave peccatum cum hoc voto ducere uxorem?

P. Ita P. R.

C. Consumavit jam Matrimonium?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne secum dispensatum in voto, antequam illud consummârit?

P. Non P. R.

C. Novit ne se graviter peccaturum consumando Matrimonium sine prævia dispensatione voti?

P. Ita P. R.

C. Certum est, quòd ille, qui post emissum votum Religionis contrahit, & consummat Matrimonium absque dispensatione voti, peccet mortaliter, & quòd primis duobus Mensibus, ex quo duxit uxorem, Matrimonium consummare, nequeat. Ratio est; quia potest exequi votum, & non exequitur, & qui non exequitur, dum potest, peccat graviter: sed sic est, quòd primis duobus Mensibus post contractum Matrimonium potest observare suum votum intrando Religionem: ergo peccat graviter con-

consummando hoc tempore, quo modocumque consummet sive reddendo, sive petendo. Et etiam elapsis his duobus mensibus, quos Lex Matrimonium contrahentibus ad liberè intrandam Religionem concedit, peccant graviter, si consummant Matrimonium petendo, & reddendo debitum; quia quamvis prætereant dicti duo Menses, licitum est cuicúmque contrahentium intrare Religionem non dum consummato Matrimonio; imò licèt prætereant multi Menses, & anni, ut dicit cum communi Leander à Sacram. *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 5. *q.* 26. consummato autem Matrimonio sive sit ante, sive post hos duos menses non est licitum intrare Religionem: ergo consummando Matrimonium, quamvis præterierint duo Menses: non potest votum adimplere: ergo peccat graviter consumando, sed consumato jam Matrimonio, licèt per hoc peccaverit, licitum erit petere, & reddere debitum; sic Palaus *part.* 5. *tract. de Sponsal. diffic.* 3. *punct.* 4. §. 8. *num.* 3. quia votum intrandi Religionem non est votum formale castitatis: ergo quamvis ille, qui post emissum votum castitatis contraxit Matrimonium, non possit petere etiam consummato Matrimonio; poterit tamen petere, & reddere, qui uxorem duxit post emissum votum Religionis.

63. *Dices contra hoc.* Qui voto castitatis adstrictus contraxit Matrimonium, quamvis primis duobus Mensibus non possit consummare Matrimonium petendo, vel reddendo debitum, elapsis autem his duobus Mensibus potest consummare Matrimonium reddendo, licèt non possit petendo; ut docent Sotus Corduba, & alij, quos refert, & citat Leander à Sacram. *supr. disp.* 25 *q.* 66. ergo hoc idem debet dici de eo, qui contraxit Matrimonium post emissum votum Religionis; nempè, quòd non poterit nec reddere, nec petere debitum primis duobus Mensibus, elapsis autem his duobus Mensibus poterit Matrimonium consummare reddendo, non autem petendo.

Respondeo primò, quamvis isti Authores affirment esse probabile, quod dictum est de voto castitatis: contraria tamen opinio est pariter probabilis, quòd etiam elapsis his duobus mensibus non possit reddere debitum in consummatione Matrimonij ille, qui post emissum votum castitatis idem contraxit, ita affirmant Alensis, Scotus, Richardus, Major, Navarrus, Azorius, Sanchez, & alij, quos citat Leander *ibid.* Respondeo secundò, dato, quòd antecedens sit verum, nego tamen consequentiam: disparitas est; quia ille, qui emisit votum castitatis non tenetur intrare Religionem ad observandum votum; imò potest perseverare in Matrimonio contracto, in quo perseverans elapsis duobus primis mensibus

sibus conjux jam habet actionem, & jus petendi debitum, & qui emisit votum, non habet jus ipsi negandi: ergo debet reddere: sed qui contraxit Matrimonium post emissum votum Religionis tenetur intrare Religionem; & sicut consummando Matrimonium sive reddendo, sive petendo non potest ingredi Religionem, ideò non potest illud consummare nec petendo, nec reddendo debitum.

Pars Tertia.

De Proclamationibus, vel Denuntiationibus.

64. P. P. R. me accuso, quòd Matrimonium iniverim sine solitis prævijs proclamationibus.

C. Fuerunt omissæ omnes tres, vel unica tantum? quia juxta opinionem probabilem non est peccatum mortale omittere unam proclamationem, quando certum est moraliter nullum subesse impedimentum; ut cum Sanchez dicit Villalobos *tom. 1. tract. 13. diffic. 24. num. 3.*

P. P. R. omnes tres fuerunt omissæ.

C. Fuerunt ne omissæ cum dispensatione Ordinarij? quia ex justa causa potest Ordinarius in omnibus tribus, vel in aliqua earum dispensare; & hanc facultatem quivis Episcopus contrahentium habet quando sunt ex diverso Episcopatu; ut dicit Villalobos *ibid. num. 6.* Justæ causæ ad dispensationem obtinendam sunt: v. g. timor, ne malitiosè impediatur Matrimonium, & pudor contrahentium, senium inconstantia: statûs disparitas, metus scandali, infamiæ, incontinentiæ, vel aliæ causæ similes, quas Authores assignant.

P. P. R. Episcopus in his denuntiationibus non dispensavit.

C. Quomodo ergo absque his Matrimonium contraxit?

P. P. R. Parochus fuit aliquantulum ignorans, adeóque ipsi proposui, adesse magnum periculum ob dilationem Matrimonij, & hac de causa eas omisit.

65. C. Quamvis juxta opinionem Machadi, & aliorum, quos citat Leander à Sacram. *part. 2. tract. 9. disp. 7. q. 67.* Parochus in aliquo casu valdè urgenti possit dispensare in denuntiationibus: contrarium tamen est tenendum, & sequendum; quia Sacrum Concilium Tridentinum solùm Ordinarijs, & non Parochis tribuit facultatem dispensandi; quapropter V. D. peccavit graviter contrahendo Matrimonium sine prævijs denuntiationibus; neque solùm peccavit graviter contrahendo, verùm etiam consummando, & toties peccavit, quoties suam uxorem cognovit: quia toties se exposuit periculo habendi copulam fornicariam haud præmissis dictis denuntiationibus, quando quidem potuit adesse aliquod impedimentum

tum occultum, quod mediantibus denuntiationibus publicatum fuisset: ergo per harum omissionem se exposuit periculo cognoscendi suã uxorem cum dicto impedimento, & consequenter se exposuit periculo patrandi copulam fornicariam; quamvis aliqui defendant, si certò constat nullum adesse impedimentum, licèt sit grave peccatum contrahere absque denuntiationibus; copulas tamen postmodum cum uxore habendas non fore peccata, ut videri potest in Bassæo *verb. Matrim. 4. n. 6.*

66. P. P.R. me accuso, quòd aliud Matrimonium contraxerim, licèt præcesserint tres denuntiationes, non tamen solitæ cæremoniæ.

C. Quæ nam circumstantiæ defuerunt? forsan, quòd non fuerint factæ in Ecclesia; quia quamvis sit rationabile, ut fiant in Ecclesia, est tamen opinio gravium Authorum dicentium, posse fieri in Oratorio, vel juxta Ecclesiam, aliove loco confluente magno Populo.

P. P.R. hoc non defuit.

C. Fortè, quòd non fuerint factæ inter Missarum solemnia; quia securè fieri possunt alio tempore, quo Populus convenit ad Ecclesiã, vel ad audiendam concionem, vel ad recitandum Rosarium.

P. Neque hoc defuit.

C. Forsitan, quòd non fuerint factæ die Festivo? docent enim aliqui, quòd etiam fieri possint die feriali, qua magnus Populi concursus habetur in Ecclesia. Bassæus *supr. num. 7.*

P. Nec fuit ista causa.

C. Fortassis; quia non fuerunt factæ tribus Festis continuis? quia, quamvis sit tutiùs, & practicandum, ut fiant tribus diebus festivis non immediatis, ut sunt Festa Paschalia; continuis tamen, qui feriatis quidem diebus, nullo tamen festo interpolentur: dicunt tamen aliqui DD. quòd possint publicari tribus diebus continuis Paschæ: vel secundùm alios diebus festivis etiam non continuis: v.g. si una denuntiatio fiat in Dominica, licèt altera non fiat Dominica immediatè sequenti, sed Dominica subsequenti, adimpletur hæc Lex. Vide Leandrum *ubi supr. q. 52. & q. 53.*

P. Nec hoc defuit.

C. Qualis ergo circumstantia fuit omissa?

P. P.R. ego, & mea uxor habuimus domicilium in diversa Parochia, & denuntiationes fuerunt tantùm factæ in mea, non verò in altera uxoris Parochia.

C. Ipsius uxor habuit ne diù domicilium in illo loco?

P. Non P.R. imò modico tempore.

C. Et ejus Genitores etiam habuerunt domicilium in eodem loco?

P. Genitores ejus fuerunt neutrales:

trales: quia habuerunt domicilium semper in mea Parochia, modico verò tempore morati sunt in altera, ubi mea uxor nata est, quæ adhuc parvula venit cum Genitoribus habitare in meo loco.

C. In hoc casu sufficit, quòd denuntiationes fuerint factæ in loco V. D. quia finis faciendi has denuntiationes in ambobus locis contrahentium est, ut habeatur certa notitia, an adsit aliquod impedimentum, de quo facilius habetur notitia, si fiant in ambabus Parochijs; sed iste finis cessat in nostro casu; quia licèt ipsius uxor nascebatur in alio loco, vixit tamen cum Genitoribus in loco V. D.: ergo &c. Videatur Leander *loco cit. q.* 48. *&* 49. Villalobos *supr. num.* 5. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. resol.* 235. Bassæus *verb. Matrim.* 4. *num.* 7.

Pars Quarta.

De Impedimentis Dirimentibus.

67. IN sequentibus versibus ponuntur impedimenta dirimentia, ut ordinariè Summistæ ponere solent.

Error, conditio, votum, cognatio, Crimen
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis Affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

F8. *Error*, error, qui dirimit Matrimonium, debet esse substantialis, id est Personæ, & non accidentalis, id est qualitatum: v. g. Petrus desponsavit sibi Mariam opinando Mariam esse Joannam, cum qua Matrimonium contrahere voluit: hic error dirimit Matrimonium. Non autem error accidentalis: v. g. Petrus credit Mariam esse divitem, pulchram, nobilem, vel Virginem, postea deprehendit eam esse pauperem, deformem, vilis conditionis, aut corruptam: hi errores non dirimunt Matrimonium nisi cum expressa harum qualitatum conditione contraheretur.

69. *Conditio*: Qui contrahit Matrimonium cum Maria serva putans eam esse liberam, nullum est Matrimonium. Si autem Petrus sciviset Mariam esse servam, & *hoc* non obstante voluntariè contraxit cum ea Matrimonium, hoc Matrimonium est validum.

70. *Votum* Votum solemne emissum in Religione approbata ab Ecclesia dirimit etiam Matrimonium; votùm verò simplex non dirimit, sed solùm impedit; ut dixi *num.* 55.

71. *Cognatio.* Tria sunt vincula cognationis, quæ dirimunt Matrimonium: primum est spirituale, & hoc contrahitur per Sacramentum Baptismi

Baptismi vel Confirmationis, inter baptizantem, & baptizatum, & inter susceptorem sive Patrinos, & ipsum baptizatum, Patrem, & Matrem ipsius baptizati, sive confirmati: sed Patrini inter se nullam contrahunt cognationem.

72. Secundum vinculum est cognatio legalis, quæ procedit ab adoptione perfecta, quæ cognatio dirimit usque ad quartum gradum juxta sententiam aliquorum, & juxta alios usque ad secundum gradum; quamvis Castrus Palaus dicat, quòd solùm dirimat inter adoptantem, & proles adoptati, quæ erant sub sua potestate tempore adoptionis: & inter ipsum adoptatum, & proles adoptantis, quæ tempore adoptionis erant sub patria potestate; & inter adoptantem, & uxorem adoptati; & inter adoptatum, & uxorem adoptantis.

73. Tertium vinculum est cognatio carnalis, hoc est, consanguinitatis, & affinitatis; utráque dirimit usque ad quartum gradum inclusivè, tam in linea recta, quàm in transversali æquali, vel inæquali: vide infra *num.* 77.

Porrò ad dignoscendum gradus cognationis inter consanguineos, vel affines sequentes arbores viam aperiunt.

ARBOR CONSANGUINITATIS IN LINEA RECTA ET TRANSVERSALI.



S. I.

§. I.

Explicatur Arbor Consanguinitatis in linea recta.

74 IN hac Arbore tres sunt lineæ, una est recta, & duæ transversales, in linea recta ponuntur ascendentes à Petro (vel ab aliâ quacúmque personâ, cujus gradus cognationis quæritur.) In una linea collaterali, vel transversali ponuntur Patrui Petri, Fratres ipsius ascendentium, & consobrini ipsius Petri, proles fratris ipsius. In alia linea ponuntur Amitæ Petri, sorores ipsius ascendentium, consobrini Petri, & proles ipsius Sororis. Infra ostendam regulas quomodo cognosci possit gradus consanguinitatis in linea transversali: hic vero explico regulas lineæ rectæ.

Prima regula cognoscendi gradum consanguinitatis in linea recta est, quot enim generationes sunt, tot sunt gradus: v.g. Pater & filius sunt in primo gradu, quia inter istos est tantum una generatio; Nepos & Avus sunt in secundo. quia inter istos sunt duæ generationes; una Patris, qui est filius Avi; altera Filij, qui est Nepos Avi. Proavus est in tertio gradu cum Pronepote, quia inter istos sunt tres generationes, una, quâ Proavus generavit Avum; altera, quâ Avus generavit Patrem; & tertia: quâ Pater generavit filium, qui est pronepos Proavi.

Secundà regula est, si inter personas descendentes non sit alia persona intermedia, sunt in primo gradu: v.g. Pater & Filius, quia inter istos non est alia persona intermedia, Nepos & Avus sunt in secundò; quia inter istos mediat Pater: Pronepos & Proavus sunt in tertio, quia inter istos mediat Pater & Avus; Abnepos & Abavus sunt in quarto gradu, quia inter istos mediat Proavus, Avus, & Pater.

Tertia regula est, quot enim sunt personæ, demptâ unâ, quæ est Stipes, à quo aliæ procedunt, tot erunt gradus: v.g. Proavus & Pronepos sunt in tertio gradu; quia demptâ personâ Proavi, qui est Stipes, manent tres, Avus Pater, & Filius.

ARBOR CONSANGUINITATI SIN LINEA TRANSVERSALI ÆQUALI.



§. II.

Explicatio lineæ transversalis æqualis.

75. IN hac Arbore sunt duæ lineæ collaterales, quæ sunt duo rami, vel duo fratres, qui nascuntur ab eodem Stipite, qui est ipse Pater. Regula cognoscendi quomodo isti distent ab eorum stipite, fuit explicata in prima Arbore; & distantia, vel gradus, quo

sunt inter se duæ lineæ transversales, cognoscitur ex hac regula, ita, quòd in linea transversali æquali tantùm distent inter se, quantùm distant à Stipite: v.g. duo fratres sunt inter se in primo gradu, quia quivis eorum sunt in primo gradu cum eodem Patre. Duo Primi consobrini sunt inter se in secundo gradu, quia quivis eorum sunt in secundo gradu cum Stipite, qui est amborum Avus Consobrini secundi inter se sunt in tertio gradu, quia eodem modo sunt cum Proavo ipsorum, qui est stipes. Consobrini tertij sunt inter se in quarto gradu, quia in eodem gradu sunt cum Stipite, qui est eorum Abavus.

ARBOR CONSANGUINITATIS IN LINEA TRANSVERSALI INÆQUALI.



§. III.

§. III.

Explicatur Arbor Lineæ transversalis inæqualis.

76 REgula cognoscendi in quali gradu consanguinitatis sint personæ inæqualiter distantes à Stipite, est, quòd in eodem gradu, quo magis est distans à Stipite, sit cum eodem Stipite, & cum personis, quæ procedunt ab eodem Stipite v. g. Petrus filius Joannis est cum Antonio fratre Joannis in secundo, quia taliter distat ab Avo, qui est Stipes, unde natus est Joannes, & Antonius in secundo gradu, licèt Antonius sit in primo gradu cum eodem Avo.

Michaël Filius Franciſci est in tertio gradu cum Paulo primo consobrino Franciſci Patre Michaëlis; quia Stipes, à quo processit Paulus, fuit Proavus Michaëlis, à quo Michaël distat tribus gradibus, ita, quòd semper debeat adverti Stipes, à quo processit magis distans illo, & gradus distantiæ, in quo crit iste, erit etiam cum illis, qui sunt consanguinei in linea transversali inæquali, in qua linea transversali inæquali sunt Patrui cum Nepotibus, & Nepotes cum Amitis

ARBOR

ARBOR. QVÆ EST AFFINITATIS.



§. IV. Ex-

§. IV.

Explicatur arbor Affinitatis.

77. AFfinitas provenit ex copula apta generationi, sive sit copula licita, ut est ea, quæ habetur inter conjugatos; sive illicita, ut ea, quæ habetur inter solutos. Inter has duas copulas hæc est distinctio, quòd in copula licita extendatur affinitas usque ad quartum gradum inclusivè; in illicita verò solùm usque ad secundum inclusivè: ita, quod Maritus contrahat affinitatem cum omnibus consanguineis suæ uxoris, & fiat consanguineus eorum in eodem gradu, in quo est ejus uxor; nam cum consanguineis in primo gradu consanguinitatis uxoris contrahit affinitatem in primo gradu, & cum consanguineis in secundo gradu contrahit affinitatem in secundo, & sic de tertio, & quarto discurrendum est. Eamdem cognationē affinitatis contrahit uxor cum consanguineis Mariti; sed consanguinei uxoris nullam affinitatem contrahunt cum consanguineis Mariti, nec hi cum uxoris consanguineis; quia una affinitas non cauſat aliam affinitatem.

Hoc idem dicendum de affinitate procedente ex copula illicita, sed tantùm usque ad secundum gradum inclusivè; quia ulterius non extendit; cæterùm contrahitur eodem modo, quo affinitas proveniens ex copula licita.

§. V.

Explicantur alia impedimenta dirimentia.

78. CRimen, hoc impedimentum contrahitur per adulterium, & homicidium conjugis commissum ab alterutro ex adulteris cum promissione ineundi Matrimonium cum illo, cum quo commisit adulterium.

Cultus disparitas: indicat, quòd Catholici non possint validè contrahere Matrimonium cum Gentilibus, vel Judæis; si verò contrahant cum Hæreticis, validum erit.

79. *Vis*, Vis injusta, & metus gravis, seu injustè cadens in constantem virum ab extrinseco dirimit Matrimonium, non autem, quando est levis non cadens in constantem virum, & ab intrinseco: v. g. Petrus, postquam defloravit Mariam, ex metu DEI offensæ, vel gehennæ, ducit eam in uxorem; hic metus est ab intrinseco, & non dirimit Matrimonium cum Maria contractum, nec, quando est vis justa, licèt sit ab extrinseco: v. g. Petrus Mariæ defloratori à Judice hanc ducere obligatur; non obstante hac vi extrinseca Justitiæ Matrimonium est validum; quia justè eum obligat.

80. *Ordo.* Ordo Sacer dirimit Matrimonium: Ordines verò Minores nec impediunt, nec dirimunt.

Ligamen

Ligamen significat, quòd uxoratus non possit vivente uxore ducere aliam; quia talis esset Polygamus.

81. *Honestas*, hoc est justitia publicæ honestatis, obquam nemo potest contrahere cũ consanguineis illius, cum qua contraxit sponsalia, vel Matrimonium ratum: Impedimentum publicæ honestatis proveniens ex sponsalibus validis solùm dirimit Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, vel transversalis: v. g. Petrus celebravit sponsalia valida cum Joanna, non potest postea eadem celebrare cum Matre, vel sorore Joannæ, benè verò cum consobrina, vel alia consanguinea extra primum gradum. Impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio rato proveniens se extendit usque ad quartum gradum inclusivè: v. g. Petrus contraxit Matrimonium cum Maria, post hunc contractum non potest cum alia consanguinea Mariæ intra quartum gradum contrahere.

83. *Si sis Affinis.* Nec affines possunt simul Matrimonium contrahere, absque dispensatione: Copula licita causat affinitatem usque ad quartum gradum, illicita verò solùm usque ad secundum: v. g. Petrus contraxit Matrimonium cum Maria, vi consummationis Matrimonij cum dicta Maria quæ est copula licita, contrahit affinitatem cum omnibus consanguineis Mariæ intra quartum gradum. Joannes cognovit Antoniam per copulam illicitam, non potest hic contrahere Matrimoninm cum aliqua consanguinea Antoniæ intra secundum gradum propter affinitatem contractam, benè verò cum alijs ejus consanguineis in tertio, & quarto gradu.

83. *Si fortè coire nequibis.* Impotentia tam ex parte fœminæ, quàm ex parte viri; tam ex magia, quàm ex causa naturali, si est perpetua, dirimit Matrimonium. Impotentia dicitur, quando vir vas muliebre penetrare, ibíque seminare nequit.

84. *Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis*: significat, quòd Matrimonium clandestinum, nempè absque Parochi, & duorum testium assistentia celebratum sit nullum, & invalidum.

85. Rapta: denotat violentam abstractionem fœminæ de uno domicilio, vel loco ad alium Matrimonij cum ea contrahendi causa.

Hanc generalem, & compendiosam explicationem horum impedimentorum tradere volui, ad hoc, ut ea ignorantes succinctam eorum notitiam hebeant, mox verò fusiùs impedimenta, quæ frequentius accidere solent explicabo.

Pars Quinta.

De impedimento Criminis.

86. P.R. confiteor, quòd fœminæ prædictæ, cum qua illam pessimam amicitiam habui,

promiserim, quòd mortua mea uxore velim eam in uxorem ducere.

C. Præter peccata Luxuriæ, quæ V. D. cum eadem patravit, commisit etiam unum aliud ob hanc circumstantiam, quòd eam ducere promiserit, ut dicit Bassæus *verb. Matrim.* 7. §. 6. *n.* 26. Abbas, Nevus, & alij, quos omisso nomine citat, & sequitur Villalobos *part.* 1. *tract.* 14. *diffic.* 11. *n.* 11. quia per hanc promissionem dedit ei motivum exoptandi mortem suo Marito.

C. Acceptavit ne illa hanc promissionem?

P. Ita P.R.

C. Illa pariter commisit novum peccatũ acceptando promissionẽ ex eadem causa; ut dicunt DD. citati.

87. Repromisit ne illa, quòd mortuo suo Marito velit V. D. nubere?

P. Ita P. R. ambo dedimus mutuam promissionem contrahendi Matrimonium secuta morte alterius consortis.

C. Ergo V. D. contraxit cum ea impedimentum criminis, quod consistit in adulterio cum promissione futuri Matrimonij acceptata ab altero adultero; ita docent Layman, *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 10. *n.* 4. §. *Quinta conditio.* Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 7. *num.* 21. & alij. Sed ad contrahendum hoc impedimentum requiritur mutua promissio utriusque adulteri de contrahendo Matrimonio; ita sentit Henriquez, & Bellarmin, quos citat pro probabili Layman, loco cit. qua propter V.D. scire debet, quòd intereunte sua uxore non possit cum ista persona contrahere Matrimonium; quia obstat impedimentum *criminis.*

88. P. P. R. pariter confiteor, quòd cũ altera conspiraverim interficere uxorem meam veneno.

C. Consensit ne illa persona?

P. Ita P.R.

C. Fuit ne hoc factum cum promissione ducendi eam postmodùm in uxorem?

P. Ita P.R.

C. Et ambo dederunt suum mutuum consensum?

P. Ita P. R.

C. Secuta ne fuit ex hoc mors uxoris?

P. P.R. omnem diligentiam impendimus, sed effectus mortis non fuit secutus.

C. Supposito peccato uxoricidij intentionaliter commisso impedimentum criminis V. D. non contraxit, quia effectus mortis non fuit secutus, ut dicunt DD. communiter, videatur Villalobos *loco cit. num.* 2.

Unde ad hoc impedimentum *criminis* contrahendũ requiruntur duo delicta nempe adulterium cum mutua promissione contrahendi Matrimonium, & uxoricidium, vel viricidium cum eadem mutua promissione effectu mortis secuto. Si verò solùm ex odio, rancore, vel causâ licentiùs vivendi Maritus occidat uxorem, vel hæc Maritum absque

absque promissione, & animo contrahendi postmodum Matrimoniũ, non contrahitur dictum impedimentum *Criminis*, neque quando ignoratur, quòd his delictis sit annexum dictum impedimentum secundùm opinionem aliquorum, quam pro nunc non decido, an vera sit, vel falsa.

Pars Sexta.

De impedimento Coactionis, vel violentiæ

89. P. P. R. dico meam culpam, quòd nullo præcedente affectu erga uxorem, quàm habeo, Matrimonium metu Parentis cum ea iniverim.

C. Fuit ne ipsius Parens adeò terribilis, & asperæ conditionis, ut V.D. prudenter timere potuerit, quòd, nisi Matrimonium secundùm suum genium inijsset, indignationem ejus, asperitates, & rigores experta fuisset?

P. P. R. aliquod convitium, & asperitatem timui, non tamen tantum, quantum sibi R. P. imaginatur.

C. Huic indignationi, quam V. D. in ipsius Parente timuit, fuerunt ne adjunctæ preces importunæ, & frequentes suasiones, quibus Parens institit, ut juxta suum genium uxorem duceret.

P. Ita P.R. preces fuerunt vehementer importunæ, ac sæpius repetitæ à Parente ad extorquendum hunc consensum.

Est communis doctrina Theologorum, & Canonistarum, quòd violentia injusta, & gravis metus incussus ad extorquendum Matrimonium in utróque foro illud irritet, ut supra dixi explicando hanc particulam *vis* in impedimentis dirimentibus *num.* 76.

Sed metus reverentialis Filij erga Parentem non irritat Matrimonium, nisi sit conjunctus cum minis, vel cum timore malæ tractationis, vel cum alio gravi incommodo ex indignatione Parentis secuturo; hujusmodi enim metus est cadens in constantem virum injustè incussus à causa libera ad extorquendum consensum, adeóque dirimit Matrimonium; ut dicit Thomas Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 6. *n.* 14. Lessius, & Coninch, quos citat, & sequitur Layman. *Tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. quod non contingit, quando metui reverentiali solùm leves minæ, vel modicæ indignationes sunt annexæ. Et ratio hujus assertionis est, quia ideò metus, & violentia irritant Matrimonium, quia privant summâ libertate requisita ad consensum, & contractum Matrimonij: atqui timor reverentialis præcisè, quamvis aliquæ leves minæ adjungantur, non privat libertate; benè verò quando minæ sunt asperæ, & preces Parentis importunæ: ergo in hoc secundo casu dirimetur Matrimonium, non verò in primo.

Advertendum tamen est cum

Layman loco cit. quòd, quando Matrimonium jam est contractum, & dubitatur, an timor fuerit gravis, vel levis, debeat ferri judicium in favorem Matrimonij, & credi, quòd metus fuerit levis, sed antequam contrahatur Matrimonium, & solummodò sponsalia sint contracta, ferrendum est judicium, quòd metus irritet, quamvis aliàs sit levis.

90. Nunc est necessarium, ut V.D. suum Matrimonium revalidet; etenim, cùm fuerit contractum ex metu, & importunis precibus Parentis jure naturæ fuit nullum, & invalidum.

P. P. R. quomodo debeo facere, ut Matrimonium revalidem?

C. Mihi dicat V. D. fruitur ne pace, & concordia cum sua uxore? & illa est ne sua sorte contenta?

P. Non P. R. quinimo illa est adeò desolata, ut ipsam pœniteat, mecum Matrimonium inijsse ex eo, quod usque modo incuriosus, & amicitijs parum bonis deditus fuerim.

C. Est ne diù V. D. Matrimonio juncta cum hac uxore?

P. Sunt sex Menses.

C. Postquam V.D. duxit uxorem, renovavit ne expressè consensum in Matrimonium ex sua libera voluntate? quia, quando Matrimonium fuit nullum ob defectum liberi consensus in aliquo contrahentium, ut est in casu præsenti, si pars, quæ in hoc defecit, renovet liberum consensum, vel ut melius dicatur, noviter consentiat, revalidatur Matrimonium, dummodò hunc novum consensum conjugi manifestet eâ cautelâ mox dicenda: videatur etiam Castrus Palaus *tom.* 5. *disp.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 6. & 7.

P. P. R. nunquam renovavi consensum in Matrimonium contractum.

C. Desiderat ne modo ducere cum ea vitam conjugalem; & perseverare in statu maritali?

P. Ita P. R.

C. Uxor ejus est ne in bona fide, credendo, Matrimonium esse validum?

P. Ita P. R. quia illa ignorat, me cum hoc metu contraxisse.

C. Sequerentur ne inconvenientia, & scandala, si dissolveretur Matrimonium?

P. Ita P. R. maxima orirentur scandala.

91. C. Ergo est necessarium, ut nunc Matrimonium antecedenter invalidum per novum in illud consensum, & hujus conjugi revelationem revalidetur. Utrum verò sit necessarium notificare parti ignoranti nullitatem Matrimonij, quando tale nullum fuit ob aliquod impedimentum occultum; dubium est inter DD. affirmant plures, ut sunt Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 36. *num.* 4. Scotus, Covarrubias, Henriquez, & alij; quamvis Cajetanus, Veracrux, & alij apud Villalobos *part.* 1. *tract.* 14. *diffic.* 32. *num.* 8. doceant, quòd non sit necessarium parti nullitatem Matrimonij notificare;

care; sed sufficiat, ut ille, ob cujus defectum fuit nullum Matrimonium, revalidet consensum, & quòd ex copula habita cum affectu maritali reddatur validus contractus Matrimonialis; ego tamen hoc consulerem solùm tunc, quando ex manifestatione nullitatis Matrimonij timerentur inconvenientia, & scandala ex eo, quòd conjugati vitam in contracto Matrimonio ducant inquietam cum displicentia talis contractûs, vel ob alias causas, quæ dictum timorem causare possent: pro tunc enim non esset necessarium manifestare parti nullitatem Matrimonij, sed solùm supplere consensum modo supradicto, sicque cum copula habita affectu maritali revalidabitur Matrimonium: ut docet Thomas Sanchez *loco cit. num.* 8. Henriquez, & Petrus Ledesma cum Villalobos *ubi supra* §. *Sed valdè notandum est.*

Ex dictis infertur, quòd si Matrimonium sit nullum ex eo, quia præcessit copula cum aliqua sorore, vel consanguinea in primo, vel secundo gradu conjugis, ex qua copula resultavit impedimentum affinitatis, & hoc sit occultum, non sit necessarium conjugi id ignoranti manifestare, sed sufficiat, ut generaliter ipsi declaret, Matrimonium ante contractum fuisse nullum, ad hoc, ut revalidetur per novum amborum consensum impetratâ tamen prius dispensatione impedimenti.

Si verò manifestando conjugi ignoranti impedimentum occultum; vel dicendo Matrimonium fuisse nullum, posset sequi grave inconveniens, tunc sufficiet, quòd oblatâ bonâ occasione, & dispositione conjugis ipsi dicat: Amas ne me taliter, quòd, si Matrimonium nostrum esset nullum, noviter mecum illud in res, si conjux affirmet, revalidatur Matrimonium, quamvis impedimentum ignoret.

Et si pariter ex hoc modo agendi grave inconveniens oriretur, & facilè venire posset in cognitionem nullitatis Matrimonij cum periculo scandali (maximè si tale impedimentum esset ex parte uxoris) tunc potest practicari id, quod dicunt Cajetanus, Veracrux, & alij, quòd copula cum affectu maritali habita revalidet Matrimonium. In hoc casu etiam hanc admittit sententiam Sanchez *ubi supra num.* 8.

Advertendum tamen est semper, quòd ante revalidationem Matrimonij invalidi ob impedimentum affinitatis, vel ob aliud impedimentum occultum sit necessarium, ut dispensatio impedimenti impetretur: & nisi sint noviter desponsati, non possunt petere, nec reddere debitum.

92. P. P. R, erit ne necessarium, ut consensus revalidetur coram Parocho, & testibus?

C. Hoc non; ita Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 37. *num.* 3. Navarrus, Ledesma, Henriquez, & alij, quos citat idem Sanchez; quia finis Concilij

cilij Tridentini fuit, dum Matrimonia clandestina prohibuit, ut evitentur fraudes, deceptiones, & alia inconvenientia in celebratione contractus matrimonialis; sed quando V.D. contraxit Matrimonium, adfuerunt Parochus, & testes: ergo modò pro revalidatione non erit necessaria eorumdem præsentia.

Pars Septima.

De Impedimento publicæ honestatis.

93 P. P. R. dico meam culpam, quòd post contracta sponsalia cum sorrore meæ uxoris cum hac postmodùm Matrimonium iniverim.

C. Hæc sponsalia contracta cum sorrore suæ uxoris fuerunt ne dissoluta per mutuum consensum?

P. Non P. R. sed tantùm fuit, quòd mortua hac sorrore meæ uxoris duxerim aliam.

C. Si sponsalia fuissent dissoluta per mutuum consensum, tunc secundùm opinionem Hurtadi *disp.* 21. *num.* 4. & aliorum, non adfuisset impedimentum publicæ honestatis, quamvis Sanchez contrarium teneat non obstante dissolutione sponsalium per mutuum consensum *lib.* 7 *de Matrim. disp.* 78. *num.* 21. Et rationabiliter; quia aliàs hoc impedimentum non esset perpetuum, uti est; adeóque cùm sit ablatum tantùm per mortem mulieris, per hoc non manet liber ab impedimento publicæ honestatis; quia est Sententia communis Theologorum, quòd si semel sint valida sponsalia, quamvis dissolvantur quocúmque tandem modo (nisi fortè fiat ex mutuo consensu contrahentium, juxta opinionem supra allatam) semper verificetur impedimentum publicæ honestatis. Et si sorror suæ uxoris nunc viveret, cum neutri posset matrimonium inire: non cum uxore, quam nunc habet, ob impedimentum publicæ honestatis, nec cum sorrore suæ uxoris; quia per copulam habitam cum ista contraxit cum alia cognationem affinitatis.

Quapropter est necessarium, ut in hoc impedimento publicæ honestatis secum dispensetur; quia Matrimonium contractum cum sua sibi apparente uxore est nullum; cùm verè, & realiter non fuerit contractum.

94. P. P. R. & quis in hoc impedimento mecum dispensabit?

C. Episcopus potest dispensare, cùm impedimentum sit occultum, & Matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiæ, & pro vero habeatur. Vide Dianam *part.* 8. *resol.* 3.

Vel scribam Episcopo pro facultate obtinenda, de quo non dubito; siquidem potestas, quam in hoc casu dispensandi habet, est ordinaria, & consequenter eam delegare potest. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 40. *num.* 14. Villalobos *part.*

part. 1. *tract.* 14. *diffic.* 25. *num.* 7. Ad hoc autem, ut in hoc, & alijs similibus impedimentis Episcopus dispensare possit, requiritur, ut Matrimonium sit bona fide contractum, saltem ex parte unius conjugis. Est communis contra Henriquez *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 2.

Circa modum revalidandi Matrimonium in hoc casu servetur id, quod dictum est *part.* 6. *num.* 89. & 90.

Pars Octava.

De Affinitate.

95 P. P. R. confiteor, quòd post consummatum Matrimonium habuerim rem cum consobrina germana meæ uxoris.

C. Seminavit ne intra vas illius?

P. Ita P. R.

C. Ut contrahatur affinitas ex accubitu cum sanguinea; necesse est, ut fiat seminatio viri intra vas mulieris, & etiam probabiliter, ut & ipsa fœmina seminet: quia requiritur copula apta generationi: sed, nisi detur commixtio seminis utriusque, non est talis probabiliter: ergo, &c. Unde, si vir seminat extra vas, nulla contrahitur affinitas.

96. Dicat mihi V. D. scivit ne, quòd ex copula cum hac consanguinea suæ uxoris contraheret cognationem cum propria uxore?

P. Ita P. R.

C. Scivit ne etiam, quòd per hanc affinitatem amitteret jus petendi debitum ab uxore sua?

P. Non P. R.

C. Ergo, licèt V. D. sciverit, quòd per hanc copulam contraheret cognationem affinitatis, ob ignorantiam autem impedimenti non petendi debitum hanc inhabilitatem non incurrit juxta opinionem multorum DD. apud Thomam Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 32. *n.* 27. ita Basilius, Portel, & alij, quos citat Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 12. Et ratio est; quia pœna Ecclesiastica propter aliquod delictum imposita non incurritur à delinquente cum ignorantia ejusdem pœnæ: atqui prohibitio petendi debitum imposita cognoscenti consanguineam suæ uxoris intra secundum gradum est pœna Ecclesiastica ob delictum incestûs: ergo qui hanc pœnam ignorat, eam non incurrit.

97. Consequenter nec incurret dictum impedimentum, qui ignorat, per copulam cum consanguinea uxoris in secundo gradu contrahi affinitatem, nec ille, qui eamdem cognosceret inscius hujusmodi consanguinitatis, vel tantùm conscius consanguinitatis in tertio, vel quarto gradu. Videatur Murcia *tom.* 1. *disq. lib.* 2. *disp.* 4. *resol.* 23. *num.* 2. & 3. Paulò post explicabo, quænam ignorantia ab incurrendo hoc impedimento excuset.

Ex hac ratione infertur opinio citata num. 88. quam, ut dixi, nec approbo, nec reprobo, quòd Adulter, qui contraxit cum Adultera sponsalia de futuro, nempe post

mortem suæ uxoris, vel cum intentione contrahendi patravit uxoricidium, si ignoret, quòd huic delicto sit annexa pœna impedimenti *Criminis*, non incurrat dictum impedimentum; ut affirmant Paludanus, & alij, quos citat, & sequitur Murcia *in disq. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 4. *resol.* 22. *num.* 2.

98. Etsi quæritur, quæ nam ignorantia excuset tam ab incurrendo hoc impedimento, quàm à non petendo debito. Respondeo, quòd non solùm ignorantia invincibilis, sed etiam vincibilis dummodò non sit crassa, vel supina. Et hoc infero ex doctrina Navarri, Sylvestri, & aliorum, quos citat, & sequitur Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 31. & 32. qui docent, quòd pœnas Ecclesiasticas non incurrat, qui illas ignorat, quamvis ignorantia sit vincibilis, dummodò non sit crassa, vel supina: atqui privatio juris petendi debitum in uxorato habente copulam cum consanguinea suæ uxoris in secundo gradu, impedimentum *Criminis*, sunt pœnæ Ecclesiasticæ: ergo, qui has ignorat, quamvis ignorantia sit vincibilis, dummodò non sit crassa, vel supina, in eas non incidet. Vide Murciam *ubi supra resol.* 22. & 23. *per totum.*

99. P. P. R. confiteor etiam, quòd cum altera cognatione juncta meæ uxori rem habuerim ante contractum Matrimonium.

C. Fuit ne copula consummata intra vas?

P. Ita P. R.

C. Hæc fœmina fuit ne juncta suæ uxori cognatione affinitatis, vel consanguinitatis? quia si solùm cognatione affinitatis esset juncta, V. D. non contraxisset impedimentum, nec ullam cognationem cum propria uxore: v. g. si V. D. cum aliqua Fratria suæ uxoris copulam habuisset nullam exinde cum uxore cognationem, vel impedimentum contraxisset; quia *una affinitas non causat aliam affinitatem.*

P. P. R. Fuit in cognatione consanguinitatis.

C. Fuit ne consanguinea intra secundum gradum, vel extra? quia ex cognatione consanguinitatis in tertio, & quarto gradu nullum impedimentum ob habitam copulam resultaret, siquidem per copulam illicitam solùm resultat impedimentum in primo, & secundo gradu, non verò in tertio, & quarto: sed supradicta copula fuit illicita: ergo si consanguinea suæ uxoris esset extra secundum gradum, nullum exinde impedimentum oriretur.

P. P. R. fuit consobrina carnalis meæ uxoris.

C. Novit ne V. D. quòd illa, cum qua copulam habuit, sit consobrina carnalis suæ uxoris, cum qua postea Matrimonium contraxit, & quòd ex hac copula impedimentum affinitatis resultaret; quia si vel unum, vel aliud ignorâsset, non in-

incurrisset dictum impedimentum, ut dictum est *num.* 96. *& num.* 97. & videri potest in Leandro à Sacram. *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 25. *q.* 61. *& q.* 62.

P. Benè novi, eam esse consobrinam carnalem meæ uxoris, ac hujusmodi copulam impedimentum affinitatis parere.

C. Impetravit ne dispensationem ad licitè contrahendum Matrimonium?

P. Non P. R.; quia Confessarius mihi dixit, ad hoc requiri dispensationem Pontificis, quòd cùm mihi nimis arduum, & diuturnum negotium videretur; id intetmisi, sicque cum hac mala fide contraxi.

C. Absque dubio novit, se peccatum grave sacrilegij committere recipiendo invalidè Sacramentum Matrimonij.

P. Ita P. R. & me de culpa adeò gravi accuso.

C. Consummavit jam Matrimonium?

P. Ita P. R.

C. In hoc graviter peccavit, & quoties accessit uxorem suam sive petendo, sive reddendo debitum, toties graviter deliquit; idem dicendum de tactibus, osculis, amplexibus cum eadem habitis: quandoquidem, cùm nullum sit Matrimonium, hæc mulier non est ipsius vera sponsa, nec propria uxor, sed est mulier aliena: atqui reddere, sive petere debitum, habere tactus, oscula, sive amplexus cum muliere aliena, est peccatum mortale: ergo idem estò judicium de actionibus similibus habitis cum hac muliere, cum qua Matrimonium consummavit.

P. P. R. hoc jam scio, ideò de omnibus me accuso, doleo, ac animam meam curare peropto.

C. Copula, quam habuit cum hac muliere est ne occulta?

P. Ita P. R.

B. Fuit ne unquam conscia sua uxor de nullitate, & invaliditate Matrimonij?

P. Non P. R.

C. Ergo illa erit in bona fide, quòd Matrimonium sit validum?

P. Ita P. R.

100. C. Hoc Matrimonium, ut dixi, fuit nullum, & invalidum, & quamvis ex parte mulieris in bona fide existentis nulla fuerit culpa in reddendo, vel petendo debitum, fuit tamen ex parte V. D. scientis impedimentum. Dispensatio verò hujus impedimenti, si esset ante contractum Matrimonium, pertineret ad Summum Pontificem; & cùm casus sit occultus, deberet impetrari à Sacra Romana Pœnitentiaria modo, & formâ assignata *part.* 10. *in fine num.* 123. ubi de his dispensationibus est sermo, sed cùm jam sit contractum Matrimonium bona fide unius conjugis, & cùm difficilis sit separatio, nec non recursus Romam, potest Episcopus dispensare, cui proinde scribendum, ac obtenta facultate Confessarius

dispensabit in impedimento, quo ablato revalidandum est Matrimonium modo supra dicto in hoc capite *par.* 6. *n.* 90. Sed advertat V. D. quòd non possit petere, nec reddere debitum, donec dispensatio veniat, & Matrimonium revalidetur: hæc est enim differentia inter affinitatem contractam per copulam illicitam cum consanguinea conjugis in secundo gradu ante initum Matrimonium, & eam, quæ contrahitur post initum Matrimonium, quòd hæc, licèt impediat, quòd pars culpabilis non possit petere debitum, non tamen impedit, quin possit reddere debitum; etenim cum Matrimonium fuerit validum; quia pro tunc nullum interfuit impedimentum, habet conjux innocens jus petendi, & exigendi debitum, & pars culpabilis in pœnam sui delicti privatur jure petendi: sed quando affinitas præcessit Matrimonium, sicuti hoc fuit nullum, & invalidum, ita nec petere, nec reddere potest, & pars innocens non habet jus exigendi solutionem debiti propter eamdem invaliditatem.

Pars Nona.

De Impotentia dirimente Matrimonium.

101 SUppono, quòd impotentia, de qua in præsenti agimus, *sit impedimentum ad vas fœmineum penetrandum, & semen aptum ad generationem intra illud effundendum.* Dicitur *impedimentum ad vas fœmineum penetrandum*; quia, licèt sit potentia seminandi extra vas, vel in ore vasis, si tamen non possit intra illud, adest impotentia vera dirimens Matrimonium. Dicitur: *Et semen aptum ad generationem, &c.* Quia, licèt Eunuchi, qui utróque testiculo carent, possint vas penetrare, & illud semen aliqualiter emittere; quia vero tale semen est inutile ad generationem; ideò hujusmodi Eunuchi sunt verè impotentes ad contrahendum Matrimonium: non tamen illi, qui uno solùm carent testiculo, nec illi, quibus uno testiculo avulso alter intra corpus fuit reconditus, ne facilis via intestinorum descensui pateret; quia isti reverà semen aptum generationi emittunt, experientiâ ipsâ Magistrâ.

102. Impotentia una est naturalis, & ab intrinseco, altera præternaturalis ab extrinseco, seu per maleficium: naturalis est illa, quæ procedit ex debilitate, vel frigiditate subjecti; illa per maleficium est, quæ arte Dœmonis, vel veneficij supervenit, utráque vel est perpetua, vel temporalis: perpetua est illa, quæ viribus naturæ sine miraculo, vel sine offensa DEI tolli nequit, & etiam secundùm aliquos, sine notabili vitæ periculo: temporalis est illa, quæ sine peccato, & sine notabili periculo vitæ, vel salutis per media naturalia, & humana removeri potest. Porrò impotentia alia est respectiva, alia absoluta:

soluta: respectiva est, quando subjectum est inhabile ad cognoscendam certam mulierem, non verò alias; absoluta est, quando subjectum respectu omnium est inhabile. Alia antecedens, alia subsequens Matrimonium: impotentia perpetua, & antecedens est illud dirimens: temporalis verò, & subsequens Matrimonium contractum non dirimit: Impotentia respectiva perpetua, & antecedens Matrimonium solùm dirimit respectu illius personæ, ad quam se extendit illa impotentia, non verò respectu aliarum, ad quas non se extendit: v. g. Titius non potest cognoscere Bertham: quia vel Virgo, vel nimis arcta est, potest tamen cognoscere aliàs, quæ non adeò strictæ sunt: solùm quo ad Bertham habebit impedimentum, non verò quo ad alias. Impotentia absoluta, cùm sit perpetua, & antecedens Matrimonium, dirimit cum omnibus, sive sit impedimentum naturale, sive proveniens ex maleficio. Hoc totum clariùs patebit ex sequentibus resolutionibus.

103. P. P. R. me accuso, quòd post infirmitatem habitam anno præterito nunquam potuerim habere copulam cum mea uxore.

C. Duplex est impotentia; una antecedens, altera subsequens Matrimonium, impotentia antecedens dirimit Matrimonium, non autem subsequens; quia jam supponit Matrimonium perfectum, & validum. Mihi dicat V. D. quando intentabat copulã cum sua uxore, sequebatur ne effusio seminis extra vas?

P. Ita P. R.

C. Quando impotentia subsequitur Matrimonium, tactus inter conjugatos sunt liciti, secluso tamen periculo effusionis seminis extra vas. Layman. *tract.* 10. *p.* 4. *cap.* 11. *n.* 4. Villalobos *p.* 1. *tract.* 14. *diffic.* 18. *n.* 17. Et ratio est; quia verum Sacramentum cohonestat hos tactus: atqui, quando impotentia subsequitur Matrimoniuu, est verum Sacramentum, & talis impotentia non dirimit: ergo tactus, & oscula licita erunt secluso periculo, ut dixi, pollutionis; quia hæc nunquam est licita.

Circa negationem absolutionis, quando conjugati superveniente impotentiâ non se abstinent â tactibus cum seminis effusione, Confessarius se gerere debet eo modo, quo cum constitutis in occasione proxima involuntaria agendum est, de qua occasione loquar *tract.* 10. *supra* Propos. 62. &c. damnatas.

104. P. P. R. mortua mea uxore duxi aliam, cum qua nunquam potui habere copulam perfectam.

C. Quanto tempore habet istam secundam uxorem?

P. Sunt jam tres anni.

C. Et toto hoc tempore tentavit habere copulam?

P. P. R. exceptis sex mensibus, quibus fui absens, non tentavi: cæterum semper.

C. Habuit ne ſpem deveniendi cum tempore ad habendam dictam copulam?

P. Ita P. R.

C. Quando clarè conſtat, quòd impotentia ſit perpetua neciit ſpes deveniendi ad copulam, Matrimonium cum hac impotentia contractum eſt nullum, & conjugati illicò ſeparari debent.

Quando dubitatur, an impotentia ſit perpetua, vel temporalis, & ſit probabilis ſpes cum tempore habendi copulam conjugalem, concedit Lex Canonica *in cap. laudabilem, de frigidis, & maleficiatis*, tres annos, ad hoc, ut hoc tempore intentando copulam videatur, an impotentia ſit perpetua, vel temporalis.

Hi tres anni debent eſſe completi, ut dicit Baſſæus *verb. Matrim. 7. n.* 18. & cum Hurtado, Coninch, & alijs Diana *p.* 11. *tract.* 5. *reſol.* 8. ideóque in ſupplementum ſex menſium, quibus V. D. fuit abſens, poteſt per alios ſex Menſes experiri utrum impotentia ceſſaverit, & licèt hoc tempore effuſio ſeminis extra vas ſequatur, hoc eſt tantùm per accidens, & nihil obeſt.

105. P. P. R. & ſi præteritis his ſex Menſibus non potuero habere copulam cum mea uxore; quid nobis faciendum?

C. Tunc recurrendum eſt ad Judicem, cujus arbitrio relinquitur prolongatio temporis pro majori experientia habenda; ut cum Baſilio, & deciſione Rotæ dicit Leander à Sacram. *diſp.* 21. *q.* 47. *in fine.* Ludovicus etiam à S. Joanne *in Sum. de Matrim. q.* 6. *art.* 15. *diffic.* 1. *dub.* 1. Citando pro ſua ſententia aliam deciſionem Rotæ dicit, quòd poſſit Ordinarius concedere plus temporis pro experientia, licèt primo triennio copula intentata non potuerit haberi.

106. Dicat mihi V. D. mulier, quam modo duxit, eſt ne vidua, vel virgo?

P. Eſt Virgo.

C. Ideo hoc interogo; quia aliquando impotentia ſe tenet ex parte viri, & aliquando ex parte fœminæ; quia videlicèt eſt nimis arcta, ita ut præ arctitudine penetrari non poſſit.

In hoc caſu eſt aliquod fundamentum credendi, quòd impotentia teneat ex parte fœminæ; ut ex V. D. confeſſione conſtat, hoc tempore habuiſſe copulam cum alijs, cum propria verò non potuiſſe habere, erit ſine dubio ex eo, quòd ſit nimis arcta.

Si impotentia ſit ex parte fœminæ, Matrimonium eſt validum, quia illa poteſt aliquo medio ſcilicet nem pati, & os vaſis dilatare, ita ut fiat ad copulam apta, & ad id tenetur, ſi ſine gravi incommodo vitæ aut ſalutis fieri poſſit; ita tradit Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 93. *num.* 23. Villalobos *part.* 1. *tract.* 4. *diſ.* 18. *num.* 16. cum communi. Ratio eſt, quia impotentia dirimens Matrimo-

Matrimonium est sola impotentia perpetua, illa videlicèt, quæ medio naturali auferri non potest: sed quando fœmina, quæ aliàs præ arctitudine ad copulam est inepta, scissione vasis ad illam aptari potest, non est talis impotentia, cui naturali modo occurri non possit: ergo non est impotentia perpetua, consequenter nec dirimit Matrimonium.

Hoc non obstante Basilius de Ponte *lib. 7. de Matrim. cap. 7. n. 2.* Durandus, Paludanus, & Gabriel, quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resol. 201.* docent, quòd quæcúmque impotentia, sive proveniat ex parte viri, sive ex parte fœminæ, si est perpetua, nec tempore triennalis experientiæ cessavit, irritet Matrimonium, & fœmina non teneatur scissionem pati; durissimum enim est, modestiam fœminæ exponere, ut manus Medici, aut Chirurgi subire cogatur, cùm id natura in omnibus, præcipuè in sexu muliebri, præ morte abhorreat.

Proinde in praxi est difficillimum dignoscere, ex quonam impotentia se teneat; quomodo enim dignoscere poterit hæc fœmina, se esse præ cæteris arctiorem, & ejus arctitudinem esse causam, quo minus à viro penetrari valeat? Idcirco judico, & existimo veram opinionem Basilij, & magis conformem praxi: quare secundùm hanc dici debet, quòd, si post experientiam à Lege concessam permaneant impotentes, tale Matrimonium sit nullum, & separari debeant.

107. Multoties accidit, quòd impotentia proveniat ex maleficio, tunc enim adhiberi debent Exorcismi, aliáque pia remedia, devotæ Confessiones, & Communiones, ad hoc, ut DEUS per talia media destruat omnem diabolicam facturam, quæ fini Sacramenti Matrimonij obstet.

Qui cupit videre signa, ex quibus colligitur, & dignosci potest, an impotentia sit naturalis, vel non, videat Thomam Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 95. num. 5. & 6.*

108. Advertendum est casum sequentem deservire, quando uxor prius confitetur.

P. P. R. me accuso, quòd valdè desolata cum meo Marito vixerim, & multoties cum eo accumbere noluerim.

C. Ob quam causam?

P. Quia habui copulam illicitam cum alio viro.

C. Cujus status fuit iste vir?

P. Fuit liber.

C. Fuit ne ipsi consanguineus, vel sui Mariti?

P. Non P: R.

C. Concepit ne aliquando ex illo viro?

P. Ita P. R.

C. Scit ne pro certo?

P. Ita P. R.

C. Quomodo scit pro certo? forsan, quia ipsius Maritus longo tempore fuit absens, vel quia aliquo

quo tempore cum eodem non cohabitavit?

P. P.R. non propterea; sed quia meus Maritus est impotens.

C. Quanto tempore sunt simul in Matrimonio?

P. Per sex annos.

C. Non potuit eam cognoscere, nec cum virgo esset, nec postquam concepit, & peperit ex illo alio viro?

P. Ille nunquam potuit, nec potest, nec ante meum partum, nec post.

C. Est ne aliquis filius in vivis?

P. Ita P.R.

C. Arbitratur ne Maritus, quòd sint ejus Filij.

P. Ita P.R. & ut tales nutrit, & multùm amat; quia est inexpertus in hac materia, & tanquam homo sincerus, & simplex, nullam habet suspitionem de hoc successu.

C. Et ob quam causam noluit accumbere viro suo?

P. Quia abhorreo ipsum ob amorem captum ergo alterum.

C. Accusavit se aliquando in confessione, quòd suo viro accumbere noluerit?

P. Ita P.R.

C. Confitebatur hoc peccatum, scilicet, quòd ei debitum solvere noluerit?

P. Ita P.R.

C. Duo in resolutione hujus notanda occurrunt: scilicet restitutio damnorum, & expensarum, quas in educatione filiorum suppositorum maritus patitur, de quo jam supra dixi in hoc Tractatu *cap.* 2. & impotentia subjecti, quæ est perpetua, dirimítque Matrimonium, siquidem sex annis uxorem cognoscere non potuit, nec virginem, nec corruptam, adeóque Matrimonium fuit nullum; & si uxor esset in mala fide, deberet se à cohabitatione cum Marito abstinere, etiam cum periculo suæ famæ, vel vitæ; & quamvis esset in bona fide, deberet ipsi talis cohabitatio interdici suppositâ spe, quòd ex remotione bonæ fidei, & manifestatione nullitatis Matrimonij secuturus esset fructus, & effectus absentationis.

109. Cùm verò sit in bona fide, ut supponitur in nostro casu, sicut constat ex responsionibus datis à muliere dicente, quòd putavit delinquere non dormiendo cum viro suo, ac negando ei debitum, & quòd eum pro vero suo Marito tenuerit, & cùm prudenter formidari possit, quòd per ablationem bonæ fidei nullus sit fructus sperandus, benè verò, quòd sit in statu conjugali perseveratura, & operatura mala fide, quod antecedenter bona fide, & sine peccato operabatur; insuper cùm separatio summè difficilis foret ex interventu suæ infamiæ, ex periculo vitæ filiorum præsentium manifestatione impotentiæ conjugis: idcirco in hoc casu relinqui potest in sua bona fide, & generatim ei proponi, quod me-

lier teneatur suo viro reddere debitum; nt dicam cum Villalobos, & alijs *num.* 113.

110. Si contingeret, quòd mulier esset in mala fide, tunc est necessaria, ut dixi, separatio à Marito; & si possent convivere tanquam frater, & sorror in castitate, & pace, in hoc casu pro tempore relinquendi sunt: si verò hoc fieri nequit, & ambo Religionem intrare possent, hoc eis suadendum est: si nec hoc medium prodesset, potest adhiberi aliud; scilicet, ut semel cum suo marito clamore adeò vehementi contendere incipiat, ut omnes vicini audire valeant, & hac occasione ad judicem se conferat, ab eóque divortium petat; cui mulier, vel alius cum ejus consensu secretò veritatem casûs, & impedimenti communicare potest, ad hoc, ut ex hac causâ ei allegatâ, licèt aliàs non esset sufficiens pro divortio, Judex in casu præsenti cum notitia circumstantiæ concurrentis in id consentiat; & si antecedenter uxor, & maritus vitam inquietam, & turbatam duxerunt, faciliùs, & consultius erit allegare has inquietudines pro faciendo divortio.

111. Concludo hanc materiam admonendo Confessarios, ne post notitiam habitam in confessione de aliquo impedimento dirimente immediatè illud notificent Pœnitenti aliàs in bona fide existenti; quia multi sunt conjugati, quibus in bona fide existentibus, si manifestetur nullitas, & invaliditas contracti Matrimonij, non invenietur modus eos obligandi ad continentiam; Unde sequitur, præcedentem usum Matrimonij ex bona fide à peccato immunem, postmodùm eidem fieri obnoxium, adeóque ante revelationem invaliditatis Matrimonij inquirat, & examinet Confessarius, utrum ipsius admonitio sit profutura, si secùs, D. Augustini dictum sequatur. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem. cap. si quis de Pœnit. dist.* 7. & audiant responsum Innocentij 3. ad interrogationem ipsi factam super dispensationem subreptitiè obtentam in Matrimonio invalidè contracto: *Dissimulare poteris ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione videas grave scandalum imminere. cap. quia de consang.* Hoc idem docet etiam Suarez cum puribus alijs, quos citat, & sequitur Villalobos *part.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 70. *n.* 3. §. *Sed advertendum est.* Certum enim est, quàm plures personas ex imprudentia Confessarij bonâ fide privatas multa patrare peccata, de quibus omnibus strictissimam Domino DEO reddet rationem Confessarius, cujus imprudentia non ad curam, sed ad destructionem animarum tendit.

Pars Decima.

De Dispensatione impedimentorum Matrimonij.

112 Duo sunt genera impedimentorũ dirimentium; aliqua

qua dirimunt Jure Divino naturali, ut sunt Error substantialis, Impotentia, Ligamen; votum solemne juxta opinionem probabiliorem; Consanguinitas in primo gradu juxta sententiam communem; Metus, vel vis, ut opinio verior docet: cultûs disparitas pariter est impedimentum Jure Divino naturali dirimens, nempe si vir baptizatus duceret mulierem infidelem. Alia impedimenta solùm dirimunt Jure Ecclesiastico: ut sunt Crimen, Adulterium cum promissione ineundi Matrimonium, Ordo, publica honestas, &c. In impedimentis Jure Divino naturali dirimentibus Matrimonium nullus, neque Pontifex dispensare potest. Ratio est; quia non constat hujusmodi facultatem Summo Pontifici fuisse concessam; sed in dirimentibus Jure tantùm Ecclesiastico potest Papa dispensare.

113. In his impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus Episcopus non potest dispensare ante contractum Matrimonium; an verò post contractum possit, diximus in hoc capite part. 8. Et utrum in aliquo casu nimis urgenti, & repentino, in quo Summus Pontifex non facilè adiri potest, possit dispensare Episcopus ante contractum Matrimonium affirmant Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 40. n. 7.* & cum Vasquez, Salos, Ponte, & Hurtado, Castrus Palaus *tom. 5. disp. 4. de sponsal. punct. ult. §. 1. n. 9.* & cum Bonacina, & alijs pro probabili tenet Leander à Sacram. *tom. 2. tract. 9. disp. 24. q. 8.*

Commissarius Cruciatæ, quamvis de Lege ordinaria non possit dispensare in impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus, per delegationem tamen habet potestatem dispensandi in impedimento affinitatis procedente ex copula illicita cum illis, qui Matrimonium *coram facie Ecclesiæ* contraxerunt, dummodò Matrimonium bona fide fuerit contractum saltem ex parte unius contrahentis, cum hac tamen conditione, ut parti existenti in bona fide reveletur invaliditas Matrimonij, saltem in genere, ut dicit Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 6. n. 23.* Addit Castrus Palaus *ubi supra n. 6.* quòd Nuntij in Hispania habeant specialem facultatem dispensandi in impedimento publicæ honestatis, non solùm post, sed etiam ante contractum Matrimonium.

114. Plura ad materiam de dispensationibus spectantia trado ex professo 1. *part. mearum conferent. moral. tract. 3. de Legibus confer. 7. Dispens. Legum §. 4. num. 22. & seq. & §. 7. num. 44.* Ubi videri possunt, hic verò tantùm tangam, quæ sunt magis ad praxim, & specialia præsentis assumpti.

115. P. P. R. confiteor, quòd ad contrahendum Matrimonium fuerit mihi necessaria dispensatio; quia mulier est mihi in gradu prohibito conjuncta, & relatio Papæ facta non fuerit in integrum vera.

C. Defun-

C. Defuit ne explicatio speciei, vel qualitatis impedimenti: v. g. gradus cognationis, qui adsuit? quia nisi manifestetur qualitas impedimenti, nulla est dispensatio; ita passim DD.

P. Non fuit iste defectus.

C. Fuit ne error Nominis personæ, vel Episcopatûs? v. g. si dicatur, quòd contrahens vocetur Joannes, qui vocatur Petrus; vel si dicatur, quòd sit in Episcopatu Salisburgensi, & est in alio: dispensatio obtenta, quamvis contineat hos errores, non est invalida, ut dicit Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 36. *& part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 63. *& in Coordinat tom.* 3. *tract.* 1. *resol.* 108. *& resol.* 109.

P. Non fuit iste error.

C. Fuit ne error in explicatione gradûs? v. g. si dicatur, quòd sint consanguinei in quarto gradu, & sunt in tertio; quia in hoc casu nulla dispensatio esset, non tamen è contra: v. g. si dicatur tertius gradus, & esset quartus, si secundus, & esset tertius; quia in dispensatione gradûs proximioris includitur dispensatio remotioris, non autem è contra; sic Sanchez *supr. num.* 17. *&* 18.

P. Neque in hoc fuit factus error.

C. Fuit ne error in specie gradûs cognationis? v. g. si essent consanguinei, diceretur, quòd sint affines; quia etiam iste error irritam reddit dispensationem. Sanchez *ibid. n.* 16.

P. Neque in hoc fuit secutus error.

C. Fuit ne omissum aliquid, quòd secundùm stylum Curiæ Romanæ explicari debuisset? licèt enim aliqui DD. dicant, nullam fore dispensationem, si omittatur aliquid, quod secundùm stylum Curiæ Romanæ explicari solet; contrarium tamen est probabile, ut videri potest in Leandro à Sacram. *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 24. *q.* 48.

P. Nihil fuit omissum quo ad Curiæ Romanæ stylum.

C. Ergo qualis defectus fuit secutus in revelatione.

P. Adduxi pro causa ad obtinendam dispensationem, quòd fœmina nubere nequivisset ob defectum dotis, licèt aliàs pro Matrimonio contrahendo sufficientem habuerit dotem.

C. Fuit aliqua alia causa, ob quã fœmina nubere non potuisset?

P. Ita P. R. licèt bonam dotem habuerit, fuit tamen jam in ætate provecta, & certum est, quòd aliam conditionem non habuisset.

116. C. Pro resolutione hujus casûs supponendum est, quòd ad dispensationem in impedimentis Matrimonij requiratur justa causa; scilicet, ut scandala evitentur, ut per hoc medium lites, & discordiæ sedentur; si alia sponsa æqualis inveniri non possit, quàm consanguinea: si fœmina dotem non habeat, vel non possit contrahere Matrimonium ob deformitatem, provectam ætatem, vel ob aliud motivum, & alias causas, quas refert Villalobos *part.* 1. *tract.* 13. *diffic.* 26. & alij Authores.

Supponendum est secundò, quòd causæ pro dispensatione aliquæ sint finales, aliquæ impulsivæ: Causa finalis est illa, per quam Superior absolutè ad dispensandum movetur, ita, ut si hæc causa non esset, non dispensaret: causa impulsiva est illa, quæ facilè inducit Superiorem ad dispensandum; ita, ut si hæc causa non esset, cum difficultate dispensaret. Si causa finalis adducta est falsa, nulla est dispensatio: si autem vera est, licèt non sit impulsiva, valet dispensatio.

117. Ex hoc colligitur; quòd dispensatio à V. D. impetrata fuerit valida, licèt causa adducta in hoc consisteret, quòd fœmina ob defectum dotis nunquam nupsisset; quia fuit verum, quòd non nupsisset ob provectam ætatem, vel aliam rationem; causa enim finalis in hoc casu fuit difficultas, vel impossibilitas nubendi, quæ fuit vera; quòd autem hæc impossibilitas nubendi fuerit ob defectum dotis, vel ob deformitatem, vel ætatem provectam, vel ob alium titulum, non est causa finalis, sed probatio causæ, ut dicit Fr. Aloysius à Concept. quem refert, & sequitur. A. R. P. Torrecilla *in suis consult. tract.* 1. *consult.* 9. *num.* 29. *&* 30. cum Sanchez, & alijs Leander à Sacram. *supr. q.* 52.

118. P. P. R. confiteor etiam, quòd mea uxor sit filia meæ primæ consobrinæ, & quando fuit petita dispensatio, tertius tantùm gradus consanguinitatis fuit explicatus, in quo etiam Sua Sanctitas nobis dispensavit.

C. V. D. erat cum sua uxore in secundo, & tertio gradu; & quamvis Molina dicat, esse explicandos ambos gradus; alij tamen, quos citat, & sequitur Leander à Sacram. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 24. *q.* 39. *&* 48. dicunt, quòd sufficiat explicare remotiorem. Et ratio est; quia explicatio gradûs proximioris solùm fundatur in Curiæ stylo; sed ille stylus non obligat *in foro conscientiæ*, ut dicit Leander *ibi q.* 48. ergo non est necessarium explicare gradum proximiorem. Et confirmatur, quia, sicut probabiliter dicunt aliqui DD. apud Leandrum *ubi supra q.* 36. *in fine.* Si Petrus est consanguineus Mariæ in quarto, & quinto gradu, ad contrahendum cum ea Matrimonium non est necessaria dispensatio: ergo sequitur non esse necessariò explicandum in dispensatione gradum proximiorem.

119. Secundò, quia, ut cum Ledesma, Rodriquez, & alijs dicit Diana *p.* 8. *tract.* 5. *resol.* 60. quando illi, qui petunt dispensationem, habent duplicem cognationem in eodem gradu; v. g. Si Petrus, & Maria essent consanguinei ex parte Patris, & Matris in eodem gradu, non requiritur, ut in dispensatione procuranda amborum vinculorum cognationis fiat mentio: ergo nec erit necessarium, quando gradus sunt

inæqua-

inæquales, ut fiat mentio gradûs proximioris.

120. Erit tamen necessarium, ut litteræ declaratoriæ super gradum proximiorem obtineantur Romæ, ut declaravit Pius V. in uno *Motu proprio*, qui incipit: *Sanctissimus*, datum 26. Augusti Anno 1566. Hæ litteræ solùm requiruntur pro foro externo ad evitandum scandalum; & consequenter, si non timeatur scandalum, cùm impedimentum sit occultum, non erunt necessariæ hæ litteræ declaratoriæ; ut cum Sanchez, & Basilio dicit Leander *ubi supra q.* 40. & A. R. P. Torrecilla *in suis consult.* 10. *tract.* 1. *fol. mihi* 71.

Limitatur relata doctrina, quando gradus proximior est primus; quia in hoc casu, nisi exprimatur, nulla est dispensatio, ut expressè dicit Pius V. in dicto *Motu proprio*: *Dum quoquo modo gradum primum non attingant.* In quo convenit communis Doctorum.

121. P. P. R. in dicta dispensatione sua Sanctitas expressit: *dummodò copula non intervenerit*; Et dictam copulam habuimus, antequam dispensatio peteretur, & de hac nullam fecimus mentionem.

C. Quamvis non fiat mentio copulæ, quando dispensatio petitur, dicit Leander, quòd sit absolutè valida, *ubi supra q.* 31.

Difficultas sita erat in illa clausula in dispensatione expressâ: *dummodò copula non intervenerit*, pro cujus resolutione mihi dicat, fuit ne facultas dispensandi commissa Ordinario, ut communiter fieri solet pro foro externo?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne copula ita occulta, quòd non potuisset probari in foro externo?

P. Ita P. R. fuit occultissima.

C. Ergo est probabile, quòd fuerit valida dispensatio non obstante illa clausula ita Sanchez, & alij quos citat, & sequitur Leander à Sacram. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 24. *q.* 33. & 34. Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 36. qui docent, quòd, quando dispensatio committitur Ordinario pro foro externo, si copula tanquam occulta non potest probari, sit valida dispensatio non obstante hac clausula. *Dummodò copula non intervenerit.* Sed quando dispensatio committitur alicui viro discreto pro foro conscientiæ; tunc quamvis copula sit occulta, si veniat cum dicta clausula, est invalida dispensatio; ita præter citatos DD. docet Villalobos *part.* 1. *tract.* 14. *diffic.* 27. *num.* 7. Ratio disparitatis est; quia valor dispensationis fundatur in mente Summi Pontificis illam concedentis: sed quando dispensatio committitur pro foro externo cum hac clausula, *dummodò copula non intervenerit*, mens suæ Sanctitatis est quòd dicta copula taliter se habeat, ut in eodem foro sit publica; quando verò venit pro foro interno mens ipsius est, quòd sufficiat occulta: ergo quando venit dispensatio

pro foro externo, erit valida non obstante hac clausula, secùs verò pro foro interno. Opinionem verò Leandri num. 117. 120. & 121. citati non existimarem in praxi tutam propter primam Propositionem ab Innocentio XI. damnatam.

Modus impetrandi dispensationem à Sacra Pœnitentiaria pro foro Conscientiæ.

COngruum mihi visum fuit adjungere modum obtinendi dispensationes, quando Confessario harum necessitas occurrerit; cùm, plurimos dari, expertus fuerim, qui ex hujusmodi ignorantia multo tempore in suis impedimentis obstrictos reliquerunt miseros Pœnitentes, qui proinde nec ausi sunt adire aliquem, per quem modus recurrendi ad Sacram Pœnitentiariam ipsis pateret, & ad hoc, ut sciatur, tam modus impetrandi quàm exequendi obtentas dispensationes, ponam hìc clausulas, cum quibus dictæ dispensationes mitti solent.

Clausula Prima.

Dilecto Confessori ex approbatis ab Ordinario. Unde constat, quòd, qui commissionem habebit expediendi litteras dispensationis, debeat necessariò esse Confessarius ab Ordinario ad audiendas confessiones approbatus; & licèt Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 34. num. 16.* existimet, sufficere, quòd sit approbatus pro viris tantùm, vel pro uno solo Populo; Contrarium tamen est verius, & tenet Basilius *lib. 8. de Matrim. cap. 1. §. 1. n. 13.*

Clausula Secunda.

Ut qui dispensationem expediturus est, Doctoratûs laurea in Theologia, vel Jure Canonico sit insignitus. Quapropter, qui habent gradum Licentiatûs, vel Baccalaureatûs, aut Cathedratici, nisi simul habeant gradum Doctoratûs Theologiæ, vel Canonis, non possunt rescriptum dispensationis expedire: licèt Sanchez *ubi supra num 11.* Rodriquez *tom. 1. qq. Regul. Q. 63. art. 8.* dicant; quod Patres Societatis JEsu, quamvis hoc gradu non insigniti habeant hoc privilegium, dummodò habeant specialem commissionem à eorum Generali, vel alijs Superioribus. Hoc privilegium etiam se extendit ad omnes Regulares, qui commissionem à suis Superioribus habent; ita Diana *part. 4. tract. 4. resol. 71.* Sed si casus contingeret in loco, ubi difficile inveniri posset persona gradu ad dispensationem requisito insignita, poterit Confessarius dispensationem petens illa exprimere in litteris postulatoriis, & nominare personam magis qualificatam illius vicinitatis, ad hoc, ut Sacra Pœnitentiaria rescriptum eo modo dirigat, quo melius expedire videbitur.

Clau-

Clausula Tertia.

Si ita esse per diligentem latoris examinationem, ac post monita & consilia illi præstita inveneris. Causæ dispensationis in impedimentis Matrimonij, vel voto castitatis, sunt, si persona sit in gravi periculo incontinentiæ, si fœmina non habeat dotem ad ineundum Matrimonium cum alio: si non inveniat Sponsum sibi æqualem; si censurâ ligatus absque magna difficultate Romam adire nequeat. Quòd si Confessarius causam à Pœnitente adductam falsam esse deprehenderit, non potest cum ipso dispensare, quando verò Confessario constat causam esse veram, non est necesse, ut inquirat; sed quando ei non constat, debet inquirere, & interrogare; & quamvis non esset reprehensibile juramentum de veritate causæ à Pœnitente exigere, ut dicit Basilius *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 2. *num.* 14. hoc tamen requiritur, ut dicit Sanchez *ubi supra num.* 21. neque examen testium, sed verbis latoris, vel Pœnitentis fides præstari poterit, nec est necessarium exhortari Pœnitentem ad fatendam veritatem, ut dicit Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 15. §. 1. *num.* 4. *in fine.* quamvis hoc sit consulendum, & admonendus Pœnitens de gravi peccato incurrendo, nisi veritatem fateatur.

Clausula Quarta.

Modò impedimentum inde proveniens occultum sit. Occultum dicitur non ideo, quia non potest probari, sed quia illud major pars vicinitatis ignorat; ita Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 37. *num.* 11. ideóque quamvis illud sciant duæ, vel tres personæ, dummodò non sit majori vicinitatis parti notum, dicitur adhuc occultum.

Clausula Quinta.

Audita Confessione &c. Supra hoc punctum existimat Castrus Palaus *ubi supra num.* 6. cum Sanchez, Gallego, & Salas, non esse necessariam confessionem Sacramentalem pro dispensatione. Quamvis Diana loco paulo ante citato *resol.* 71. censeat hoc non esse probabile propter rationes adductas à Filiucio, & Fernandez cum citatis, puto tamen, sententiam Sanchez probabilitate non carere; siquidem hæc conditio solet etiam poni in alijs dispensationibus, & commutationibus votorum. Non est tamen semper conditio essentialiter requisita, sed directio, vel consilium. Verum tamen est, quòd in praxi semper debeat confessio suaderi, ut dicit Bonacina *tom.* 2. *dis.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 8. cùm hoc videatur colligi ex Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. attamen, si in aliquo casu in rescripto expresse imponeretur confessio Sacramentalis, tunc erit necessaria, &

in

in hoc sensu potest habere locum opinio Dianæ loco cit. & etiam id, quod repetit *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 103. *in fine*.

Clausula Sexta.

Et alia pia opera per te injungenda Confessarius non potest omittere impositionem operum in rescripto præceptorum; licèt in aliquo moderare possit: v. g. si in dispensatione fiat mentio confessionis menstruæ imponendæ, potest Confessarius quoties ita expedire judicaverit saluti Pœnitentis imponere bimestrem, aut etiam trimestrem confessionem: ut cum Sanchez, Basilio, & Salas dicit Castrus Palaus *ubi supra n.* 7. & Bonacina loco supra cit. *sub. num.* 9. Attamen opera imponenda debent esse libera, & supererogatoria, non verò, quæ aliàs sunt de præcepto.

Clausula Septima.

Ut hæ litteræ dilacerentur, ex omissione tamen hujus dictionis non irritatur dispensatio; quia mens Suæ Sanctitatis solùm in hoc fita est, ne tales litteræ in foro externo parti suffragentur, ita dicit Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol* 71. §. *Sed quia prope finem.* Attamen Confessarius litteras aperire poterit, licèt laureâ Doctoratûs insignitus non sit; cùm hæc conditio solùm requiratur in eo, per quem expediri debent litteræ; ut dicit Bonacina *ubi supra sub num.* 3. §. *Si quæras.*

Clausula Octava.

Gratis ubique, qua de causâ Summus Pontifex non potest pro expeditione quidquam recipere, licèt ei gratis offeratur, ut dicit Navarrus *lib.* 4. *cons. de Sponsa.* 50. *n.* 3. Hoc idem dicitur de Doctore, qui dispensat, & de Confessore, qui dispensationem impetrat; solum Tabellarium litteras ferentem debet Pœnitens solvere.

Clausula Nona.

Quando dispensatio postulatur pro impedimento Matrimonij jam contracti cum impedimento ponitur hæc clausula: *ut Conjux ignara certior fiat de nullitate prioris Matrimonij*, Circa hoc punctum magna inconvenientia oriri solent, maximè si sit impedimentum propter copulam uxoris; circa revalidationem Matrimonij in hoc casu potest videri hæc praxis *tract.* 6. *cap.* 8. *part.* 6. *per totam.*

In dispensationibus impedimentorum dirimentium in Matrimonijs jam contractis solet imponi separatio conjugum, antequàm revalidetur Matrimonium. Ex hoc tamen semper, vel quasi semper magna inconvenientia exsurgunt, ad quæ vitanda debet hoc omitti; ideò enim in rescripto dici solet: *Si sic valeat, & visum fuerit Confessario.*

Clau-

Clausula Decima.

Servatâ in dispensando consueta Ecclesiæ formâ. Circa quod notandum est, quòd non sint necessaria verba determinata formæ pro dispensatione, sed alia verba adhiberi possunt, quæ dispensationem indicent; & hæc solet esse forma ab Ecclesia usitata; ita Sanchez *verb. Dispensatio num.* 12.

Solet etiam addi hæc clausula: *ut proles susceptа legitimetur*, & hoc inservit, quando dispensatur in impedimentis Matrimonij, ad hoc, ut Filius natus ex tali Matrimonio malè contracto non remaneat irregularis, tanquam illegitimus, sed reddatur habilis ad recipiendos Ordines, & beneficia.

Tandem quo ad modum mittendi litteras, vel supplicationem ad Sacram Pœnitentiariam advertendum est, quòd litteræ per postam, vel per Tabellarium mittendæ sunt, notificando in ijs modum, & viam, per quam responsum haberi poterit omisso Nomine, vel cognomine Pœnitentis, proponendo casum cum terminis impersonalibus in forma sequenti.

SUPERSCRIPTIO LITTERARUM.

Eminentissimo, Reverendissimo Domino
Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.
Romam.

In Litteris explicetur casus modo sequenti.

Eminentissime, & Reverendissime Dñe.

N. *Sacerdos contraxit irregularitatem ex homicidio occulto, ab eo tali modo, vel ob talem causam (hìc modus, vel causa explicari debet) patrato, vel procurato in persona Laici, vel Sacerdotis, ab eo tempore abstinuit (vel non abstinuit) ab exercitio Ordinum ab tale motivum: sed quia sine scandalo abstinere non*

possit, humillime supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia vestra rescribere N. vel N. Doctori in Theologia, vel Jure Canonico, in Civitate, vel Oppido N.

Quando petenda est dispensatio pro impedimentis Matrimonium dirimentibus, fiat hoc modo.

N. *Contraxit, vel contrahere intendit Matrimonium cum muliere (vel N. cum viro) cujus Matrem, vel sororem, vel consanguineam in secundo gradu antè carnaliter cognovit, conscius, vel inscius impedimenti, quod occultum est: quare cum absque scandalo separari non possit (vel alter, cui opportunè nubat non facilè inveniatur) humillimè supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia vestra rescribere N. &c.*

Quando petenda est pro voto Castitatis, fiat modo sequenti.

N. *Mulier emisit votum castitatis perpetuæ, sed cum adsit periculum incontinentiæ: humillimè supplicat pro remedio ad effectum nubendi, Dignetur Eminentia vestra rescribere N. &c.*

Hoc modo possunt formari litteræ secundùm casum occurrentem, & si non possit fieri latinè, fiat eo modo, quo fieri potest; si diù responsum tardaret denuò scribatur, & quando non habetur notitia characteris Gotici, quo dispensationes exaratæ mitti solent, potest rogari, ut scribantur charactere ordinario, his, vel similibus verbis; Dignetur Eminentia vestra mittere responsum vulgari charactere exaratum, & non Gotico.

Pars

Pars Undecima.

De Debito conjugali, & ejus abusu.

122 P. R me accuso, quòd sæpius accesserim uxorem meam non servato modo communi copulæ.

C. Fuit ne per vas naturale, vel per vas præposterum?

P. Per vas naturale.

C. Non est peccatum mortale accedere uxorem non servato ordine communi copulæ; dummodò talis mutatio non fiat cum periculo pollutionis extra vas naturale, nec copula habeatur sodomiticè in vase præpostero; unde resolves sequentes casus cum Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 21. *&* 22. *&c.*

123. Accessus viro succubo, & uxore accubante, etiam sine causa, non est nisi peccatum veniale; dummodò non sit periculum effusionis seminis extra vas debitum. Neque est mortale accedere uxorem tempore Menstrui; neque quando est gravida, secluso periculo abortûs. Refricare membrum in superficie vasis præposteri uxorini, animo consummandi copulam in vase naturali, licèt Navarrus apud Sanchez *ubi supra disp.* 17. *n.* 4. excuset à mortali, mihi tamen ejus sententia non arridet; quia tale vas non ordinatur â natura ad copulam debitam, sed ad sodomiticam: ergo cùm hæc sit culpa mortalis, etiam erit ejus inchoatio in vase sodomitico.

124. Tactus, & oscula, etiam impudica licent conjugibus ad excitandam naturam ad copulam, dummodò periculum pollutionis caveant. Licent præterea (si tale desit periculum) etiam sine intentione copulæ delectationis causâ tantum. Sylvester, Filiucius apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 125. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 46. *num.* 43. quia, cui licet, quod est majus, licèt utique, quod est minus: sed copula licet conjugibus: ergo & tactus, qui sunt quid minus illa. Periculum verò pollutionis nullo modo in illis cohonestari potest.

125. Non est peccatum mortale, quando conjuges de utriúsque consensu cæptam copulam abrumpunt, ne proles multiplicentur Parentibus egenis, dummodò periculum effusionis extra vas non adsit. D. Antoninus, & alij apud Dianam *ubi supra resol* 227. Imo & Layman. excusat à veniali in hoc casu *in Theologia Morali lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 19. & Sanchez *lib.* 9. *disp.* 19. *n.* 3. quia tunc nulla fit injuria Sacramento, cùm hoc cedat Juri suo, ne multiplicatio prolium obstet ejus bonæ educationi, quæ præ inopia Parentum fieri nequit; neque fit injuria conjugi: quia suppono id ex utriúsque consensu fieri.

126. Quamvis absolutè nullus conjugum teneatur petere debitum, aliquando tamen potest ex accidenti ad id esse obligatus; cùm nimirum

in altero conjuge probabiliter prævideat periculum incontinentiæ; quæ quidem petitio commodius dicetur redditio; seu solutio necessitati clamanti, & implicitè petenti. Minimè peccat vir, qui, dum uxorem accedere conatur ex festinatione, vel potentiori natura semen extra vas præter intentionem effundit; neque etiam peccat senex, qui, cùm habeat probabilem spem seminandi intra vas, debitum ab uxore exigit, etiam si fortè contingat semen propter lassitudinem virium quandoque, aut sæpè extra vas effundi; ut docet Diana *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 36. *& in tom. Coordinat. tom.* 2 *tract.* 6. *resol.* 186.

Postquam vir seminavit intra vas, non tenetur uxoris seminationem expectare, juxta sententiam asserentium, semen fœmineum ad generationem non esse necessarium: at si uxor prius seminavit, tenetur vir seminare, nec potest tunc à consummatione copulæ abstinere, nisi fortè datâ operâ ad seminandum non posset seminare; nam aliàs ageret contra finem generationis, sicut videri potest in Leandro à Sacram. *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 25. *q.* 40. *& q.* 42.

127. Actus conjugalis, qui debitè exercitus, bonus, & meritorius est, pluribus modis vitiari potest. Primò, ex fine operantis, si solùm delectationis causa exerceatur, sicut constat ex Propos. 9. damnata à SS. Papa Innocentio XI. qua asserebatur omni peccato (etiam veniali) carere copulam habitam ob solam delectationem. Finis, quo haberi debet, ut ab omni culpa sit immunis, est ob bonum prolis, vel ad sedandam concupiscentiam, sive in se, sive in altero conjuge, ne periculum incontinentiæ subeant; vel ad tuendam sanitatem, si aliud medium id non suppetat. Vide Sanctium *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 9. *&* 10. Vitiatur etiam conjugalis actus propter circumstantiam loci, in quo exercetur, ut si habeatur coram alijs, vel in Ecclesia absque necessitate, in quibus casibus est culpa lethalis. Sanchez *ibid. disp.* 15. *n.* 1. *&* 8. additque *num.* 3. & meritò, tactus aliàs conjugibus permissos, culpam esse mortalem, si coram alijs exerceantur: moneóque Confessarios, ut maxima ponderatione conjugatis suadeant, ut caveant ab hujusmodi impudicitijs coram prolibus, domesticis, & alijs; tum propter Scandalum: tum etiam propter Christianam modestiam, ne cadant in detestabilem Hæreticorum Zurreligionorum errorem, qui perversè quidem tradebant non erubescendum esse uti rebus, quæ naturæ insunt. Certè primi humani generis Parentes *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. quia de turpi sua nuditate verecundabantur.

128. Ex circumstantia temporis potest etiam reprehensibilis esse copula conjugalis: ut si fiat tempore prægnan-

prægnantis uxoris cum periculo abortûs, sive ante, sive post animatum fœtum. Non est verò illicita diebus jejunij, nec Rogationum, nec Festis; licèt convenientius, & valdè decens sit ijs temporibus abstinere. Palaus *part.* 5. *disp.* 3. *de Sponsal. punct.* 4. §. 4. *num.* 5. Diebus namque ad orationem, & mortificationem ordinatis, quis non credat decentius esse ab oblectamentis, & delicijs, quamvis licitis, abhorrere? Etsi culpa mortalis non sit copulam conjugalem habere, sive ante, sive post susceptam Sacram Eucharistiam; ut tradit Sanchez *supra disp.* 13. *num.* 3. Est omninò conjugatis suadendum, ut eo die se contineant, ut ille Panis Angelicus & adeò Venerabile Sacramentum, quod Angeli videntes horrescunt, mente pura, animo casto, & corpore niveo sumatur, & recondatur; ne fortè sacratus Sponsus, qui pascitur inter lilia candoris, horreat animam minus puram, & sanctam. Potest etiam culpabilis reddi actus conjugalis ob damnum saluti indè imminens, quod quidem si fuerit grave, erit mortalis, venialis verò, si leve. Lege Leandrum à Sacram. *ubi supra* §. 49. & *seq.*

Abusus ex parte uxoris Cooperantis.

129 P. P. R. me accuso, quòd meus maritus aliquando indebito modo utatur Matrimonio.

C. Servato tamen vase naturali?

P. Ita P. R.

C. Labitur ne semen extra vas illud?

P. Non P. R.

C. Quando vir petit debitum cum peccato veniali propter inordinatum usum Matrimonij in casibus supradictis, uxor potest, imò & tenetur reddere debitum, ut tradit Pontius *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 112 *num.* 4. & Sancius *lib.* 9. *disp* 16. *n.* 8. At ego putarem cum Bonacina *de Matrim. q.* 4. *p.* 3. *n.* 9. & 10. quòd licèt uxor tunc possit sine peccato veniali reddere debitum, sed non teneri; quia solùm fecit copiam sui corporis in contractu ad modum humanum, non ad bestialem, quali utuntur illi, qui sunt sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.

130. P. P. R. me accuso, quòd meus maritus copulam habuerit cum consobrina mea in secundo gradu, deinde debitum petijt, & ego reddidi.

C. Potuit hoc facere juxta opinionem Sanchez *ubi supra disp.* 6. *n.* 12. quia duobus modis potest accidere, quòd maritus indebitè petat debitum. primo, quando petit, licèt indebitè, absolutè tamen potest benè petere: v, g. Si petat non servato ordine communi, ut in superioribus traditum est; vel quia propter aliquod impedimentum, ut

propter inceſtum, eſt illi vetitum petere; tunc enim abſolutè poteſt benè petere, ſiquidem poteſt impetrare diſpenſationem, & in hoc caſu poteſt uxor reddere debitum: vel quia Maritus contraxit Matrimonium cum ſimplici voto caſtitatis, & absque petita diſpenſatione petit debitum à ſua uxore illicitè, poteſt etiam, imò debet juxta ſententiam Dianæ *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 296. reddere debitum. Sed ego in hoc caſu, ut dixi ſuperius, licèt aſſentiar, quòd uxor poſſit reddere, non tamen tenetur, niſi fortè conjugi immineat periculum incontinentiæ; quia tunc ex charitate obligaretur tam reddere, quam petere. Sanchez *ubi ſupra num.* 13.

131. Secundò, poteſt indebitè petere debitum, nempe, quando concurrit aliqua circumſtantia, in qua abſolutè licitus eſſe non poteſt uſus Matrimonij: v. g. ſi petat in loco ſacro absque cauſa legitima tunc honeſtante talem actum; ſi petat cum periculo effundendi ſemen extra vas, vel ſi ſodomiticè petat. Et ratio eſt; quia nunquam licet cooperari ad actionem ſecundùm ſe malam: ſed uſus Matrimonij in caſibus, & circumſtantijs ſupradictis eſt ſecundùm ſe malus: ergo non licebit tunc cooperari. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 16. *num.* 8. *& alij.*

132. P. P.R. me accuſo, quòd aliquando abſente meo Marito habuerim in me ipſa quoſdam tactus inhoneſtos.

C. Sentiebat ne humectari eo modo, quo humectabatur, dum coibat cum conjuge ſuo?

P. P.R. hoc affirmare non poſſum.

C. Difficillimum eſt dignoſcere in mulieribus pollutionem; quia cum natura in illis non effundat exterius, ſicut in viris, non poteſt ita facile dignoſci. Sed in his interrogationibus caveant Confeſſarij à prolixitate, & ſuperflua curioſitate, quandoquidem eſt minus inconveniens non ferre judicium de aliqua circumſtantia, quàm introducere interrogationes minus decentes: ſingulariter cum fœminis debet Confeſſarius cum majori circumſpectione, & cautela agere, non ſe extendendo nimium in interrogationibus ſuper materias lubricas, ut docet Coninch *diſp.* 8. *dub.* 17. *n.* 131. Angelus *verb. Interrog. num.* 1. ejuſdem opinionis eſt Fagundez *in Præcept. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 8.

133. Quo ad tactus habitos in ſe ipſa dico, quòd peccaverit mortaliter, quidquid aliter ſentiant aliqui apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 215. *& part.* 4. *reſol.* 137. *& in coordinatis tom.* 2. *tract.* 6. *reſol.* 129. *& 190.* Conjugibus enim non licet abſente complice ſe ipſos tangere, etiam citra periculum pollutionis; quia Conjuges non habent facultatem ad explendam ſecum libidinem delectari tamen de copula habita, vel habenda illis licet; quia non eſt peccatum delectari de opere licito, ſed

sed copula est conjugibus licita: ergo & delectatio de illa.

134. P. P.R. me accuso, quòd multoties marito meo debitum negaverim.

C. Negavit ne ex justa causa?

P. Aliquando ita, aliquando non.

C. Debitum non solvere ex justa causa: v.g. ob infirmitatem, vel tempore menstrui, non est peccatum, sine causa verò est peccatum.

Mihi dicat, exigebat ne Maritus ut sibi debitum ex justitia?

P. P.R. Nescio,

C. Maritus fuit ne per hoc inquietus?

P. Non P.R.

C. Quando debitum petitur solùm ex amicitia, & benevolentia, licèt negetur sine causa, non est peccatum; tunc autem colligitur conjugem petere ex amicitia, & benevolentia, quando ex negatione debiti non fit inquietus vel quando rogatus, ut pro tunc se abstineat, facilè nutui conjugis acquiescit.

Neque peccatum est debitum negare quando nimiâ, & irrationabili frequentia petitur: neque quando petitur in ebrietate: nec grave peccatum est, solutionem debiti per breve tempus differre. Et si ordinatiè solvatur, & tantùm semel negetur, erit tantùm peccatum veniale ob parvitatem materiæ: nisi fortè in petente sit periculum incontinentiæ, tunc enim esset culpa gravis tam negare, quàm differre debitum: nec est obligatio solvendi debitum, quando petens est leprosus, vel alia infirmitate vitiante infectus: Vide Villalobos *tom.* 2. *tract.* 13. *diffic.* 45. *num.* 4. & 5. *diffic.* 48. *num.* 1. & 2. Ex quo infertur, quòd non teneatur quis solvere debitum post comestionem; quia est valdè nocivum saluti, nec quando unus conjugum est febricitans: Vide Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 24. *num.* 3. & 4.

135. Mihi dicat, ex eo, quòd non solverit debitum, prævidit ne inesse periculum incontinentiæ Marito: v.g. quòd semen effunderet?

P. Ita P.R. aliquando.

C. Ergo tunc peccavit mortaliter non reddendo propter periculum incontinentiæ, licèt non petierit tanquam ex justitia, sed solùm benevolentiæ gratiâ.

136. P. P.R. aliquando non reddidi debitum: quia tempore consumationis extrahebat, & semen extra vas diffluebat.

C. Consensit ne in hoc?

P. Non P. R. imo propterea reddere nolebam.

C. Prudenter fecit in hoc casu juxta opinionem multorum DD., quos omisso nomine citat Bassæus *verb. Debitum num.* 9. licèt Basilius *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 11. *num.* 8. doceat, quòd in hoc casu, quando Maritus tempore fluxûs seminis extrahit, & exterius seminat, non peccet uxor solvendo, dummodò illa non consentiat seminis dispersioni:

sioni; imò dicit, quòd licitè debitum petere possit; quia, ut supra dixi, illa concurrit ad actionem licite faciendam, & tantùm ex culpa Mariti illicitam.

137. P. P.R. accuso me quoquè interdum consensisse, quòd meus Maritus tempore fluxûs seminis extraheret, & extra vas semen effluere, & non unquam ego ipsamet corpus eo tempore subtraxi, ne conciperem.

C. Hic peccavit graviter, & præter malitiam, quæ est in effusione seminis contra finem naturæ, incurrit etiam malitiam adulterij. Est doctrina Dicastillo, quem citat, & sequitur Diana *part.* 11. *tract.* 8. *resol.* 36 quòd uxoratus effundens semen extra vas fœmineum præter peccatum pollutionis peccet etiam peccato adulterij, & quòd idem peccatum committat uxor consentiens; neque sufficiat explicare in confessione quòd habuerit mollitiem cum muliere aliena, sed explicandum esse, quòd habuerit cum conjuge propria. Et si Maritus contradicente, & renitente uxore hoc facit, adesse aliam malitiam quasi raptûs in confessione pariter explicandam. Hæc omnia Diana *ubi supra.* Et ratio est; quia si Maritus patiendo pollutionem ex aliena muliere injuriam uxori suæ infert qnia privat eam semine, ad quod jus habet: eodem modo eam privat, si habendo cum ea copulam semen disperdat: ergo &c.

138. P. P.R. etiam me accuso, quòd aliquando noluerim solvere debitum, cùm me indispositam, & debilem senserim.

C. Hæc indispositio fortè processit ex sua culpa; quilibet enim ex conjugibus peccat graviter, qui medijs illicitis, ut pollutionibus, aut accessu ad alias se reddit impotentem ad reddendum conjugale debitum. Hoc idem dici debet, si ob alia exercitia, quamvis meritoria: v.g. ob frequentia jejunia, vigilias, aliásque pœnitentias ita vires extenuat, ut ad satisfaciendum propriæ uxori exinde impotens evadat, sicut etiam uxor non debet se ita vigilijs tradere, ut deformis & exosa Marito efficiatur, ne det occasionem Marito quærendi sibi alias fœminas; ut videri potest in Castro Palao *tom.* 5. *disp.* 3. *de sponsal. punct.* 4. §. 1. *num.* 7. Quamvis idem Author advertat, & congruenter, quòd raro dicti effectus ex observatione jejunij Ecclesiastici proveniant.

P. P.R. non processit ex hac causa.

C. Processit fortè; quia lactavit aliquam prolem? licèt enim tunc possit uti Matrimonio: Licitum tamen est non reddere debitum, & exinde timeretur corruptio, vel defectus lactis, nec adesset aliud medium, quo proles lactari posset Sanchez *ubi supra disp.* 22. *n.* 13. & *n.* 14. & 15.

P. Nec fuit ista causa.

C. Quæ-

C. Quænam ergo fuit?

P. Quia paulo ante pepereram.

C. Accessum conjugalē post partū tempore purgationis, dicit cum alijs Leander *supra disp. 25. q. 25.* esse peccatum veniale, non mortale; & addit Sanchez *eod. disp. 22. n. 12.* uxorem hoc tempore non excusari à solvendo debito; quapropter secundum hanc doctrinam non benè fecit, quòd debitum negaverit; nisi fortè prævidisset ex solutione debiti damnum notabile sanitatis secuturum; in hoc enim casu non teneretur; si verò damnum esset leve, deberet reddere. Sanchez *ibid. disp. 24. num. 2.* nisi fortè aliquæ ex supradictis causis eam excusarent.

139. Advertendum est, quòd uxor licitè possit reddere debitum, quamvis *ex accidenti* non possit receptum semen intra vas retinere; quia id præter intentionem fit, & quia semper aliqua pars seminis intra vas remanebit.

Tenetur verò uxor sub mortali semen receptum, quantum potest conservare; nec ipsi licitum est ex aliquo prætextu illud foras emittere, vel mingendo, vel surgendo, vel quovis alio conatu. Vide Leandrum *supra q. 45. 46. & 47.*

Advertendum est secundò, quòd juxta opinionem Leandri *ib d. q. 48.* uxor suæ obligationi satisfaciat, si à marito petita copiam sui corporis ipsi faciat, animum tamen ad alia (non mala) divertat, sic frigida ipsa remanente; hoc tamen solùm habet locum in opinione dicente, quòd semen fœmineum non sit generationi necessarium. Videatur supra hunc casum Diana *part. 5. tract. 14 qui est 2. Miscel. resol. 37. & in tom. Coordinat. tom. 2. tract. 6. resol. 216.*

140. P. P. R. me accuso, quòd postquam Maritus intra vas seminavit, interdum maneat mea natura irritata, quia nondum proprium effudi semen, quapropter tactibus meis ad seminationem me provoco.

C. Id licere affirmat Sancius, sed mihi non placet; quia fœmineum semen non est ad generationem necessarium: ergo non licet uxori se tactibus ad seminationem propriam irritare; ita Palaus *tom. 5. disp. 3. punct. 4. §. 3. num. 6.* & alij.

Pars Duodecima.

De Divortio.

141 DIvortium *est legitima viri ab uxore, vel è contra separatio.* & tribus modis potest fieri divortium: primò quo ad vinculum Matrimonij: secundò quo ad solum thorum, & tertio quo ad thorum, & habitationem. Matrimonium Catholicorum, postquam est consummatum, non potest dissolvi quo ad vinculum, nisi superveniente morte alicujus ex contrahentibus; constat ex S. Matth. *cap. 5. & 19. & ex cap. ex part. sponsal. & ex alijs testi.* Matrimonium ratum non consum-

matum dissolvitur quo ad vinculum per Professionem in Religione approbata ab Ecclesia; ita quòd conjugi in sæculo remanenti sit licitum contrahere cum alia persona; ut determinatur *in cap. desponsatam* 27. *q.* 2. *& in Concil. Trident. Sess.* 24. *Can.* 6.

142. Matrimonium consummatum potest dissolvi quo ad thorum tantùm ex mutuo conjugum consensu, vel ex superveniente alicui ipsorum infirmitate contagiosa, ut est lepra &c. & hæc dissolutio potest fieri perpetuò, vel tantùm ad tempus juxta partium conventionem, vel infirmitatis durationem. Potest etiam dissolvi Matrimonium consummatum quo ad thorum & habitationem, vel quia contrahentes ex mutuo consensu Religionem intrant; vel quia inter eos fit divortium authoritate Judicis legitimi adveniente justâ causâ, ut infra dicam.

143. P. P. R. confiteor, quòd me à mea uxore absentaverim, eò, quòd me veneno interficere voluerit.

C. Propter duas causas principales potest Maritus cum uxore divortium facere; prima est Adulterium, quod constat ex Evangelio Matth. *cap.* 19. secunda est sævitia, seu immanitas, nempe quando aliquis ex conjugibus timet ab altero damnum notabile sibi inferendum: v. g. continuam dissensionem, ebrietatem, privationem usus rationis, per quæ vita innocentis periclitatur.

144. Modò mihi dicat, separavitne se à sua uxore propria vel Judicis authoritate?

P. Mea authoritate hoc feci.

C. Quando est periculum in mora, quia facilè recursus ad Superiorem haberi non potest, licitum est, propriâ authoritate ex causa legitima facere divortium, si sine scandalo fieri possit. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 3. & alij, quos citat, & sequitur Villalobos *part.* 1. *tract.* 15. *diffic.* 11. *num.* 6. & alij, quos citat, & sequitur Bassæus *verb. Divortium num.* 8. & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 257.

145. Destitit ne ipsius uxor ab ulteriori mortis machinatione?

P. Ita P. R.

C. Ergo V. D. tenetur ad eam redire etenim licèt pars innocens à nocente in perpetuum se absentare possit ob adulterium; ob immanitatem verò, & alias causas solùm est licita separatio, dum causæ subsistunt, cessantibus verò causis debent reconciliari.

146. P. P. R. mihi constat, quòd mea uxor adulterium commiserit.

C. Ipsi constat, quòd adulterium commissum fuerit adulterium consummatum, vel tantùm ejus intentio, & desiderium tantummodò per tactus, oscula sive amplexus cum alia persona ostensum? quia neque desiderium adulterandi, neque tactus, oscula, amplexus cum tali desiderio sunt justa causa pro divortio; ita cum multis AA. dicit Castrus

Castrus Palaus *tom. 5. disp. 3. de sponsal. punct. 6. §. 1. num. 2. in fine.*

P. P. R. non fuerunt soli tactus, vel desiderium.

C. Fuit fortasse peccatum pollutionis? quia neque pollutio est causa sufficiens ad divortium, quamvis copula sodomitica sive cum alio viro, sive cum alia muliere patrata sufficiat; ut dicit cum S. Thoma, & S. Bonaventura, & cum communi Villalobos *in Sum. tom. 1. tract. 15. diffic. 1. num. 4.* Hoc idem dico de bestialitate. Et ratio est; quia ad divortium fornicationis causâ requiritur commixtio adulterantis cum carne aliena. Sed sic est, quòd hoc non contingat in pollutione, benè verò in sodomia: & bestialitate: ergo pollutio non sufficit ad divortium, quamvis sodomia, & bestialitas sufficiat. Hinc est, quòd nec copula naturalis incepta sit causa sufficiens ad divortium, benè verò erit, si effusione seminis intra vas consummetur, ut dicit Sanchez *de Matrim. lib. 10. disp. 4 num 13.*

P. Ipsius peccatum non fuit peccatum contra naturam, sed fuit copula naturalis consummata cum alio viro.

147. C. Hanc copulam passa est ne uxor per vim ipsi illatam? quia si ipsi vis illata fuisset, non esset causa sufficiens ad divortium, constat *ex cap. Ita, & cap. Proposit. 32. q 5.*

P. Nulla vis ipsi illata fuit.

C. Fortè fuit decepta? v. g. si quis fingendo se esse suum Maritum, taliter, ut ab ea dignosci non potuisset, & postmodum copulam cum ea habuisset; quia copula sic habita non esset causa sufficiens ad divortium. *ex cap. In lectum 34. q. 2.*

P. Non fuit decepta hoc modo.

C. Fortè; quia probabiliter opinando V. D. è vita decessisse alium duxit, vel fornicata est? quia nec in his casibus potest fieri divortium: *eodem cap. in lectum*: & Sanchez *supr. disp. 5. n. 11. & 12.*

P. Hæ causæ non fuerunt.

C. Fortè. V. D. fuit causa per commoditatem, & consensum præstitum in adulterium? quia neque in hoc casu potest fieri divortium. *ex cap. Discretionem de eo, qui cognov. Consangui.* Sanchez *ibid. num. 3. & 4.* Et ratio est; quia adulter est causa divortij propter injuriam, quam conjugi infert: atqui, consentiendo ipse in adulterium, nulla ei infertur injuria: quia *scienti, & volenti nulla fit injuria cap. Scienti de reg. Jur. in 6.* Ergo Maritus consentiendo in adulterium uxoris non potest divortium prætendere.

P. Non consensi in illud.

C. Condonavit ne expresse injuriam per hoc crimen ipsi illatam; quia si jam condonâsset, non posset ob hanc culpam facere divortium.

P. Expresse ipsi non condonavi

C. Condonavit ergo implicite? quod accidit, quando non ignarus adulterij habuit copulam cum ipsa, vel tactus, oscula, aut amplexus,

vel cum eadem liberè, & familiariter conversatur ridendo, ludendo, vel simul comedendo, quibus in casibus censetur implicita condonatio injuriæ, adeóque cessat causa divortij. Sanchez *sup. disp.* 14. *num.* 6. *& num.* 18. *&* 19. Si verò haberentur hi tactus, copula, &c. ab inscio adulterij, non censetur condonata, nec cessat causa divortij, si iterum in adulterium labatur.

P. Non habui post commissum peccatum similem familiaritatem cum ea.

148. C. Fortè etiam V. D. simile peccatum commisit accedendo ad mulierem alienam?

P. Ita P. R.

C. Et hoc patravit post uxoris lapsum?

P. Ita P. R.

C. Ejus uxor condonavit ipsi expressè, vel implicitè hanc injuriam ipsi illatam ob adulterinum accessum ad alienam?

P. Non P. R.

C. Peccatum patratum cum tali muliere fuitne copula sodomitica, vel naturalis? quia docet Leander à Sacram. *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 26. *q.* 15. quòd non sit compensatio in delictis, nec ea in ordine ad divortium æquivaleant, quando unus ex conjugibus adulterat per copulam naturalem, & alter per sodomiticam, & quòd Sodomita possit facere divortium à consorte habente copulam naturalem. Sed hanc opinionem non arbitror veram; quare contrarium sequor cum Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 6. *num.* 5. Et ratio est; quia sicut adulterium per copulam naturalem est causa sufficiens ad divortium, ita est & per copulam sodomiticam: ergo tam una, quàm altera copula æquivalet in ordine ad divortium: ergo in ambobus delictis est compensatio, consequenter Sodomita non poterit facere divortium ab adulterante copulâ naturali.

P. Copula à me habita fuit adulterium per copulam naturalem consummatum.

149. Ergo jam est compensatio in delictis, & V. D. in conscientia ad suam uxorem redire tenetur. Ita D. Bonaventura, Navarrus, & alij plurimi, quos citat Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 9. *num.* 27. Villalobos *ubi supr. diffic.* 5. *num.* 3. licèt ipse Sanchez, Henriquez, & alij, quos citat, & sequitur Bassæus *ubi supr. num.* 12. teneant contrarium, sed tantùm loquuntur de divortio publica authoritate Judicis secuto: diùortium autem V. D. propria authoritate factum est: ergo in omnium sententia V. D. ad suam uxorem redire tenetur: Et nullatenus more aliquorum, qui uxore prævaricante ab eadem recedunt ac per hoc ei oportunitatem præbent vitam postmodùm iniquissimam, & concubinariam ducendi. Quare Confessarius similes Pœnitentes ad suas reverti uxores absolutè obliget.

150. Ad

150. Advertendum est pro coronide hujus capitis, quòd, qui sua authoritate fecit divortium à conjuge adulterij causa, non possit Religionem ingredi, nec Sacros Ordines susc ipere, si pariter ille adulterium patravit. Hoc idem dico, quamvis divortium fuerit factum per sententiam Judicis. Pars verò innocens poterit Religionem ingredi, & Ordines Sacros susc ipere, sive sit per sententiam Judicis divortium factum, sive non; dummodò peccatum conjugis sit notorium, & etiam si sit occultum, quando nullum exinde sequeretur scandalum. Attamen, quia difficulter posset scandalum evitari ex repentina statûs mutatione propriâ authoritate factâ absque notitia causæ, ideo censeo, in hoc casu Religionem ingredi non posse, nec Sacros Ordines susc ipere. Conjuge verò adultero nec post divortium authoritate Judicis factum Religionem ingredi, aut Ordines Sacros susc ipere licèt absque conjugis innocentis consensu, nisi hic Professionem Religiosam emiserit, aut Sacros Ordines susceperit; in hoc enim casu potest etiam adulter suum statum mutare. Videatur Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. disp.* 10. *&* 11. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 15. *diffic.* 6. *&* 7. Castrus Palaus *tom.* 5. *disp.* 3. *de sponsal. pun.* 6. §. 6. Leander à Sacram. *part.* 2. *tract.* 9. *disp.* 26. *q.* 22. *& seq.* Diana *Coordinat. tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 224. Et alij Authores, qui in tractatu de Matrimonio hoc punctum tangunt; ut sunt Basilius, Bonacina, & alij.

Caput IX.

De Cogitationibus, & verbis Lascivis.

151 P. P. R. dico meam culpam, me habuisse aliquas impuras cogitationes.

C. Consensit ne V. D. in similes cogitationes?

P. Non P. R.

C. Desideravit ne opere exequi id, quod cogitatio suggerebat? *Major pars Populi vulgaris, quando interrogatur, an desideraverit opus executioni mandare, respondet, quòd non, si solùm desiderio consensit in illud, quod ipsi cogitatio proposuit.*

P. P. R. tale desiderium non habui.

C. Detinuit se in illis aliquo tractu temporis?

P. Aliquantulum.

C. Fuit ne cum advertentia?

P. P. R. Semiplenam advertentiam habui.

C. Ad hoc, ut cogitatio sit peccatum mortale, requiritur plenus consensus, plena advertentia, & materia gravis, unâ ex his deficiente est tantum peccatum veniale. Plena advertentia est, quando advertimus malitiam eo modo, quo communiter homines planè à somno ex-

citati attendunt ad aliquod negotium: tunc verò est tantùm semiplena, quando advertimus malitiam eo modo, quo attendunt homines semi sopiti.

152. Ad dignoscendum in casu dubio, an fuerit semiplena advertentia, & deliberatio, atque consensus perpendenda est constitutio, & qualitas Ipsius personæ; si enim hæc, licèt sit in occasione peccandi constituta, eam tamen non amplectatur, signum est, quòd cogitationi non plenè consenserit; vel etiam si sit timoratæ, & laudabilis vitæ à vitio sensûs alienæ: è contra verò, si persona cogitationibus agitata sit peccato dedita, & tantùm ex defectu occasionis in peccatum non fuit lapsa, tunc de pleno consensu ferendum est judicium.

Alia multa signa circa hanc, & alias materias videri possunt in P. Thoma Sanchez, qui in primo Tomo Summæ super Decalogum ponit Tractatum de principijs generalibus, & transcendentibus Theologiæ Moralis. Opus magno studio, summâ eruditione elaboratum, ex quo Lectores multùm addiscere poterunt, ut etiam ex omnibus alijs suis operibus.

153. P. P. R. pariter dico meam culpam, quòd aliquibus cogitationibus inhonestis cum plena advertentia consenserim.

C. Quoties habuit tales cogitationes?

P. Toties habui, ut difficulter exprimere possim, quoties consenserim:

C: Quot cogitationes singulis diebus habuit, parùm plus, vel parùm minùs?

P. P. R. omni hora habui ter, vel quater parum plus, vel minus.

C. Et ex his tribus, vel quatuor quot erunt, quibus cum plena advertentia consensum præbuit.

P. Qualibet hora puto semel me consensum præbuisse.

C. Et hi consensus fuerunt ne per modum desiderij, vel delectationis?

P. Aliqui fuerunt per modum desiderij, aliqui per modum delectationis.

C. Quot fuerunt per modum desiderij, & quot per modum delectationis.

P. P. R. medietas de uno, & medietas de altero parùm plus, vel minùs.

C. In quo statu est V. D.?

P. Sum uxoratus.

C. In qualia objecta hi consensus ferebantur?

P. Major pars in mulierem solutam, & aliqui in personam votúm castitatis habentem.

C. Suppono, quòd tam desideria quàm delectationes fuerint peccata mortalia; & quòd desideria non solùm habuerint malitiam adulterij ex circumstantia personæ uxoratæ, sed etiam malitiam sacrilegij, illa scilicet, quæ ad personam votum castitatis habentem tendebant. Delectationes

tiones, licèt habuerint malitiam adulterij ex eadem ratione: attamen, si ad personam voto castitatis adstrictam seu sacram reduplicativè non tendebant, sed tantùm specificativè, & in quantum pulchra fuit, non habent malitiam sacrilegij; quòd videri potest *in meis conferentijs moralibus tract. 2. sect. 5. conf. 1. §. 1. num. 16. & seq.* ubi ex professo de ijs tracto.

P. P. R. etiam dico meam culpam, me habuisse aliqua desideria conditionata: v. g. si hoc non esset peccatum, illud facerem.

C. Hæc desideria conditionata aliquando sunt peccata mortalia, aliquando non pro ratione materiæ, quam respiciunt, & ad quam terminantur, sed de his plura in meis conferentijs moralibus *loco cit. §. 1. num. 10. & seq.*

154. P. P. R. dico meam culpam, quòd pessimam verba inhonesta, & turpia proferendi consuetudinem habuerim.

C. Protulit ne talia vexationis causâ, vel cum prava intentione?

P. Ad excitandum risum, & consumendum tempus.

C. Verba significantia pudenda virilia, vel fœminea prolata à juvenibus teneræ ætatis non damnantur peccati mortalis: Neque verba minus decentia puerorum recreationis gratiâ coram puellis honestis prolata, dummodò utrobique absit periculum consensus venerei.

Valdè reprehensibilis est conversatio plurium personarum, in qua verba æquivoca, & apparenter nugatoria proferuntur, sed realiter sunt vera turpiloquia; Et si in multiloquio nunquam peccatum desit, testante Spiritu Sanct. *Prov. cap. 10. In multiloquio non deerit peccatum.* Certum est, in his conversationibus plurima committi peccata mortalia; cùm hæc verba æquivoca sint vivæ scintillæ in domo lasciviæ sensuales flammas in corda immittentes, his proinde quadrat, quod Christus Dominus dixit Dæmonio immundo, *obmutesce. Marc. cap. 1.*

155. Suppono tanquam certum, verba indecentia, æquivoca, vel malè sonantia animo provocandi ad malum prolata peccata esse mortalia, & idem dicendum: licèt expresè hac intentione non proferantur, exinde tamen ruina spiritualis adstantium prævideatur, in utróque enim casu malitiam scandali includunt, quod est *dictum, vel factum minùs rectum præbens occasionem ruinæ*: sed sic est, quòd in utróque casu hæc verba sint dicta minus recta præbentia occasionem ruinæ: ergo in utróque casu hæc verba malitiam scandali includunt.

CA-

CAPUT X.

De Denuntiatione faciendâ Tribunali Sacræ Inquisitionis, quando Confessarius ad turpia in Confessione solicitat.

IMpono finem huic sexto Præcepto adjungendo materiam adeò horrendam, ut ploratu dignum sit, audire eam ex ore Catholico. Eò devenit libertas humanæ lasciviæ, ut nec sint secura ab hac effrenata passione Ecclesiæ Sacramenta. O vitium turpissimum, & abominabile! Quis per te non coinquinabitur? si nec est immune Sanctuarium tam divinum, ut est Sacramentum, in quo DEUS pretium sui sanguinis deposuit: Non miror dictum S. Remigij, quòd infernum impleas: *Demptis parvulis propter hoc vitium pauci salvantur.*

Ad hoc ut Confessarius aliquod lumen in tam ardua, & difficili materia habeat, & ne perplexus, & anceps, sicut mihi contigit, in confessionali hæreat, ponam hìc brevem, & practicum Tractatum in hac materia. Ad procedendum autem majori cum cautela, & securitate adducam sequentem Gregorij Papæ decimi quinti constitutionem, quæ in hac materia est magìs coarctans.

Constitutio Gregorij XV.

156 *QUi Personas, quacúmque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum alijs quomodolibet perpetranda in actu confessionis Sacramentalis, sive ante, sive post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocúmque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur: seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in officio S. Inquisitionis severissimè, ut infra, puniantur, &c.*

Pro intelligentia hujus Tractatûs notanda sunt sequentia.

157 PRimò ex virtute hujus, & aliarum Constitutionum Sancto Tribunali concessarum quivis Pœnitens solicitatus ad turpia à confessario in actu confessionis sive post immediatè tenetur sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ intra sex dierum intervallum denuntiare solicitantem Sacro Tribunali Inquisitionis. Eamdem excommunicationem incurrit Confessarius absolvens solicitatum absque impositione hujus obligationis, & hæ constitutiones publicari solent à suis Ministris in Parochijs, & communitatibus Religiosorum Feria 6. post octavam Assumptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ.

158. Secundò, si ipse Confessarius solicitans

solicitans confiteatur alteri Confessario, iste non debet, nec potest eum denuntiare, ut multi parùm experti existimant, siquidem hoc esset frangere sigillum confessionis: Et quivis Confessarius approbatus potest Confessarium solicitantem à peccato solicitationis absolvere; quia hoc nulli est reservatum: ita Decius, & Peirinus, quos citat & sequitur Escobar de Corro *tract. de Confessarijs solicitantibus tom. 1. punct. 2. q. 5. num. 37. & q. 2. §. 3. num. 33. in fine*; Et etiam dato casu, quòd hoc delictum esset reservatum Tribunali, posset tamen absolvi per privilegium Bullæ Cruciatæ, ut dixi supra de blasphemijs hæreticalibus *tract. 3. cap. 2.*

159. Tertiò, non solùm Confessarius solicitans mulieres, sed etiam mares, debet denuntiari, constat expressè ex Constitutione Gregorij 15. *Qui personas quacúmque illa sint &c.*

160. Quarto. Sive Confessarius tentaverit provocare, seu allicere Pœnitentem ad peccandum secum, sive cum tertia persona debet denuntiari, constat etiam ex Bulla Greg. XV. *Sive inter se, sive cum alijs quomodolibet perpetranda, &c.*

161. Quintò, tam peccatum Confessarij solicitantis ad turpia est sacrilegium, quàm Pœnitentis non denuntiantis reductivè; ita Bonacina *tom. 2. in Præcept. 8. q. 3. punct. 1. num. 14.* Escobar *ubi supr. q. 1. n. 11. in fine* cum alijs.

162. P. P.R. me accusò, quòd semel tactus impudicos in Ecclesia habuerim.

C. Cum quali persona?

P. Cum Persona votum castitatis habente.

C. Habuit ne hos tactus tempore confessionis?

P. Non P.R.

C. Habuit ne eos in confessionali?

P. P.R. in loco segregato, ubi ille sedens, & ego genuflexa hoc patravimus.

C. Ergo hoc sufficit ad denuntiationem, constat clarè ex constitutione Greg. XV. *aut in loco ad confessiones audiendas electo simulantes ibidem confessiones audire*: Sed illum sedere, & V. D. ante eum genuflectere est simulare confessionem; ergo obligatur eum denuntiare.

P. P. R. jam fui confessa alijs vicibus hoc peccatum, & nunquam fuit mihi hæc obligatio imposita.

C. Fuit ne confessa, quòd fuerit factum hoc modo, id est, Confessario sedente, & V. D. genuflectente per modum confessionis?

P. Non P. R.

C. Confessarius interrogavit ne de hoc?

P. Non P. R.

C. Ergo si V. D. solùm fuit confessa, quòd habuerit hos tactus absque explicatione circumstantiæ simulatæ confessionis, nec Confessarius hujusmodi interrogationi ope-

ram dedit; quomodò potuit ad denuntiationem eam obligare?

163. P. P. R. ille me non solicitavit ad posteâ peccandum.

C. Nihil refert; quia non solùm ille, qui solicitat ad peccandum post confessionem, debet denuntiari, sed etiam qui in confessionali, aut simulando confessionem habet inhonestos sermones, aut tactus impudicos; ut constat ex constit. dicti Greg. XV. *Vel cum eis inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*

164. C. Fuit ne confessa huic Confessario ante, vel post hos tactus?

P. Ita P. R.

C. Fuit ne confessio immediatè ante, vel post hos tactus, vel fuit aliquod intermedium?

P. P. R. immediatè post fui confessa, quia ipsemet mihi dixit, sic à DEO mihi peccata remittenda fore.

C. Ergo licèt aliunde propter hos tactus eum denuntiare non teneretur, tenetur tamen propter hanc circumstantiam immediatæ confessionis: constat etiam expressè ex supradicta constitutione: *In actu Sacramentali confessionis sive ante, sive post immediate*; ita, quòd, si aliquis Sacerdos copulam, aut tactus, aut sermones inhonestos habeat cum aliqua persona, quæ ipsi immediatè confiteatur, sit denuntiandus.

Non autem quando confessio non est immediate; mediante nimirum alia re, & tempore notabili: v. g. persona confitetur, recedit confessionali, vadit domum, & Confessarius eam sequitur solicitandi gratiâ in domo sua, talis non incurrit delictum denuntiationis; ita Scorcia *in Bullis Pontific. Epist. 77 Theor.* 197. apud Dianam *part. 1 tract. 4. resol. 24.* quia constitutio dicit, quòd immediatè esse debeat: ergo quando non est immediate non est obligatio denuntiandi.

165. Scit ne V. D. an ille Confessarius jam sit diffamatus ob similia solicitationis delicta, vel aliquid de eo audivit?

P. P. R. non audivi quidquam.

C. Casu, quo delinquens *non sit* diffamatus ob simile delictum, sed ita occultum maneat, ut soli personæ innotescat, sentiunt Reginaldus, & alij, quos citat Leander de Sacram. *tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 6* nullam adesse obligationem eum denuntiandi: Sed quid quid sit de probabilitate hujus opinionis, impossibile est moraliter in praxi eam sequi; quia cùm solicitatio *fuit* secretò in confessionali, quomodo poterit innotescere alijs, taliter ut solicitans maneat diffamatus? secundò, quia hæc opinio vergit in totale præjudicium, & frustrationem Decreti Inquisitionis; etenim si iste Pœnitens ob casum occultum ad denuntiationem non esset obligatus, nec erit secundus, nec tertius, & sic de alijs, qui privatim fuerunt solicitati, cùm quilibet solicitationem passivam alterius ignoret.

166. Sup-

166. Supponit ne V. D. quòd ille Confessarius sit verus Catholicus, vel quòd possit suspicari, eum de Fide non benè sentire?

P. Pro tali habetur, nec ego audivi, quòd de Fide malè sentiat.

C. Hæ constitutiones imponentes has pœnas solicitantibus fundantur in præsumptione, quòd tales non sint veri Catholici, ut constat ex constitutione Pij IV. dicentis: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd, qui de Fide rectè sentiant, Sacramentis in Ecclesia DEI institutis abutantur, vel eis injuriam faciant.* Tenor hujus Bullæ videri potest in Escobar de Corro *tom.* 1. *de Sacerd. solicit. in principio*, & in Fagundez *tom.* 2. *in Præcept. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 2.

167. Præterea est opinio Sylvestri, Soti, Richardi, Castri, Navarri, & aliorum multorum, quos citat Suarez *de Leg. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 1. quòd Leges fundatæ in præsumptione non obligent in conscientia, quando præsumptio in aliquo casu particulari cessat: atqui Bullæ Pontificiæ contra solicitantes fundantur in præsumptione Hæresis: ergo si talis præsumptio desit, & constet, solicitantem esse verum Catholicum cessabit obligatio eum denuntiandi, sic sentiunt Navarrus, Sotus, Hostiensis, & alij, quos citat P. Leander à Murcia *in disq. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 5. *resol.* 1. *n.* 2.

Fateor, quòd hæc ratio magnam vim videatur habere, ego tamen hoc non obstante sum opinionis contrariæ cum Freita, & Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 10. quia delicta, quæ sapiunt Hæresim, ex se reddunt suspectum ea committentem, licèt alias sit verus Catholicus: sed delictum solicitationis sapit Hæresim: ergo idem delictum est fundamentum suspicionis Hæresis, licèt delinquens sit verus Catholicus.

Secundò; quia Inquisitores tales solicitantes cogere debent ad abjurandum, licèt alias sint Catholici, nec probetur de ipsis aliquid contra Fidem; ut cum alijs DD. dicit Bonacina *tom.* 1. *in varijs tractatibus tract. seu disp.* 6. *punct.* 3. *num.* 28. Ergo delictum solicitationis reddit delinquentem de Hæresi suspectum.

168. Mihi dicat, consensit ne in solicitationem, id est tactibus impudicis cum illo Confessario?

P. Ita P. R.

C. Sanchez, & alij, quos citat Leander à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *q.* 43. opinantur, quòd Pœnitens consentiens in Confessarij solicitationem non teneatur eum denuntiare: v. g. Confessarius solicitat Pœnitentem ad habendam secum copulam, aut tactus inhonestos, & Pœnitens consentit, dicunt hi DD. quod non teneatur eum denuntiare; quia socius delicti non tenetur denuntiare suum complicem, ut dixi supra *tract.* 2. *cap.* 4. cum Suarez, Diana, & alijs: Sed Pœnitens consentiens Confessario

fit complex ejus delicti : ergo non tenetur eum denuntiare.

Hanc opinionem aliqui tuentur esse probabilem, nihilominus contraria est vera, quia fundamentum, propter quod dicunt, neminem obligari ad denuntiandum suum complicem, est; quia ex hoc infamia denuntianti sequeretur; siquidem haberetur notitia sui consensus, & cooperationis ad delictum, atqui in hoc casu solicitationis nulla infamia Pœnitenti denuntianti sequitur, licèt consenserit : ergo eum denuntiare obligatur. Probo minorem; quia talis Pœnitens non tenetur explicare suum consensum, & Tribunal nec Pœnitentem, nec Confessarium solicitantem de hoc interrogat, neque in processu hujus fit mentio : ergo nulla infamia Pœnitenti consentienti in facienda denuntiatione sequitur.

169. Scit ne V. D. utrum talis Confessarius se emendaverit quo ad peccatum solicitationis in confessione?

C. Si se emendâsset, cessaret obligatio eum denuntiandi secundùm opinionem Soti, Molfesij, Portel. & aliorum, quos citat Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 3. quia finis pœnæ est emendatio delinquentis: ergo si jam est emendatus, non erit necessaria pœna; & per consequens cessabit obligatio eum denuntiandi; quia cessante fine superfluum est medium ad pœnam: ergo, quando hæc non est necessaria, cum delinquens jam sit emendatus, erit superflua denuntiatio.

Nihilominus hæc opinio censenda est improbabilis, ideóque asserendum, quòd licèt delinquens sit emendatus, debeat denuntiari; ita Suarez *de Fide disp.* 40. *sect.* 4. *n.* 15. Joan. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 52. Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *q.* 9. Et alij. Ratio est: quia finis Tribunalis non est tantùm castigatio delinquentis, verùm etiam terror cæterorum: ergo, licèt reus sit emendatus, manet tamen obligatio eum denuntiandi. Probo consequentiam; quia, ut cesset obligatio Legis, necessarium est, ut cesset finis totalis, & adæquatus, & non tantùm partialis finis ejusdem Legis; ut dico in meis Conferentijs *tract.* 3. *Conf.* 7. §. 1. *num.* 1. *& seq.* at emendatio rei est tantùm finis partialis Legis præcipientis denuntiationem : ergo licèt cesset iste finis posita emendatione delinquentis, obligatio tamen eum denuntiandi non cessabit.

170. Sed quia in aliquo casu fortè erit conveniens sequi opinionem contrariam, pro majori securitate emendationis delinquentis mihi dicat V. D., an viderit, quòd fuerit confessus, vel aliquod Jubileum fuerit lucratus?

P. Ita P. R. vidi ipsum semel confitentem, & celebrantem SS. Missæ Sacrificium.

C. Felinus citatus à Diana *ubi supra resol.* 3. §. *Sed in hoc.* dicit, quòd con-

confessio Sacramentalis sit signum emendationis : sine dubio ex hoc motivo; quòd de nullo Christiano ita temerè sit judicandum, ut credatur, eum accedere ad confessionem animo committendi sacrilegium: atqui, si non committit sacrilegium, sequitur, quòd propositum emendationis elicuerit : ergo videndo eum confitentem supponere debemus, quod hoc faciat cum proposito emendationis ; & si postmodùm ejus relapsus non constet, supponendum est, eum esse emendatũ.

Hoc fundamentum est nimis debile, & licèt aliàs probabile esset, hodiè tamen pro tali haberi non potest post damnationem Propositionis 2. ab Innocentio XI. factam: & debilitas hujus fundamenti patenter cognoscitur ; quia videmus (faxit Deus, ut non sit verum) quamplures quotidiè confiteri, & celebrare, & tamen in malo statu vivere non uno, sed multis annis absque emendatione: ergo sola notitia, & evidentia de solicitantis confessione non est fundamentum sufficiens ad credendum, quòd sit emendatus. Secundò; quia, qui tam grave committit sacrilegium temerè profanando, & abutendo SS. Pœnitentiæ Sacramento ad satiandum suum turpem appetitum; quid mirum? quòd multa alia committat sacrilegia confitendo absque vero proposito? *nam qui semel est malus: semper præsumitur malus in eodem genere mali.*

171. Genuensis citatus à Diana *eodem loco*, dicit, recipientem Jubileum præsumendum esse emendatum. Hæc opinio est magìs verisimilis; quia tempore Jubilei Christiani se disponere solent majori cordis compunctione ad faciendam bonam confessionem, maximè si hoc Jubileum sit tempore alicujus Missionis, quo per Evangelicam tubam excitantur peccatores in profundo vitiorum lethargo magìs sopiti, & à morte peccati ad vitam gratiæ multi resuscitantur Lazari.

Hujus pariter opinionis fundamentum est infirmum, & ruinosum; quia hoc tempore valdè frequentia habentur Jubilea in multis Anni Festis: præterea pro personis solicitantibus rarò est dies Jubilei, siquidem, ut dicit Chrysostomus: *Quis unquam vidit Clericum citò pœnitentiam agentem?*

172. Homobonus, Freita, & alij quòs omisso nomine citat Diana *ubi supra*, sentiunt, quòd quando solicitans per tres annos benè vixit, de ejus emendatione præsumi possit: hoc quidem est verisimilius; attamen est nimis difficilè dignoscere, utrum Confessarius tam diù benè vivat, quia, cùm ipsius delictum sit occultum, ac idolum pelliculâ confessionis obtegatur, hujusmodi notitia non tam facilè acquiritur.

173. Leander à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 13. *q.* 8. dicit, quòd, si persona solicitata posthac tribus, vel quatuor vicibus solicitanti confiteatur,

fiteatur, & eum affectu libidinoso vexatum non comperiat, præsumatur emendatus. Etiam hoc patitur exceptionem, & sua habet inconvenientia; quia Confessarius metuens denuntiationem potest cum Pœnitente anteà solicitato fraudulenter dissimulare: & hoc esset magìs suam iniquitatem abscondere, quàm se emendatum demonstrare.

174. Mihi dicat V. D. suasit ne Confessario, ne quid simile deinceps faciat, & ne eam amplius ad peccandum in occasione tam sacra provocet?

P. P. R. nihil ipsi dixi.

C. Ab illo tempore usque modò dixit ne hoc ipsi, vel fecit ipsi aliquam correctionem.

P. Non P. R.

C. Est opinio Ledesmæ, Cani, Lopez, & communiter Thomistarum, aliorúmque apud Murciam *in disq. tom. lib. 2. disp. 5. resol. 1. n. 7.* quòd ante denuntiationem fieri debeat correctio delinquenti. Hæc opinio tenet cum altera dicente, quòd, si delinquens sit emendatus, cesset obligatio denuntiandi; quia finis correctionis est emendatio: ergo, qui dicit, adesse obligationem faciendi correctionem ante denuntiationem, consequenter dicere debet, quòd, si ex correctione sequatur emendatio, cesset obligatio denuntiandi. Fundamentum hujus opinionis sectatorum, sine dubio erit; quia correctio est de Jure Divino, denuntiatio verò de Jure positivo humano: atqui Lex Divina præponderat positivæ humanæ: ergo denuntiatio fieri non debet absque prævia correctione.

175. Hoc non obstante, veriot mihi videtur sententia contraria Joannis Sanchez *in select. disp. 11. num. 56.* Villalobos *tom. 2. tract. 4. diffic. 11. num. 3.* & aliorum docentium, quòd in delictis in Inquisitionis edicto contentis non debeat fieri correctio, sed quòd sit obligatio statim denuntiandi delinquentem.

Ratio autem, cur in denuntiatione Evangelica à Christo præcepta *Dic Ecclesiæ*: debeat fieri correctio ante denuntiationem; & secuta emendatione cesset obligatio denuntiationis. Matth. cap. 18. *Si tibi audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Est, quia hæc Evangelica denuntiatio respicit emendationem delinquentis: atqui denuntiatio Judicialis, qualis est ista S. Tribunalis, non respicit solùm emendationem delinquentis, sed etiam terrorem aliorum: ergo licèt in denuntiatione Evangelica debeat præcedere correctio, non tamen in Judiciali.

Sed notandum est, quòd, si mediante correctione non speretur emendatio, in neutra harum opinionum facienda sit correctio.

176. P. P. R. spero per correctionem Confessarium emendandum, sed placeat mihi suggerere, quomodo ad hanc procedere debeam?

C. Casu quo facienda esset correctio melior modus est, ut V. D. ipsi confite-

confiteatur, & in secreto confessionis ei dicat : recordabitur V D., quòd in tali occasione me ad turpia solicitaverit, abutendo S. Pœnitentiæ Sacramento ; erit sine dubio V.D. notum, quòd similibus delictis sit imposita pœna denuntiationis ad S. Officium ; antequàm hoc faciam, charitate mota ad faciendam ipsi correctionem veni, ut emendationi studeat ; secùs autem, sciat, quòd meæ obligationi sim satisfactura, & absque alio respectu denuntiatura.

177. Terminatâ impressione vidi Bullam Alexandri VII. 8. Julij Anno 1660. editam, cujus tenorem habet D. Franciscus Viridis *tom.* 1. *tit* 9. *de Denuntiat. fol.* 38. *&* 39. in qua Bulla Sua Sanctitas declarat improbabiles, & parùm tutas opiniones excusantes ab obligatione denuntiationis titulo faciendi correctionem, vel alio simili prætextu in materijs ad Sanctum Inquisitionis Tribunal pertinentibus : *Propterea* (dicit hæc Bulla) *idem Sanctissimus declaravit, etiamsi nulla fraterna correctio vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri, & obligatos accedere ad denuntiandum &c.* Et magis infra addit : *Nec posse illos à denuntiando sub dictæ fraternæ correctionis vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, &c.* Quæ Bulla ad portam S. Petri Romæ affixa fuit.

Unde virtute hujus Decreti debet fieri denuntiatio in casibus ad S. Inquisitionis Tribunal pertinentibus absque prævia correctione, licèt delinquens sit emendatus.

178. Quapropter V. D. non potest omittere denuntiationem hujus Confessarij ad hos tactus solicitantis.

P. Promitto P. R. me hoc adimpleturam.

C. Sciat, quòd teneatur quam primùm satisfacere suæ obligationi ; quia non possum ipsam absolvere, nisi prius satisfecerit.

P. P. R. meum verbum in pignus do, quòd illicò sim satisfactura ; placeat me pro nunc absolvere ; quia magnus Populus hìc adest, & nisi ad sacram synoxim accedam, quid mali de me cogitabunt.

C. Ergo ad evitandam hanc notam, & cùm V. D. mihi firmissimè promittat, se suæ obligationi satisfacturam, ipsam absolvam, dirigendo me secundùm opinionem Navarri, Rodriquez, & aliorum citatorum à Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 22. qui docent, quòd, si Pœnitens sit persona fidelis, & timorata, de qua credi potest eam suæ obligationi satisfacturam, & adsit aliquod inconveniens in neganda absolutione, possit prævia promissione, & firmo proposito illicò denuntiandi, absolvi.

179. P. P. R. cui est facienda denuntiatio?

C. Commissario S. Tribunalis.

P. P. R. quomodo debeo denuntiare?

C. Debet adire Commissarium, eique

eíque dicere, quòd D. vel Fr. N. Sacerdos curatus, vel Beneficiatus talis loci, & Parochiæ, vel Religiosus talis conventûs solicitaverit ad turpia in S. Confessionis Sacramento.

P. P. R. erit impossibile me illum adire absque nota, & scandalo.

C. Ergo det mihi V. D. licentiam, & ego faciam denuntiationem dicto Commissario.

P. P. R. libenter.

C. Confessarius data opportunitate debet adire commissarium, & denuntiare solicitantem, si autem non possit ore tenùs denuntiare, poterit facere per Epistolam tenoris sequentis.

180. Ad servandum mandatum hujus Sacri Tribunalis, cui Sedes Apostolica facultatem concessit procedendi contra Sacerdotes solicitantes ad turpia in confessione; notifico V. D., quòd D. vel Fr. N. Curatus, Beneficiatus, vel Assistens in tali loco, vel Regularis talis Ordinis filius talis Conventûs solicitaverit N. ad turpia in confessione Sacramentali; & hoc V. D. notifico cum licentia personæ solicitatæ, cui impossibile est, per se ipsam exequi, ut V. D. tanquam Commissario Sacri Tribunalis hanc notitiam deferat, ad hoc ut provideatur, prout melius expedire videbitur. Datum in tali loco, tali die, Mense, & Anno, &c.

181. Admoneo PP. Confessarios, quòd nunquàm ipsis sit licitum interrogare Pœnitentem de nomine solicitantis: nisi quando Pœnitens per se ipsum denuntiare non valens substituat confessarium, tunc enim requiritur notitia nominis solicitantis ad faciendam debitam formam denuntiationem.

Admoneo pariter, ne facilè suscipiant onus denuntiationis; quia per hoc multa inconvenientia oriuntur; sed ut Pœnitens per se ipsum faciat, nisi quando immediata denuntiatio Pœnitenti impossibilis foret, quòd rarò contingit.

Nec sibi facilè fidant hanc facere per litteras; quia litteræ facilè perduntur, & ex similium litterarum perditione magna jactura, & detrimentum imminet. Commissarij haud difficulter inveniuntur, quapropter rarò, vel nunquàm litteræ erunt necessariæ. Et si aliquando non subsit medium aliud, quàm per litteras, eà præcisè cautelà, & securitate transmittendæ sunt, ut de earum perditione nullum extet dubium.

182. Concludo hanc materiam admonendo omnes, ut hanc bene ponderent, & cum omni maturitate procedant: Ad hoc autem, ut Confessarius in aliquo casu arduo, & urgenti aliquod refugium habeat, & delinquentem discrete, & prudenter data occasione sublevare queat: aliquas opiniones laxas in hoc Tractatu collegi, quas absque conscientiæ scrupulo sequi potest, ut multa absurda, quæ ex oppositis possent

possent sequi, evitentur.

Attamen semper conetur tutiori parti inhærere propter bonum commune totius Ecclesiæ. Proh dolor? Sacramentum ex Dei institutione medicina animarum ab aliquibus in læthale venenum convertitur: unde jure optimo affatum Dei per Hieremiam replicare possumus: *Nunquid resina non est in Galaat? aut Medicus non est ibi? quare ergo non est obducta cicatrix filiæ Populi mei. Hier. cap.* 8.

Nec alia est causa, quàm supradicta, nempe, quia medicina conversa est in venenum; & plurimæ animæ propriam non audent manifestare fragilitatem Confessarijs, ac si ex eiusdem revelatione bellum perpetuum ipsis supereesset: ô miseria sanguineis lacrymis Digna! quapropter multùm interest, ut iniquitas adèo horrenda, & dilatata supplicio vindicetur, & exemplum ad aliorum terrorem statuatur.

Plura alia ad hanc materiam pertinentia tradam *in 2. part. hujus praxis tract.* 17. *in explicat. Propos.* 7. *&* 8. quas Alexander VII. damnavit, ibique videri poterunt.

Caput XI.

Exhortatio inhonestè viventibus facienda.

183. Summam luxuriæ turpitudinem, deformitatem, eiusque in conspectu Dei abominationem lingua humana explicare non valet: & si V. D. eam, prout in se est, perpenderet, non dubito, quin Basiliscum solo intuitu homicidam agnosceret, prout contigit cuidam fœminæ, de qua narrat S. Vincentius Ferrerius, quòd audito sermone de inhonesti flagitij, cui obnoxia erat, fœditate, adeò perterrita fuerit, ut de repentè è vita decesserit. Nec mirum, cùm hoc abominabile vitjum animam Deo, & Angelis in operando similem brutis animalibus similari faciat: *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Divinam Majestatem ad ulciscenda libidinis crimina cogat, ut ex sacra Scriptura liquidò constat, in qua, postquàm *omnis caro corruperat viam* Suam universalis diluvij aquis universum mundum diruit, & evertit, ac Civitates nefandas jgne ejus vindice funditùs delevit.

In nostris quoque Annalibus *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 9. §. 97. refertur, quòd, dum Pater Bernardinus Astensis Generalis Capucinorum cum Socio Fre: Raphaele pariter Astensi per desertum quoddam progrederetur, ab ijs mœsta quædam dolentis vox eminus auditur: subsistit Bernardinus, & dum, unde nam ea vox erumpat, undique circumspicit. En fœmina inter geminos Apros, â quibus misera dilacerabatur, se illi spectandam offert. Horrescit primo aspectu Generalis; verùm cùm hoc non humani, sed Divini alicuius judicij simulacrum esse intelligeret,

â muliere conditionem, & doloris causam exquirit; cui illa: Heu me, inquit, nobilissimi cujusdam Hispani olim filia fui, quæ, ut turpibus carnis voluptatibus cum Amasio operam darem, sub falso perpetuæ castitatis servandæ studio honesta conjugja respui, neque hujus me unquàm sceleris pœnituit, donec morte abreptam Dei judicium ad hæc me intolerabilia duorum horum Dœmonum, qui Aprorum instar dilaniant, supplicia adegit. Heu miseram! heu infelicem! in æternum perimendam. Inter hæc verba ab Apris illis tartareis abrepta, ac per medjum discerpta se ex illjus oculis eripit. Alias quoque hominum inhonestorum turmas eo in itinere jgneis catenis vinctas â Dœmonibus ad Tartarum duci conspicit. Et indubìum est innumerabiles libidinis vitio coinquinatas damnari animas, idcirco eam Cassiodorus *Depopulatricem humani generis* appellat. Hæc infernalis passio, & flamma in stagno illo sulphureo perpetùo ardens vox est Luciferi ad tartareos suos lares homines attrahentis, & congregantis; quare, nisi V. D. resipiscat, in cœtu hoc terribili æternis cruciatibus succumbet. Qualem nam hucusque ex fœdissimis his voluptatibus quæstum percepit? verè non nisi angustias, & afflictionem Spiritûs, Dei Gratiæ amissionem & infaustum Dœmonis famulatum. Perpendat, quæso, omnia transacta ad nihilum redacta, & velut umbram præterijsse, nec pro tam vilibus, ac momentaneis rebus Dei summi Boni, Creatoris sui iacturam faciat.

Pro huius pretiosi castitatis thesauri in luteo humanitatis vase depositi custodia summoperè necessarium est, ut â lubricis occasionibus caveat, fœminarum contubernium, aspectum, familiaritatemque devitet; quandoquidem David vir Sanctus ex Bersabææ aspectu in adulterium lapsus fuit, quomodo peccator inter fœminarum illecebras continens esse poterit? Impossibile est teste D. Hieronymo exclamante: *Homo & mulier, ignis & palea, & Diabolus nunquam insuflare cessat, ut accendantur, & huius prælij nullus sit victor, nisi fugiens.*

Eja ergo Fili consilio meo acquiescat, fugam capiat, ac sic Dei optulante Gratiâ venereum incendium extinguetur. Matrem purissimam, Angelorum, & Virginum Reginam toto cordis affectu prosequatur, Marianum Rosarium quotidiè recitet, sabbatinis jejunijs subinde vacet, ejusque mediante patrocinio de profundis voluptuorum aquarum liberabitur; post hanc vitam tranquillam, ac pacificam ducturus, ac æternâ Gloriâ fruiturus. Amen.

TRACTATUS VII. DE VII. PRÆCEPTO.

Non furtum facies.

CAPUT I.

De Furto, & quantitate ad peccatum mortale requisitâ.

1. SUppono, Furtum definiri, quòd *sit occulta rei alienæ ablatio invito Domino rationabiliter.* Dicitur *occulta rei alienæ ablatio* ad differentiam rapinæ, quæ fit præsente rei Domino, ut patebit in cap. 3. sed furtum fit occultè absente rei Domino. Dicitur *rei alienæ*; quia, quod suum est, accipere, non est furtum: Ille enim, qui recuperat sibi ablatum, aut sibi debitum appropriat, non committit furtum; quia non rem alienam, sed suam accipit. Dicitur *ablatio*, non damnificatio; licèt enim furtum damnificet, attamen non omnis damnificatio est furtum: g. v. ille, qui incendit, vel abscindit alienam vineam, dicitur damnificare, non furari. Dicitur *invito Domino*; quia cum consensu Domini rem accipere, non est furtum, ad quod necessariò requiritur eiusdem dissensus, qui duobus modis contingere potest, nempè, quo ad substantiam, vel quo ad modum. Quo ad substantiam erit invitus Dominus, quando absolutè nollet rem suam accipi: quo ad modum verò, quando licèt consentiret in ablationem, non tamen sine sua licentia: v. g. Paterfamilias, si Filius ab ipso unum, vel alterum florenum peteret, libenter ipsi daret, non vult tamen, ut Filius præsumat se inscio, & non consentiente accipere. Quando Dominus est invitus quo ad substantiam, est furtum, & peccatum mortale, (si materia est gravis) cum obligatione restitutionis. Quando est invitus non quo ad substantiam, sed tantùm quo ad modum, non est peccatum mortale, sed veniale absque obligatione restitutionis. Dicitur denique *invito rationabiliter* ad significandum, quòd, quamvis Dominus rei non consentiat in ejusdem ablationem, si tamen ipsius resistentia sit irrationabilis, non erit furtum eam auferre: v. g. ille, qui est in extrema necessitate constitutus rem aliquam aufert, licèt Dominus non consentiat, non erit furtum; quia in hoc casu non est *invitus rationabiliter*. Petrus iustam compensationem sibi faciens de bonis Ioannis in hoc inviti non committit furtum; quia, quamvis Ioannes sit invitus, non tamen rationabiliter. Uxor invito marito accipiendo necessaria pro expensis familiæ, non facit furtum; quia, licèt sit invitus, tamen irrationabiliter.

2. Suppono secundò, in furto duplicem inveniri iniuriam; nempè

Dei, cuius sancta Lex violatur prohibens furtum : & proximi, cujus Substantia aufertur : prima per confessionem, & Pœnitentiam resarcienda est ; secunda per restitutionem ; nec sufficit confessio culpæ sine restitutione, si hæc est possibilis, nec sola restitutio sine confessione : quod dico propter aliquos ignorantes, qui putant, se satisfacere per solam restitutionem absque furti confessione : & alij per solam confessionem sine restitutione. Alios etiam adinveni existimantes, non obligari ad confessionem peccati furti, quando non possunt restituere : ignorantiæ verè nimis culpabiles, & reprehensibiles.

3. Furtum ex sua natura est peccatum mortale, & virtuti Iustitiæ oppositum ; attamen inter peccata contra Proximum minùs grave ; siquidem per hoc minùs damnum infertur, quàm per detractionem, contumeliam, mutilationem, percussionem, aut homicidium, his enim offenditur fama, honor, sanitas, aut vita Proximi : furto verò solùm bona temporalia, quæ minorisæstimantur, quàm fama, honor, salus, & vita.

Quamvis furtum ex sua natura sit peccatum mortale, potest tamen esse veniale ex parvitate materiæ ; & quod esset tantùm veniale ex eadem parvitate materiæ, potest fieri mortale propter grave damnum ex inde resultans : v. g. si pauperculo opifici abripiatur instrumentum suæ artis, ut acus sartori, & hac de causa non possit laborare, sed dies lucratios perdat, licèt furtum esset veniale propter parvitatem materiæ, erit mortale propter grave damnum allatum.

Quomodo, & quibus de causis veniale ex genere suo fiat mortale *ex accidenti*, fusè explicui in meis conferentijs moralibus *tract. 2. sect. 4. confer. 2. num. 1.* Et quomodo mortale ex genere suo possit fieri veniale *ex accidenti*, habetur *in eodem tract. 2. conf. 1 num. 1.*

4. Variæ sunt opiniones Authorum in determinando quantitatem in materia furti requisitam, & sufficientem ad peccatum mortale ; quos refert noster P. Leander à Murcia in suis disquisitionibus moralibus *tom. 2. tract. 4. de Legib. disp. 11. resol. 1. num. 5.* Inter has ea opinio Navarri statuentis, quantitatem sufficientem esse medium regalem : Cordubæ unum regalem : Bartholomæi Medinæ duos regales : Emanuelis Rodriquez, & Aragonum dicentium, requiri quantitatem excedentem duas monetas aureas æquivalentes duobus coronatis aureis : Valentia, & alij putant secluso alio damno extrinseco tres regales, aut Iulios etiam diviti sublatis esse materiam gravem. Verior opinio est, quòd licèt regulariter loquendo quantitas quatuor regalium sit materia gravis, universaliter tamen hæc regula certa, & infallibilis non est ; quia non est dubium, quin etiam minor quantitas sufficiat, quando

quando res aufertur pauperi, quàm dum aufertur diviti, & quòd hoc non sit intelligendum absolutè, sed respectivè iuxta quantitatem, conditionem, paupertatem, aut divitias Domini, cui res aufertur. Hæc est sententia rationabilior, quam *num.* 6. sequar, *vide ibi.*

5. P. P. R. me accuso, quòd in uno prædio, in quo erant aliqui sacculi frumenti, sex abstulerim.

C. Quæ quantitas frumenti potuit contineri in his sacculis?

P. P. R. una mensura.

C. Quantum pro tunc fuit pretium unius mensuræ frumenti?

P. Octo regales.

C. Conservasset ne Dominus frumentum usque ad tempus maioris pretij?

P. Non P. R. sed quam primum vendidisset pro solvendis debitis.

C. Dominus huius frumenti eratne persona pauper, vel dives?

P. P. R. erat mercenarius mediocriter dives,

6. Quamvis in determinanda materia certa, & firma constituente in furto peccatum mortale variæ sint opiniones DD. ut dixi num. 4. regula tamen tutior in praxi est Bonacinæ *de Restit. tom. 2. q. 8. punct. 1. n. 7.* & aliorum docentium, hoc non esse metiendum mathematicè, & absolutè, sed moraliter, & respectivè, & quòd materia peccati mortalis sit quantitas, quæ sufficeret pro diurna, & ordinaria sustentatione familiæ illius personæ, cui aufertur: v. g. respectu Magnatis, aut personæ in magna dignitate constitutæ unus Aureus duplus est materia sufficiens pro rationabili sustentatione diurna suæ familiæ; respectu unius Equitis ordinarij octo regales; respectu personarum mediocriter divitum quatuor regales; respectu pauperis mercenarij, qui in sudore vultus sui quotidie duos regales lucratur, quibus suam familiam sustentat, hi duo regales, inquam, gravem materiam constituunt; respectu denique unius pauperculi mendici unus regalis. Et cùm persona, cui v. g. hoc frumentum æquivalens octo regalibus abstulit, fuerit unus mercenarius mediocriter subsistens, peccavit mortaliter, & tenetur ad restitutionem.

7. C. Estne diu, quòd hoc furtum commiserit?

P. P: R. sunt tres anni elapsi.

C. Potuit ne intra hoc tempus aliquando hanc quantitatem restituere?

P. Ita P. R.

C. Est opinio communis Theologorum, quòd protrahens aliquo tempore restitutionem, toties peccet, quoties, dum potuit, non restituit. Pro levamine tamen Confessariorum ponam hic opinionem Petri Navarri *de Restit. tom. 2. lib. 4. cap. 4. num. 9.* qui citat, & cum alijs sequitur Dianam *part. 1. tract. 7. resol. 58.* hi omnes docent, illum, qui sæpius potuit alienum restituere,

& ſine cauſa negligit, unum tantùm numero peccatum committere, dummodò per actum contrarium non interrumpat voluntatem: v. g. ſi, poſtquàm decrevit non reſtituere, ipſum pœnituit, & iterum retractavit voluntatem reſtituendi, in hoc caſu multiplicatur nunero peccatum iuxta hos DD. Lugo tamem *de Pœnit. diſp.* 16. *ſect.* 14. §. 1. *num.* 551. etiam in hoc caſu revocationis primi actus cenſet unum numero peccatum conſtitui cum prima voluntate, quando inter utramque modicum tempus decurrit; ſicut ille, qui ſurgit â menſa cum propoſito non amplius comedendi, poſtea retractat voluntatem, & illicò redit ad comeſtionem, hæc licèt interrupta, reputatur una moralis comeſtio: ergo etiam in hoc caſu idem erit.

8. C. Mihi dicat V. D. Confeſſarij impoſuerunt ne ipſi in alijs Confeſſionibus reſtitutionē horum octo regalium?

P. Ita P. R.

C. Cur ergo illos non reſtituit?

P. Ex oblivione, & negligentia.

C. Fuitne admonita V. D. à Confeſſarijs, quòd, niſi reſtituat, denegabitur ipſi abſolutio?

P. Ita P. R.

C. Quoties ipſam admonuerunt?

P. P. R. Sæpius.

C. Fortè jam quater?

P. Ita P. R.

C. Non conſiderat ergo V. D. quòd hac ſuâ negligentiâ abſolutionis incapacem ſe reddat? & quomodo ſuadere mihi poſſum ipſam nunc ſuæ obligationi ſatisfacturam, ſi toties ordinationem Confeſſarij non adimplevit?

In hoc caſu debet ſe gerere Confeſſarius cum Pœnitente in ordine ad differendam abſolutionem eodem modo, quo ſe gereret cum habituato in peccato, de quo loquar *in tract.* 10. *Propoſit.* 60. *damnatâ.*

Et ad formandum judicium, an ſit negligentia culpabilis reſtituendi, vel non, debet Confeſſarius, quandocúmque in Pœnitente invenerit materiam furti, interrogare de tempore omiſſionis in ſatisfaciendo ſuæ obligationi, & an ſuâ culpâ, vel impotentiâ hoc acciderit.

9. P. P. R. me accuſo pariter de furto rei ſpectantis ad Eccleſiam.

C. Quantùm potuit conſtare?

P. P. R. uno Aureo.

C. Eratne res ſacra? ſicut ſunt ornamenta, Calices, &c.

P. Non fuit res ſacra, ſed profana.

C. Eratne res conſignata Eccleſiæ; nimirum aliqua ſupellectilis, aut ſedes, quæ portantur pro ornanda Eccleſia in quibusdam ſolemnitatibus, vel aliæ res, quæ ibi deponuntur, vel ut conſerventur in templo, vel in pignus alicujus obligationis debitæ Eccleſiæ?

P. Nihil ſimile P. R. ſed fuit una Margarita geſtata à quadam perſona, & à me ablata dum morabatur in Eccleſia.

C. Sup-

C. Suppositâ culpâ gravis furti cum obligatione restitutionis, dubium est, an hoc furtum fuerit Sacrilegium. Certum est, quòd furari aliquid Sacri, ut Calices, corporalia, & alia divini cultûs ornamenta, sit Sacrilegium: ac etiam furari aliquam rem consignatam Ecclesiæ in custodiam, aut per modum depositi, aut securitatis. præterhoc est opinio communis, quòd furari in Ecclesia rem non sacram, nec custodiæ, aut tutelæ Ecclesiæ consignatam sit Sacrilegium propter injuriam, seu irreverentiam, quæ fit loco sacro. Hoc non obstante Sotus, Joannes à Cruce, Henriquez, & alij, quorum opinionem tanquàm probabilem citat, & tenet Diana *part. 1. tract. 7. resol. 27, & in Tomis coordinatis tom. 1. tract. 7. resol. 154.* Sentiunt, non esse peccatum Sacrilegij furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub tutelâ, custodiâ, aut curâ ejusdem Ecclesiæ, sed quæ tantum spectat ad particularem personam; quia in hoc casu res ablata est in Ecclesia quasi per accidens; ergo &c. Deinde, quia licèt per hoc fiat irreverentia loco sacro, etiam murmurando, garriendo, aut ridendo committitur, & tamen non est Sacrilegium murmurare, garrire, aut ridere in Ecclesia: ergo neque erit furtum rei non sacræ, quæ non est sub tutela, vel custodia Ecclesiæ. Ex quo constat furtum V. D. juxta communem opinionem fuisse Sacrilegium, non verò juxta citatos Authores.

10. Restituitne V. D. illam Margaritam furto surreptam?

P. P. R. usque modò eam non restitui; quia ante paucos dies commisi hoc furtum, sed conabor pretium Domino reddere.

C. Estnè adhuc in sua potestate hæc Margarita?

P. Ita P. R.

C. Suppono hanc Margaritam esse gemmam aliquam pulchram valde acceptam suo Domino?

P. Ita P. R. est ipsi apprimè chara.

C. Est dubium inter Authores, an ille, qui furatur rem aliquam, teneatur eamdem specificam restituere, vel an sufficiat restituere rem æquivalentem in valore, perfectione, & qualitate. Petrus Navarrus *Tom. 2. de restit. lib. 4. cap. 1. n. 5.* & Valerius *de utroque foro verb. Debit. differen. 8. sub num. 1.* putant, in foro conscientiæ satisfieri justitiæ, si alia res æqualis valoris, perfectionis, & qualitatis restituatur; sed esse defectum contra charitatem, eamdem rem ablatam in individuo non restituendo, quando Dominus affectum posuit ad talem rem: ergo in omnium sententia V. D. tenetur restituere eamdem gemmam; siquidem est adhuc in sua potestate, & Dominus ad illam affectum habuit.

11. P. P. R. me accuso pariter, quòd data occasione in necessitate consti-

constitutus aliquid abstulerim ad reparandam meam indigentiam.

C. Abstulitnè V. D. aliquid ultra id, quod præcisè erat ipsi necessarium, licèt enim in necessitate extrema; prout inferius dicam, possit alienum accipi; hoc tamen debet fieri ad mensuram, & proportionem necessitatis, & non ultra.

P. Nihil ultra mihi necessarium accepi.

C. Fuitne extrema, vel tantùm gravis necessitas illa, quam V. D. patiebatur?

Extrema necessitas est illa, cui, nisi provideatur, vita periclitatur; gravis est illa, quæ causat magnam molestiam naturæ, aut statui, ut dicit Murcia *supra cap. 2. Reg. S. P. N. Francisci. Q. 14. n. 1.* & ego dicam *in explicat. trop. 36. damnata ab Innocentio XI.*

P. P. R. non fui in periculo vitæ, aliquam tamen molestiam fuissem passus, nisi illo furto mihi subveniissem.

C. Si V. D. hanc quantitatem in extrema necessitate accepisset, non peccâsset, nec restitutioni obstricta fuisset; quamvis postea habuisset commoditatem restituendi juxta opinionem multorum Authorum. Licèt alij contrarium sentiant: dicentes, restitutionem esse necessariam, si ad meliorem fortunam pervenitur, ut videri potest in Lessio *lib. 2. de Justit. cap. 16. dub. 1. n. 2. præcipuè num. 6.* Ast cum abstulerit solùm in gravi necessitate, non est dubium, quòd peccauerit, & assererere contrarium est casus damnatus ab Innocentio XI. in Proposit. 36. citata; & consequenter tenetur (si possibilitas adsit) ad restitutionem rei ablatæ.

Caput II.

De parvis Furtis.

12 P. P. R. me accuso, quòd furtim furatus alteri personæ quantitatem viginti Regalium.

C. Hoc Furtum fuitne factum simul, & semel., vel successivè?

P. P. R. Successivè.

C. Quot vicibus?

P. Duodecies.

C. Inter has abstulit unquàm integram quantitatem quatuor Regalium?

P. Ita P. R. ultimâ vice.

C. Persona fuitne pauper?

P. P. R. fuit mediocris Sphœræ.

In hac occasione furtum quatuor Regalium fuit peccatum mortale.

13. Dicat sincerè, prima vice, quando modicam quantitatem abstulit, habuitne animum perseverandi in his parvis furtis?

P. Non P. R. sed solùm quando opportuna erat occasio, in hoc delinquebam.

C. Ille qui minima furatur, si habet intentionem eadem continuandi usque ad materiam gravem, in quolibet parvo furto peccatum mortale committit ratione voluntatis

tis damnificandi graviter proximum.

14. Inter unum & aliud ex his parvis furtis quanta fuit temporis distantia?

P. Ordinariè ab uno furto ad aliud duo Menses effluxerunt, & interdum tres.

C. Quamvis pro priori fuerit opinio, quòd parva furta non sint constitutiva materiæ peccati gravis, nec inductiva gravis obligationis ad restitutionem, hæc opinio tamen modò est improbabilis tanquam damnata ab Innocentio XI. Propos. 38. Nihilominus censeo in hac non includi opinionem Navarri, & aliorum, quos citat, & sequitur Thom. Sanchez *in Sum. Tom. 2. li. 7. cap. 21. n. 10.* quòd, quando à parvo furto ad aliud transit Annus, non constituat materiam gravem, ad id enim requiritur continuatio moralis. sed quando ab uno parvo furto ad aliud transit Annus, non est continuatio moralis: ergo tunc parva furta non constituunt materiam gravem; nisi quando voluntas unico actu omnia complectitur.

15. Et siquidem inter parva furta V. D. non fuit tanta distantia moraliter, etiam inter ipsa fuit continuatio, & ultimum parvum furtum constitutivum octo Regalium fuit peccatum mortale ex retentione Præcedentium. Et ratio est; quia, ad hoc ut ex parvis furtis consurgat materia gravis, sufficit quantitas duplò major illâ, quæ singillatim sumpta eamdem constitueret: atqui furari quatuor Regales personæ mediocriter diviti est peccatũ mortale: ergo furari octo Regales tot parvis furtis erit sufficiens pro constituenda materia peccati mortalis.

16. Alia parva furta, quæ V. D. continuavit, postquam pervenit ad octo Regales, fuerunt tantùm peccata venialia *per se* juxta Lessium *lib. 2. de Justit. cap. 12. dub. 8. n. 44.* Et alios: usque dum hæc parva furta subsequentia pervenerunt ad constitutionem novæ materiæ gravis, & pro tunc novum etiam peccatum mortale consurgeret. Si verò habuit intentionem detinendi quantitatem antecedenter ablatam, quodvis parvum furtum subsequens est materia peccati mortalis; ratio enim, propter quam ultimum parvum furtum constituens materiam gravem & peccatum mortale, est detentio præcedentium: ergo si in parvis furtis subsequentibus perseverat voluntas detinendi materiam præcedentem ablatam, quodvis parvum furtum erit peccatum mortale. Lessius *loco cit.* videatur, quod de parvis furtis dicam *in tract. 10. in explicatione Propos. 38. damnatæ ab Innocentio XI.*

17. P. P. R. me accuso, quòd dolium vini successivè vendiderim mensuris æquò & justo minoribus.

C. Quæ quantitas potuit hoc modo retineri & auferri?

P. P. R. erit quantitas centum Regalium.

C. Licèt ſuperius dixerim, quòd, ut parva furta conſtituant peccatum mortale, neceſſaria ſit quantitas duplo major illâ, quæ ſufficeret, ſi tota ſimul auferretur; & etiam juxta Leſſium *lib. 2. de Juſtit. cap. 11. dub. 8. num. 46.* quòd requiratur major quantitas, quando furtum fit pluribus, quàm uni ſoli. Hoc tamen intelligunt de ſimplici fure; nempe de illo, qui in qualibet occaſione furatur; non verò de illo, qui furatur *ex induſtria*, ut Lanio, Ganeo, Tabernarius, Caupo, qui in ponderibus & menſuris defraudant Rempublicam. In his pro conſtituenda materia peccati mortalis ſufficit eadem quantitas, quæ ſufficeret, ſi tota ſimul auferretur. Ita Fagundez *in 7. præc. lib. 7. cap. 23. num. 2.*

18. Nova tamen difficultas inſurgit in aſſignanda materia ſufficienti in his, qui furantur *ex induſtria* ad mortale conſtituendum. Cùm enim ſimiles pauperibus, & divitibus eorum officinas frequentantibus præjudicent, bonum erit ſcire, quodnam in hoc caſu ferendum ſit judicium de damno. Exiſtimo hoc decernendum juxta majorem, aut minorem populatum Reipublicæ; ita ut in una Republica, vel Civitate ampla, ſicut eſt Madritum, aut Hiſpalis neceſſariò requiratur quantitas aurei dupli: Pampelonæ, aut in alio loco minus populato octo Regales: in alia Civitate adhuc minus populata quatuor, & in parvis oppidis duo. Et ratio eſt; quia hìc non eſt damnum contra juſtitiam commutativam alicujus particularis, ſed ſolùm contra Rempublicam: Ergo ad proportionem majoris, vel minoris amplitudinis Reipublicæ, erit etiam majus, vel minus damnum.

19. Si verò conſtaret aliquam perſonam particularem ſæpius officinam frequentantem grave damnum recepiſſe, attentâ ejus ſphœrâ, & facultate hoc damnum reſpectu illius eſſet peccatum grave: v. g. notum eſt, hominem mediocriter divitem in eadem officina decies, aut duodecies aliquid emiſſe, & in his repetitis vicibus octo Regalium damnum fuiſſe paſſum: non eſt dubium, quin fuerit materia gravis. Si conſtaret aliquem pauperculum à tempore, quo frequentavit officinam, gravatum fuiſſe quatuor Regalibus, etiam hoc eſt materia gravis. Idem dico de omnibus aliis, quos graviter damnificatos eſſe patebit; & quando pro certo conſtat damnum alicui particulari allatum, tunc neceſſario debet ipſi reſtitui determinatè id, in quo paſſus eſt damnum; quando vero hoc ſciri nequiret propter multitudinem ementium, reſtitutio fiet modo poſito in ſeq. num. 20. In parvis locis facilè eſt formare judicium certum de damno, quod cuilibet afferunt fraudulentis ponderibus, aut men-

ſuris;

furis: quia dignosci potest frequentia cujuscúmque in emendo.

Hoc Supposito certum est teneri venditorem ad restitutionem; quia quantitas fuit notabilis, & à primo parvo furto usque peccatum mortale; quia habuit determinatam voluntatem continuandi has pernicioſas fraudes. Lessius ubi supra *dub. 7. n. 1. & seq.* & est communis.

20. P. P. R. & cui debeo restituere hanc quantitatem?

C. Molina, & alij citati à Diana *part. 4. tract. 4. resol. 46.* docent, modum hujus restitutionis consistere in augmento mensurarum, usque dum restauretur quantitas ablata. Sed hic modus non caret sua difficultate, cùm non sit notum, eosdem priores ementes postea venturos, sicque non satisfiet personis, quæ damnificatæ fuerunt.

Melior mihi videtur modus traditus à Vasquez, & Escobar, citatis à Busembaum *lib. 3. tract. 5. dub. 5. n. 2.* nempe in hoc casu posse fieri restitutionem pauperibus, & consequenter poterit componi cum Bulla compositionis. Diana *ubi supra resol. 113.* Regula enim generalis est, quòd, quandocúmque propter incertitudinem Domini debet fieri restitutio pauperibus, possit fieri compositio cum Bulla. Rodriquez *Bulla Compositionis n. 12. circa finem* Trullench. *supra Bullam lib. 2. dub. 4. n. 4.*

Errorem valde notabilem in aliquibus Confessarijs inveni, qui sine ulteriori advertentia pœnitentibus restitutioni obnoxijs suadent, vel imponunt celebrationem Missarum, aut eleemosynas, aut compositionem cum Bulla absque informatione, an detur in rerum natura certus Dominus, cui possint restituere. Advertant hi, quòd nec Sacra, nec pauperes, nec Bulla compositionis habeant locum, quando potest satisfieri damnificato, aut suis hæredibus: sed tunc solùm, quando ignoratur Dominus, aut si est notus, ita tamen distat, ut non possit ei satisfieri, tunc dico, per Sacra, eleemosynas, aut per Bullam compositionis posse suppleri.

21. P. P. R. quot Bullæ erunt necessariæ pro compositione hujus debiti.

C. Illud, quod defraudavit, extenditur ad centum Regales, pro unaquaque Bulla componuntur quinquaginta Regales, & viginti octo maravidis, obtentis ergo duabus Bullis extinguet debitum. Et transeunter admoneo, quòd quolibet anno quinquaginta Bullæ possint accipi, quibus satisfit quantitati duorum millium, novem centum Regalium, & sex maravidis: si erit opus majori compositione præter illam, ad quam pertingunt quinquaginta Bullæ, debet compositio fieri cum Commissario Sanctæ Cruciatæ.

22. P. P. R. Debeone immediatè Bullas assumere, aut expecta-

re usque ad diem, in qua fiet publicatio?

C. Immediatè debet suscipere. Hìc in Navarra per totum annum dispensantur, Pampelonæ in domo Administratoris Cruciatæ (& in alijs Regnis pariter invenientur, ubi loca sunt grandia) & sic prima occasione sibi procuret.

23. Nunc dicat mihi, scivitnè esse Privilegium Bullæ pro componenda restitutione horum bonorũ.

P. Ita P. R.

C. Bulla compositionis non suffragatur his, qui operantur in confidentia ejusdem Bullæ: sed bene illis, qui operantur cum confidentia illius. Hæc est differentia operandi *in aut cum* confidentia Bullæ: operari in confidentia est, quando persona furatur confisa in hoc, quòd cum Bulla componetur; ita ut si non haberet hanc confidentiam, non furaretur; unde his, qui ita operantur, non prodest Bulla, sed totum id, quod abstulerunt debent restituere pauperibus aut recurrendum est ad Commissarium Generalem Cruciatæ, ad hoc ut specialem facultatem committat componendi hæc bona: operari cum confidentia Bullæ est, quando persona avaritiâ, cupiditate, aut alio motivo ducta furatur; ita ut licèt non esset Bulla, eodem modo furaretur, remanet tamen ipsi hoc refugium, quòd, siquidem malè operatur, possit componi cum Bullis: & pro his prodest Bulla Compositionis.

Caput III.

De Rapina.

24 Suppono Rapinam definiri, *quòd sit injusta rei alienæ ablatio videnti, & renitente Domino*: Dicitur *injusta rei alienæ ablatio*; quia auferre rem non alienam, quamvis sit cum resistentia pro tunc possessoris, non est Rapina: v. g. Si Petrus vellet è manibus Joannis auferre, quod suum est, non committeret Joannes rapinam in illud defendendo; quamvis esset cum resistentia Petri; si verò hic jam re ablatâ discessisset, & remanendo in possessione illius, non erit licitum Joanni illum sequi, & vi auferre, cùm possit per justitiam recuperare; sicut dicit Sayrus *in Clavi Regia part. 2. cap. 14. §. 3. pag. mihi 59.* Dicitur etiam in definitione, *injusta*; quia si justè auferret rem ex manibus possidentis, licèt esset cum resistentia, non esset rapina, sicut si Justitia mandaret suis Ministris, ut è manibus alicujus auferrent id, quod furatus est, aut alijs debet; in hoc casu illa ablatio, licèt sit cum violentia, non est rapina; quia justè fit, nec est injusta ablatio. Dicitur *videnti Domino* ad differentiam furti, in quo alienum aufertur occultè, & insciò Domino; in rapina autem aufertur alienum conscio Domino. Additur *& renitente*, quia si Dominus videt sua bona auferri, nec resistit, sed liberè consentit in ejus

ejus ablationem, non erit furtum, nec rapina; erit tamen rapina, si permittit, ut auferantur ex impotentia contradicendi (ut quando præ timore mortis permittit latrones rapere, vel bona, vel pecuniam) ad rapinam enim requiritur, & sufficit, ut in conspectu Domini fiat rei suæ ablatio, & ei resistat.

25. P. P. R. me accuso, quòd uni personæ fuerim furatus marsupium continens duas monetas.

C. Fuitne hoc vidente Domino?

P. Ita P. R.

C. Abstulitne renitente, & contradicente ipso.

P. Ita P. R.

C. Hoc ergo peccatum fuit rapinæ, & specie distinguitur à furto, & consistit in ablatione rei alienæ vidente, & renitente Domino, habetque duas malitias specie distinctas, & oppositas virtuti Justitiæ: quarum una habetur per usurpationem rei alienæ; & alia per violentiam Domino illatam: adeóque non tantum tenetur ad rei raptæ restitutionem, sed etiam ad satisfactionem pro injuria facta personæ cum petitione veniæ. Ita communiter DD.

Caput IV.

De Restitutione.

Materia Restitutionis plura includit, & continet; & ut ea claritate in hoc opere prætensâ procedam, hoc Caput in plures partes dividam, prout in alijs materijs practicavi.

26. Restitutio *est actus justitiæ, quo damnum proximo datum reficitur*, vel ut alij eam definiunt: *Est actus justitiæ, quo unicuique redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est.* Dicitur *actus justitiæ*, sicut enim peccare contra charitatem, aut alias virtutes extra justitiam! non inducit obligationem restitutionis, ita actus restitutionis pertinet ad justitiam, quæ damnum proximo restaurat. Dicitur etiam, *quo damnum Proximo datum reficitur, vel quo redditur, quod ablatum, vel acceptum est*, ad significandum, restitutionem debere resarcire damnum Proximo allatum, aut rem ablatam in individuo reddendo, aut alia æquivalenti satisfaciendo, ut superius dixi *cap.* 1. *num.* 10. satisfactio autem debet esse *ad æqualitatem*; id est, restituendo tantum in quantitate, & qualitate, quantum fuit damnum injustè Proximo factum.

27. Dicitur etiam *quo redditur, quod ablatum est*, ad differentiam solutionis, aut satisfactionis; quia quando adimpletur aliquod votum, promissio, vel debitum charitatis, aut alterius virtutis non connexæ cum justitia vocatur solutio, & non restitutio, & differt à satisfactione tanquàm inferius à superiori, aut velut species à genere; quia satisfactio latius patet, omnis enim restitutio est satisfactio, quia per ip-

sam satisfit damno Proximo causato; at non omnis satisfactio est restitutio: Nam Pœnitentia est satisfactio pro peccatis, & tamen non est restitutio: satisfactio respicit personam, restitutio rem vel eamdem vel æquivalentem restituendo. Sic Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 7. dub. 4. num. 17. & 18.*

28. Restitutionis obligatio est de Lege divina, & naturali: primum patet ex verbis Christi Domini nostri apud S. Lucam *cap. 20. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.* & D. Pauli ad Rom. *cap. 8. Reddite omnibus debitum.* Secundum constat ex illo generali axiomate: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Dubium est inter Authores, an hoc præceptum restitutionis sit formaliter, aut tantùm virtualiter negativum; quod ad nostrum intentum parum refert discutere: certum est, *quod obliget semper, & pro semper*, sicut alia præcepta negativa, non verò sicut præcepta affirmativa audiendi Missam, orandi, & similia, quæ obligant solùm temporibus determinatis, quibus transactis cessat eorum obligatio; debitum autem restitutionis non cessat, nec decursu temporis, nec alio respectu ex illis, qui extinguunt obligationem per leges alicui diei determinatæ fixas.

29. Quamvis obligatio restitutionis sit de Lege divina, & naturali, ut vidimus; non est tamen necessaria necessitate medij ad consequendam salutem, illud enim est necessarium necessitate medij ad salutem, sine quo salus obtineri non potest, quamvis inculpabiliter omittatur: sed sic est, quòd, quando omittitur restitutio inculpabiliter, possit obtineri salus: ergo restitutio non est necessaria necessitate medij ad consequendam salutem; ad hanc tamen est necessaria necessitate Præcepti; cùm illud dicatur hoc modo necessarium, quòd, si culpabiliter omittatur, salus obtineri non possit: sed sic est, quòd, si culpabiliter omittatur restitutio (intellige in materia gravi) non possit salus obtineri: ergo restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti. Ita Sayrus in Clavi Regia *part. 2. cap. 4.*

30. Tres sunt radices, ex quibus oritur obligatio restitutionis: prima est *ex re accepta*, secunda, *ex injusta acceptione, vel damnificatione*; Et tertia, *ex contractu.* Etiam ad damnum physicè, vel moraliter cooperantes tenentur ad restitutionem, & hi comprehenduntur sequenti versu.

Jussio, consilium, consensus,
palpo recursus. Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

31. *Jussio*; ille, qui imperat: v.g. Dominus servo, Pater filio, Superior subdito.

Consilium, ille, qui suadet suo consilio.

Consensus, ille, qui consentit in furtum

furtum, & ex officio obligatur ad illud impediendum : v. g. Gubernator, qui permittit, & consentit in furta subditorum, Parens filij & Dominus servi.

32. *Palpo*, qui adulatur, & approbat v. g. si Persona aliqua dicat Petro: quam magnanimus esses, si à Joanne talem rem auferres ! aut abhinc discede vir nullius generosi Spiritûs cùm non habeas animum eam auferendi : Si Petrus hoc improperio motus furatur, adulator tenetur ad restitutionem.

Recursus, ille qui custodit, & abscondit rem ablatam.

Participans, ille, qui comitem se addit furi, aut licèt non sit ipsi comes, de re ablata postea participat.

33. *Mutus, non obstans, non manifestans*, illi, qui ex officio tenentur ad impediendum furtum, & non impediunt, peccant contra justitiam, & sunt restitutioni obnoxij : ille verò, qui non tenetur ex officio ad impediendum damnum, licèt non impediat, peccat contra charitatem, sed non contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem.

Pars I.

De Mandante Furtum.

34 P. P. R. me accuso, quòd, datâ occasione in necessitate pecuniæ constitutus, præceperim meo servo, ut aliquam quantitatem furaretur Mercatori diviti. C. V. D. tria peccata specie distincta patravit in hac occasione; unum ratione officij, nempe Domini, à quo obligabatur ad vitandum malum exemplum, alterum ratione injustitiæ contra Mercatorem ; & tertium ratione scandali famulo dati virtuti charitatis oppositi.

35. Nunc mihi dicat, fuitne jam determinatus famulus ad faciendum hoc furtum ?

P. Non P. R. nisi. ego præcepissem, non fuisset furatus.

C. Si famulus se determinasset ad furtum, & absque ordinatione V. D. illud fecisset, duo tantum peccata V. D. imputarentur ; unum propter malum exemplum, quod famulo dedisset ; & alterum propter desiderium nocendi Mercatori ; peccatum verò scandali non commisisset ; quia V. D. non esset occasio peccandi famulo, nec teneretur ad restitutionem : quod universaliter intelligitur de omnibus illis, qui cooperantur ad furtum consilio, jussione, recursu, consensu, &c. Nempe quòd non teneantur ad restitutionem supposità determinatione furis ad furandum, nisi quando participant de re ablata, in quo casu *ex re accepta* restitutioni sunt subjecti.

Si autem famulus juxta dictum V.D. non se determinaverat ad furtum; nec hoc fecisset absque ordinatione V.D. causa efficax furti fuit V. D. & consequenter tenetur ad restitutionem.

36. Di-

36. Dicat mihi; habuitne V. D. vel famulus usum pecuniæ ablatæ?

P. P. R. ego totam pecuniam consumpsi.

C. Si famulus pecuniam consumpsisset, idem principaliter teneretur ad restitutionem, & eo deficiente V. D. tanquàm mandans; est enim communis doctrina, & trita regula, quòd causæ concurrentes ad damnum, teneantur ad restitutionem hoc ordine: primariò tenentur ad restitutionem illi, qui habent in sua potestate rem ablatam, aut eamdem consumpserunt; si hi non restituunt, mandans; & præcipiens furtum debet restituere; & si hic deest, tenetur ipsemet fur, licèt aliàs ex furto nullum lucrum habuerit; loco hujus ille, qui dat consilium; deinde qui abscondit: & tandem, qui non impedivit furtum, cùm tamen debuisset. Bassæus *verb. Restit. 4. num. 27.* & alij.

47. P. P. R. meus famulus hanc quantitatem restituit ex ordinatione Confessarij, cùm ego hoc executioni non mandaverim.

C. In hac materia Regula trita est, quòd, quando causa secundaria restituit, quia primaria hoc non facit, tunc causa primaria debeat satisfacere secundariæ pro quantitate loco ipsius restitutâ. Et hoc positò, cùm V. D. tanquàm causa primaria, & principalis teneretur ad restitutionem, debet satisfacere suo famulo, qui fuit causa secundaria, in eo, quod restituit Mercatori. Et è contra, si causa principalis restituit, omnes alij ab hac obligatione sunt immunes. Est communis, Layman. *lib. 3. tract. 6. cap. 6. num. 3.*

Ex quo principio infertur, quòd si damnificatus remittat debitum causæ principali, omnes alij liberentur ab obligatione restitutionis. Si verò remittit causæ secundariæ, non per hoc primaria eximitur à restitutione.

38. In prima impressione, cum non potuerim ejusdem correctioni assistere, doctrina sequentis numeri confusè fuit posita.

Infertur etiam, quòd, si causa primaria reddatur impotens ad restitutionem, ad hanc non teneantur causæ secundariæ, quamvis possint, quia causæ secundariæ dicuntur substitutæ obligationis primariæ: atqui hæc, quando est impotens, non obligatur ad restitutionem: ergo hæc obligatio non poterit transire ad substitutas; quod enim non subsistit, nequit alteri delegari, obligatio causæ primariæ non subsistit, quando est impotens: ergo hæc obligatio nequit subdelegari, aut transire ad causas secundarias.

39. Pro hujus intelligentia notandum est, causas secundarias esse duplicis generis; aliquæ sunt, quæ fuerunt causæ furti consilio, mandato, participatione, aut quia non obstarunt furto, cùm tamen debuis-

sent

sent ex officio ; & aliæ, quæ sine illo concursu, vel influxu in furtum locum causæ primariæ occupârunt, sicut hæres, qui innocens à damnis allatis à vivente Testatore fit possessor ejus bonorum cum onere solvendi debita, & restituendi quid quid defunctus tenebatur restituere.

Causæ secundæ primi generis obligantur ad restitutionem supposita possibilitate, licèt primariæ non possint ; quia de hoc genere causarum non verificatur, quòd sint substitutæ, nec delegatæ obligationis primariæ ; sed quòd *ex se & absolutè* teneantur ad restitutionem, prout decernit Papa Innocentius XI. in Propositione 39. damnata. Et sic respectu harum non habet locum doctrina posita in dicto numero primæ impressionis.

40. In causis secundarijs secundi generis ; id est, in hæredibus habet locum dicta doctrina, quòd non teneantur ad restitutionem, quando causa primaria redditur impotens, scilicet quando debita, & obligationes excedunt valorem hæreditatis ; ut videri potest in Bonacina *de Contract. disp.* 3. *q.* 17. *punct.* 7. *propè finem.* Quia de istis verificatur, quòd sint substitutæ, & delegatæ obligationis primariæ, quæ est Testator : cùm ergo hic fit impotens ad restitutionem ex insufficientia bonorum relictorum, nec hæres tanquàm causa secundaria erit obligatus (qui non concurrit, nec fuit causa furtorum, & damnorum ipsius) ad restitutionem, vel solutionem horum omnium debitorum : In hoc sensu fui locutus in dicto numero, in quo solùm, & nullo alio modo potest practicari doctrina ibi adducta.

Pars II.

De Cooperante, & Consentiente.

41 P. P. R. dico meam culpam, quòd in mea domo receperim latronem, & sarcinam frumenti furto ablatam pro eodem custodiverim.

C. Antequam hoc furtum faceret, dixitne ipsi V. D. quòd velit in sua domo illud frumentum custodire ?

P. Non P. R.

C. Et si V. D. hoc frumentum non recepisset, aut conservasset, fecissetne Domino ejusdem restitutionem ?

P. Non P. R. sed immediatè illud consumpsisset.

C. Propter verbum *Recursus* tenetur restituere id, quod ante, vel post furtum latro permisit in sua domo, aut si custodivit arma, vel instrumenta furtiva, vel rem ablatam ; sed quãdo ex charitate occultatione incidat in manus justitiæ (si hæc occultatio non sit efficaciter impeditiva restitutionis, aut causa impulsiva continuationis furtorum)

non est obligatio restituendi. Villalobos *part.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 7. *num* 10. Et ratio est, quia cooperans non tenetur ad restitutionem, nisi in quantum est causa efficax furti, aut impeditiva restitutionis: quando accidentaliter susscipit furem, ne fiat captivus Justitiæ, & quando absque hac susceptione non restitueret Domino rem ablatam, non est causa efficax furti, nec retentionis: ergo in hoc casu non est obligatio restitutionis.

Illi, qui obligantur ad restitutionem, & graviter peccant, sunt plures Personæ, quæ occultant modò furtum frumenti, modò alterius rei, & alia, quæ Filij familias furantur eorum Parentibus, servi Dominis, Nepotes Patruis; si enim hi tale refugium non haberent, à suis furtis abstinerent.

42. P. P. R. dico etiam meam culpam quòd consenserim in aliquod damnum, quod factum est.

C. Tenebaturne *ex officio* V. D. impedire hoc damnum? quia si *ex officio* non tenebatur, non peccavit contra justitiam non impediendo damnum, sed contra charitatem, ex quo non resultat obligatio restituendi.

P. P. R. *ex officio* tenebar non dare assensum huic damno.

C. Per hunc assensum fortè intelligit se habuisse complacentiam, quod successerit? quia si ille, qui *ex officio* obligatur *de justitia* ad evitandum aliquod damnum, si hoc contingit absque sua culpa, sed per accidens aliquod, vel culpâ aliorum, licèt de facto damno habeat complacentiam, non tenebitur ad restitutionem, sed solùm peccabit contra charitatem in habendo complacentiam.

P. P. R. antequam succederet consensi.

C. Quo modo hic casus contigit?

P. P. R. contigit in una electione, in qua ex officio debui cum alijs dare suffragium, & cum ijsdem consensi in malam & injustam electionem.

C. Ex hac mala electione sequebaturnè aliquod damnum tertio?

P. Ita P. R.

C. Et alij electores fuerunt ne dispositi ad hanc pernicioſam electionem independenter à voto, & consensu V. D.

P. Ita P. R.

C. Et si V. D. cum illis non consensisset, potuissetne evitari hoc damnum?

P. P. R quia unicum erat meum votum, nec sufficiens ad retrahendos ipsos à malo intento.

C. V. D. manifestavitnè, vel dedit suum consensum, seu votum, antequàm data fuerint sufficienta vota ad hoc malum causandum?

P. Non P. R. quia meum votum fuit omnium ultimum, & pro tunc jam alij suffragium dederant.

43. C. Suppono V. D. graviter peccâsse contra suum officium per injustam, & iniquam electionem; & si

& si potuisset impedire hoc damnum, & secus fecisset, teneretur ad restitutionem; sic pariter, si nondum positis votis sufficientibus expressisset suum consensum, & dedisset suum votum. Ratio est, quia in his casibus V. D. esset causa efficax secuti damni: sed causa efficax damni tenetur ad restitutionem ergo in his casibus V. D. haberet hanc obligationem. Si autem non potuit evitare hoc damnum cum suo suffragio, nec hoc dedit, antequàm esset numerus votorum sufficiens ad causandum malum, licèt graviter peccaverit, non tenetur tamen ad restitutionem; quia in hoc casu non fuit causa secuti damni. Vide Lessium *lib. 2. de Justit. cap. 13. dub. 3. num. 22.*

44. Gravissima sunt peccata, quæ in hoc genere solent patrare plurimæ Personæ. Consiliarij Regij, qui ex adulatione iniquas opiniones, & consilia præbent, & ex pusillanimirate veritatem ingenuè, & sincerè non aperiunt, pernicio sissima mala causant. Ministri Justitiæ. qui in litium decisionibus non operantur cum æquitate, mancipati ab avaritia, dependentia, favore, & vincti à proprijs prætensionibus, plurimarum injustitiarum sunt causa. Alij Ministri publici, qui non rationem, sed quæ sua sunt, quærunt, tanquam propriæ obligationis obliti, gravamina, iniquitates, & scelera ingentia committunt. In Beneficijs quoque Ecclesiasticis non juxta merita subjectorum distributis, sed secundùm passionem, affectum, aut inclinationem electorum plurimæ, & irrationabilis injustitiæ fiunt, dum eliguntur ad Parochias, curas animarum, Capellanias, & alia sacra exercitia non Personæ idoneæ, quæ majori Zelo his officijs fungi possent, sed quæ plura media habuerunt, vel pinguiori Mammona concedentis animum ad sua vota inclinare conati sunt. Et si (quod absit) hæc contagio locum inveniret in electionibus Prælaturarum, quàm lacrymabilis esset miseria? Si Personæ, quæ cognitâ vanitate mundi, & spretis apparentibus bonis in sæculo facilè obtinendis, humilem, & sanctum Religionis statum amplexatæ sunt, turpiter deinde à laqueis periculosis detestabilis ambitionis captæ, subornationibus indignis, medijs irreligiosis, & animo præsumptuoso electiones parum justas solicitarent, nonne casus summè fatalis esset? His, qui hac via pervenirent ad Prælaturam, loquitur Deus per suum Prophetam Oseam. *cap. 8. ipsi regnaverunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognovi.* Regnant, triumphant, imperant, velut Superiores, ast eorum imperium, & gubernium mihi non arridet, quia ad thronum dignitatis non ascendunt per januam planam veritatis, ingenuitatis, & libertatis animi, sed per tortuosos calles prætensionum, & instigationum, nec ego

eorum electionem approbo, aut regimen accepto. *Principes extiterunt, & non cognovi.*

Pars III.

De Participante.

45 P. P. R. dico meam culpam, quòd quadam nocte me associaverim aliquibus amicis, & furati fuerimus duodecim gallinas.

C. V. D. fortè induxit socios ad faciendum hoc furtum?

P. Non P. R. sed omnes simul in hoc convenimus.

C. Si V. D. induxisset, aut fuisset causa concursûs aliorum ad hoc furtum, præter peccatum injustitiæ commissum in furando, aliam malitiam specie distinctam commisisset, nempe scandalum, & teneretur ad restitutionem totius furti, tanquam causa efficax, & principalis. Dicat mihi, si V. D. cum his non concurrisset, fecissentnè hoc furtum?

P. Sine dubio illud fecissent.

C. Si furtum non fuisset factum absque suo concursu, & propter suum concursum V. D. pariter fuisset obligata ad restitutionem in integrum, tanquàm causa principalis. Pro hujus intelligentia notandum est, materiam ablatam posse esse indivisibilem, vel divisibilem. Indivisibilis v. g. armarium, aut cista magna, quæ à duobus, vel tribus non potest elevari sine auxilio quarti: in hoc casu quilibet ex quatuor fuit causa efficax furti: quia si quatus non concurrisset, non poterat auferri. Materia divisibilis est, quando unus sine cooperatione Socij potest eam auferre: v. g. illi, qui furantur fructus, vel gallinas, aut alias res, quarum unusquisque suam portionem accipit, & aufert, & eodem modo posset ferre, si solus esset. Murcia *tom. 1. disq. Mord. lib. 2. resol. 4. num. 12.* & alij.

46. Mihi dicat, quantum abstulit in hac occasione?

P. P. R. ego tantùm unam gallinam valoris duorum regalium.

C. Persona damnificata fuitne valde pauper?

P. Non P. R.

C. In communi sententia, quamvis furtum, ad quod V. D. concurrit, fuerit divisibile, nec fuerit causa efficax illius inducendo alios, peccavit tamen mortaliter per concursum cum socijs, & quilibet tenetur *in solidum* ad integram restitutionem. Vasquez, & alij, quos citat Diana *part. 2. tract. 17. resol. 42.* Concursus enim ad grave damnum Proximi est peccatum mortale: V. D. & quilibet ex alijs concurrerunt ad grave damnum proximi: ergo omnes peccarunt mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Est communis DD. est tamen etiam probabile, quòd V. D. tantum venialiter peccaverit ex suppositione, quòd non fuerit causa efficax furti, & quantitas ablata fuerit levis. Lessius

sius *lib. 2. de Justit. cap. 12. dub. 9. num. 52.* Sanchez *in Sum. tom. 2. lib. 7. cap. 21. num. 22.* & plures alij. Ratio est; quia non intulit grave damnum, nec fuit causa efficax illius: qui non infert grave damnum proximi, nec est causa efficax illius, non peccat mortaliter: ergo V. D. non peccavit mortaliter. Ex quo infertur, eamdem non teneri ad restitutionem integræ quantitatis ablatæ, sed tantùm partis propter dictam rationem, id in terminis affirmant Richardus, Sylvester, & alij, quos citat & sequitur Navarrus *in Sum. Latina cap. 17. num. 20.* & ut probabile tenet Lessius *ubi supra cap. 13. dub. 2. num. 8.* cum alijs.

47. P. Si alij non velint restituere ablatum, manebonè ego obligatus ad restitutionem in integrum?

C. Ita Fili secundum communem sententiam; quia sicut superius dixi, recusante causâ principali restitutionem debet hanc supplere minus principalis, quamvis hæc sit inferioris gradûs alterâ: ergo multò magìs, quando plures æqualiter concurrunt, & inæquali gradu, unus vel alter in defectu aliorum tenebitur ad restitutionem, alij tamen postea erunt obstricti satisfacere V. D. in eo, quòd pro ipsis solvit; & si hoc recusarent, posset occultè se recompensare. Juxta sententiam verò Lessij, & eorum, qui dicunt, quòd tantùm venialiter peccaverit, licèt alij non restituant, tenebitur tantùm suam partem restituere. In hoc particulari Confessarius non rarò exaudiet aliquos auferentes fructus, & alias reculas, à quibus exquirat, an hoc contigerit frequenter, & si gravis sit quantitas, sub peccato mortali tenentur ad restitutionem si materia sit levis, tenentur etiam restituere: sed tantùm sub veniali; restitutio autem facienda est Dominis in individuo notis; nec ad eximendos Pœnitentes à restitutione utantur impositione Sacrorum, & eleemosynarum, sicut multi putant, nisi quando Domini non essent noti, aut ijs restitutio fieri non posset. Hæc doctrina limitatur, quando præsumitur Dominos fructuum non ægrè ferre eorum ablationem, vel huic indulgere, tunc enim cessat obligatio restitutionis.

48. P. P. R. Dominus harum gallinarum obtinuit excommunicationem contra earum fures; alligornè hac Censura?

C. Juxta communem sententiam Theologorum, V. D. comprehenditur in hac excommunicatione; sed si sequi velimus opinionem Navarri, Sanchez, & Navarræ, quos citat Fagundez *in Decal. lib. 7. cap. 14. num. 10.* qui docent, quòd quando tantùm veniale committitur in furto, & solùm sub veniali obligat restitutio, quamvis alia multi concurrerint ad furtum, no incurratur in excommunicationem cùm ergo V. D. tantùm venialite peccaverit, & sub veniali tantùm

teneatur ad restitutionem juxta secundam sententiam supra allatam, excommunicationem non incurrit. Et ratio est, quia Excommunicatio est pœna gravissima, quæ non incurritur, nisi pro culpa gravi, prout asserit communis Theologia: ergo cùm ipsius culpa fuerit levis, in dicta sententia, Excomunicationem non incurrit.

49. Fateor, hanc rationem multum roboris habere, est tamen valde laxa, nec hæc doctrina mihi tuta videtur; quia hoc esset frustrare finem Excommunicationis, posset enim quilibet dicere: Ego modicam quantitatem abstuli, quapropter Excomunicationem non comprehendit ex quo sequeretur, quòd Dominus rei esset graviter damnificatus, absq; eò, quòd ullus sub culpa mortali teneretur ad restitutionem: quod est absurdum. Et sequenti casu moderno tempore in Episcopatu Pampelonensi practicato me explicabo. Ad instantiam Administratoris Hospitalis Pampelonæ à Reverendissimo Nuntio obtenta fuit Excommunicatio ut nullus ludat, vel emat tentoria, præter illa, quæ vendit dictum Hospitale: Hæc Excommunicatio alligat ementes tentoria ab alijs privatis; quia licèt verum sit quòd hæc transgressio, nempe emptio tentorij sit absolutè culpa levis, respectivè tamen ad damnum inde proveniens Hospitali est materia considerabilis, adeóque omnes incurrunt supradictam Excommunicationem.

50. P. P.R. dico pariter meam culpam, quòd nupernâ die invitatus à quibusdam amicis manduecantibus Agniculum, ipsemet in tali Societate comederim; & postea rescivi, quòd fuerit furtivus.

C. Quando V. D. comedit de hoc Agniculo, scivitnè, quòd fuerit furtivus?

P. Non P.R.

C. Si de hoc conscius fuisset, teneretur ad restitutionem portionis à se consumptæ, sed cùm non fuerit conscius furti secundùm communem opinionem tenetur tantùm restituere id, quod in sua domo remansit omittendo prandium, aut Cœnam, eò quòd comederit cum suis amicis. Videatur Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 34. est enim commune principium, quòd de re aliena bona fide consumpta teneatur quis restituere id, *in quo factus est ditior*: v. g. V.D. equum (inscia, quòd fuerit furtivus) quadraginta ducatis, & quinquaginta vendidit, deinde habuit notitiam, quòd fuerit furtivus; decem tantùm ducatos, *in quo factus est ditior*, tenetur vero Domino restituere.

Quamvis probabiliter doceat Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 43. cum alijs DD. de re aliena bona fide consumpta non dari obligationem ullius restitutionis; in hac opinione meo judicio non totaliter improbabili V.D. liberatur ab obligatione restituendi etiam id, quod

in sua domo omittendo Cœnam remansit.

Pars IV.

De Consilium dante.

51. P. P. R. Confiteor, quòd aliquibus latronibus jam determinatis ad furtum agniculi unius pauperculi ex parvulo ipsius grege suaserim, ut non huic pauperi, sed potius alteri viro diviti in vicinis pascuis gregem copiosum habenti agniculum auferrent.

C. Fuitnè furtum contra divitem executioni mandatum?

P. Ita P. R.

C. Quamvis sit generale principium, quòd personæ determinatæ ad patrandum grave peccatum liceat suadere minus grave; hoc tamen intelligitur, quando non cedit in damnum tertiæ personæ: v. g. statuit Petrus furari in comuni centum regales, possum ego in comuni suadere, ut minus furetur Si verò statuit furari Joanni quinquaginta, mihi non licet ipsi dicere, ut furetur viginti Francisco, quia hoc vergit in damnum tertiæ, & determinatæ personæ; & ille, qui simile dat consilium peccat, & tenetur ad restitutionem. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 21.

52. Hanc Lessij doctrinam limitat Villalobos *part.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 7. *num.* 6. §. *Et magis in fine*; quando Petro determinato ad furandum Joanni pauperi 50. datur consilium, ut Francisco diviti minus furetur, in hoc casu ait, non esse peccatum, si rationabilis sit præsumptio, quod Franciscus tanquam dives libentiùs habeat, ut aliquid sibi auferatur, ne pauper damnificetur.

Ego verò limitationem hanc Villalobos tutam non censeo, sequeretur enim, eumdem furem determinatum ad furandum pauperi, si mutata deinde opinione furaretur diviti minorem quantitatem, non peccaturum, nec fore obligatum ad restitutionem; quod est magnum absurdum. Sequelam probo; quia non potest esse furtum, quando Dominus non est rationabiliter invitus: atqui in sententia Villalobos hoc consilium furandi minus viro diviti, quando latro est determinatus ad furandum pauperi, fundatur in præsumptione, quòd Dominus dives non sit rationabiliter invitus: ergo non erit furtum hanc minorem quantitatem auferre eidem diviti quod, ut dixi, est absurdum, ac proinde non admittendum.

53. P. P. R. confiteor etiam, quòd aliquod malum consilium uni præbuerim.

C. Hoc consilium fuitnè in materia contra justitiam, vel contra alias virtutes. Licèt enim peccatum grave scandali sit suadere alicui, ut fornicetur, blasphemet, aut agat contra alias virtutes extra justitiam, non est tamen obligatio restitutionis.

P. P. R.

P. P. R. meum consilium fuit in materia contra justitiam.

C. Materia fuitne cum læsione tertiæ personæ? quia potest contingere, quòd offendatur virtus justitiæ sine obligatione restitutionis: v.g. qui committit peccatum adulterij, agit contra justitiam; & si hoc sit occultum, nec sequatur infamia, non obligatur, ad restitutionem: Uxor injustè negans debitum marito, peccat contra justitiam sine obligatione restitutionis.

P. Materia mei consilij fuit cum damno tertiæ personæ.

C. Ille, cui hoc malum consilium præbuit, fuitnè jam determinatus ad illud furtum faciendum? si enim jam fuisset determinatus, & ipsius consilium non fuisset causa motiva, quamvis peccâsset graviter, non tamen teneretur ad restitutionem; quia non fuit causa moralis, & efficax dicti furti.

P. Non fuit determinatus ad patrandum hoc malum.

C. Ex hoc malo sequebaturnè effectus? si enim nullus effectus fuisset secutus, peccâsset quidem, sed sine onere restitutionis; quia nullum damnum ex suo malo consilio provenisset.

P. P. R. ille exequebatur meum malum consilium.

C. Et post malum consilium datum procuravitnè hoc ipsi dissuadere?

P. Ita P. R. pœnituit me de malo consilio dato, & deinde illud dissuasi.

C. Dissuasitnè antequàm patravit malum, & eo tempore, quo potuisset ab illo divertere?

P. Tempore opportuno, & antequàm peccavit, ab executione eum diverti.

C. Proposuitnè aliquam solidam rationem, & sufficientem ad vincendum influxum, quem in illo causavit suum primum pravum consilium?

P. P. R. feci, quantum potui, ac sufficientissima motiva, & rationes ipsi proposui, ut â malo desisteret.

54. C. Certum est, quòd movens suo consilio, aut inducens aliquam personam ad faciendum aliquod damnum, non solùm peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem; & contraria assertio damnatur tanquàm scandalosa ab Innocentio Papa XI. in Proposit 39. quam explicabo *in tract. hujus operis*. Dubitari tamen potest, an sit liber ab onere restitutionis ille, qui postea retractat suum malum consilium, ejusque executionem personæ dissuadet. Non est dubium, quòd teneatur ad restitutionem, licèt intrinsecè malum consilium retractet, nisi conetur personæ dissuadere: & quòd tam parùm maneat liber ab obligatione, quamvis conetur dissuadere, quando non amplius remediari potest; quia aut malum est in facto esse, aut taliter in fieri, ut non possit diverti: & quando etiam omne medium adhibeatur pro distrahenda persona ab executione mali.

mali antea ipsi propositi, sentiunt communiter DD. per hoc non eximi ab onere restitutionis; licèt enim mandans furtum liberetur ab onere restitutionis, si tempore opportuno, retractet mandatum, & prohibeat ejusdem executionē, quamvis mandatarius hanc novam retractationem observare recuset; non ita tamen accidit in dante consilium, posità etiam ejusdem consilij retractatione. Ratio differentiæ est, quia mandans habens dominium supra personam ex suppositione sibi subjectum omnem influxum priori mandato habitum ad malum, posteriori mandato retractat, & annihilat: in consilio autem, sicut non habet dominium supra voluntatem, & intellectus adhuc convictus, & imbutus remanet dictamine, & rationibus mali consilij; quæ non disperguntur ejusdem retractatione; ideo consiliarius non est liber ab onere restitutionis, licèt conetur sua retractatione primum malum consilium destruere.

55. Hoc non obstantè valdè probabile censet cum alijs Villalobos *in Sum. part. 2. tract. 11. diffic. 7. sub num. 6. §. Et magis.* quòd, si iniquus consiliarius, quantum potuit, conatus fuerit dissuadere, ac novis validisque rationibus à malo divertere, licèt non obtinuerit, quòd persona destitisset à causando damno, maneat liber ab onere restitutionis; quia quamvis verum sit, quòd consilium non habeat imperium supra voluntatem, sed solùm rationibus eam moveat, hæ tamen primæ rationes vincuntur, & disperguntur subsequentibus; & licèt realiter secundæ rationes non ita suadeant bonum, sicut primæ malum; hoc non est imputandum illi, qui efficaciter retraxit à malo consilio, sed illi, qui faciliter adhæsit malo consilio, & difficulter bono, ex hoc patet responsio ad rationem sententiæ contrariæ, & differentia inter mandantem malum, & consiliarium.

56. P. P. R. pariter confiteor, quòd volenti in testamento legatum instituere in favorem cujusdam personæ suaserim, ut institueret in favorem alterius.

C. Habuitne hic Testator aliquam obligationem exjustitia, ita ut mediante dicto legato intenderet satisfacere huic personæ? si enim hoc esset, graviter peccasset eum divertendo suo consilio.

P. P. R. nullam habuit obligationem.

C. Præbuitne hoc consilium ex odio, aut mala voluntate contra Personam à Testatore hoc legato præmiandam? quia in hoc casu ad minimum contra charitatem peccâsset.

P. Eam odio non habui, nec mala voluntate ductus hoc feci, sed quia Persona à me Testatori proposita erat magis egena.

C. Divertitne ipsum dolo, fraude,

aut vi ab intento prius legato in favorem alterius Personæ?

P. Non P. R. sed solùm precibus & rationibus meum intentum, & desiderium ipsi suasi.

C. Ille, qui solùm precibus (dummodo non sint ita importunæ, ut reputentur violentæ) suadet Testatori, ut liberaliter velit potius uni quam alteri Personæ legatum, aut hæreditatem relinquere, non verò odio, aut alio malo fine, non peccat, nec tenetur ad restitutionem; quia Persona, cui Testator liberè vult legatum, aut hæreditatem relinquere, non habet pro tunc actionem, aut jus ad ipsum; si tamen hoc fieret fraude, vi aut precibus importunis, quæ saperent violentiam, in hoc casu graviter peccaret contra justitiam cum onere restituendi legatum, aut hæreditatem Personæ pro priori à Testatore ad eamdem electæ, si fraude, aut violentia ab hac intentione non fuisset remotus; licèt enim talis persona nullum jus, aut actionem habuisset ad hæreditatem, aut legatum, habuit tamen jus, nè aliquis dolo, fraude, aut violentia hoc impediret: ergo, &c. Ita Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 30. diffic. 9. num. 3. & 4.*

Pars V.

De non obstante, aut non Manifestante Furtum.

57 P. P. R. me accuso, quòd in aliqua occasione viderim latrones pergentes ad unam domum furandi causâ, & eos non impediverim propter aliquot regales mihi dono datos, ut tacerem.

C. Hi regales dono accepti, à latronibus fueruntnè furtivi, aut proprij? si enim fuissent furtivi, non potuisset bona conscientiâ illos retinere.

P. P. R. non fuerunt furtivi.

C. Fungitur ne V. D. officio publici Ministri, ratione cujus teneretur impedire hoc furtum? quia non posito tali munere, licèt sit peccatum contra charitatem furto non obstare, cùm possit, non est tamen peccatum contra justitiam, nec obligaretur ad restitutionem præcisè ex eo, quòd non impediverit furtum: an autem hæc obligatio vigeat ex eo, quòd illud non impediverit propter pecuniam dono acceptam dubium est inter Authores. Lessius *de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 11. dub. 10. num. 68.* tenet cum Petro de Navarra, & Salonio, quòd non impediens furtum propter pecuniam à latronibus hoc fine oblatam, & acceptam teneatur ad restitutionem damni ab ijsdem inflicti, quamvis *ex officio* non teneretur illud impedire; quia in hoc casu, ait, non se habet solùm negativè non impediendo, sed positivè concurrit, cùm det ansam latroni ex perceptione pecuniæ pro silentio oblatæ. Contrarium docet cum Soto Villalobos *tom. 2. tract. 11. diffic. 7. num. 12.* cùm enim *ex officio* non teneatur impedire

pedire furtum, quamvis à latronibus pecuniam hoc fine percipiat, solùm peccat contra charitatem non contra justitiam, non impediendo: nec verum est, quòd hoc sit positivè concurrere ad furtum, sed tantùm negativè; supponitur enim, quòd percipiens pecuniam pro non impediendo furto non se detineat tanquàm custos latronum, & nuntius de aliquo attentatu Justitiæ; in hoc enim casu esset verissima, & certa sententia Lessij, quòd positivè concurreret ad furtum, & teneretur ad restitutionem; sed hoc non verificaretur propter non impeditum damnum, sed propter positivum concursum.

P. P.R. ego officio publico fungor, ratione cujus *de Justitia* debuissem hoc furtum impedire.

58. C. Fortè non impedivit ex justo timore mortis, aut alterius gravis detrimenti in propria persona? cum damno enim tam considerabili non tenebatur impedire hoc furtum, quamvis ut Minister *de Justitia* debuisset hoc facere.

P. P.R. nullum habui timorem de aliquo damno à latronibus mihi inferendo.

C. Et potuisset impedire furtum? si enim non potuisset, nulla fuit obligatio, nec habet onus restitutionis.

P. Solo clamore potuissem illud impedire.

C. Et in effectu fecerunt nè latrones furtum in illa domo?

P. Non P.R.; quia dum tentarunt portam aperire ex aliquo audito rumore immediatè se fugæ dederunt absque aliquo illato damno.

C. Si nullum effectivè fuit secutum damnum, quamvis jam quo ad affectum peccaverit contra justitiam ex resolutione non impediendi furtum, non habet tamen onus restitutionis; quia nullum fuit secutum damnum: quòd si hoc contigisset, teneretur ad restitutionem, casu quo latrones damnum illatum non restaurâssent; si autem hi pro consumptione rei ablatæ satisfecerunt, V. D. liberatur ab onere restitutionis; cùm in hoc casu ipsi fuerint causa primaria, & V. D. secundaria: quando autem causa primariò obligata ad restitutionem satisfacit, libera manet causa secundaria, ut dictum est superius in hoc *cap. 4 part. 1. n. 37.*

59. Quo ad verbum *non manifestans* comprehendens omnes ex officio obligatos denuntiare, aut manifestare furtum, & furem, & tamen hoc non adimplent, dico breviter, idem sentiendum, ac de non impediente, aut divertente furtum, ideóque Advocatus, aut Procurator non manifestantes litigantibus justitiam, aut injustitiam litium inchoandarum, peccant contra justitiam cum onere restitutionis, ut fusè dicam *in 2. part. hujus praxis. tract. 15. cap. 3. & seq.* Et in eodem loco differam de obligatione, quam habent Testes, perjurij,

& Accusator non denuntians culpabiles. Hoc verbum *non manifestans* comprehendit etiam Custodes Portuum, Sylvarum, Montium, Agrorum, Fluminum, Lacunarum, aut Vectigalium, qui non manifestant ducentes mercaturas vetitas, aut transeuntes absque solutione præscripti tributi; de hoc tamen loquar *in cap.* 5. *part.* 4. hujus tractatus.

60. Dubium incidet alicui, an Confessarius non revelans Pœnitenti obligationem, quam habet restituendi, ipsemet teneatur satisfacere pro Pœnitente? Ad quod Respondeo, quòd, si Confessarius ex malitia, aut gravi ignorantia dixerit positivè Pœnitenti, ut non restituat, cùm tamen tali onere premeretur, vel injunxerit positivè restitutionem, quamvis ad hanc non teneretur, tunc debeat quærere occasionem admonendi Pœnitentem de hoc errore; si secùs, Confessarius gravatur onere restituendi Creditori, quidquid imposuit Pœnitenti, ut non restituat, aut ut restituat, quod non erat debitum. Ita Suarez & alij penes Leandrum à Sacram. *part.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. Q. 137.

Si verò positivè non injunxerit, ut restituat, aut ut non restituat, sed solùm ex culpabili omissione, aut ignorantia non manifestavit ei obligationem, quam habuit restituendi; quamvis ex charitate teneretur illum admonere (datâ opportunitate) de obligatione, quando Pœnitens putabit se restitutionis onere non esse obstrictum ex eo, quòd Confessarius de hoc nihil fuerit locutus; ut dicit cum alijs Leander *ibi* Q. 138. non habebit tamen hanc obligationem *ex justitia*, neque juxta opinionem probabilem oneri restitutionis succumbet, sive Confessarius sit Parochus, sive Episcopus, sive quiscúmque alius, ut tenet Lessius *de Justit. & Jure lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 1. *num.* 78. & cum Bonaventura, & alijs Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 10. *& in coordinatis tom.* 1. *tract.* 3. *resol.* 22. Quia, licèt Parochus *de Justitia* suis Parochianis sit obligatus; attamen nec ipse, nec alij Confessarij habent obligationem *de justitia* attendendi ad debita temporalia, sed tantum ad bonum spirituale Pœnitentium: ergo, quamvis peccabit contra virtutem Religionis, si ex culpabili omissione, aut ignorantia non manifestat Pœnitenti onus restitutionis; non peccabit tamen contra justitiam cum onere restituendi.

Pars VI.

De Restitutione rerum reportarum.

61 P. P. R. me accuso, quòd quadam die eundo per montem repererim agniculum à grege seperatum, eumque domum portaverim, ubi fuit consumptus,

C. Ad

C. Adhibuitnè aliquam diligentiam pro habenda notitia Domini?

P. Ita P. R. interrogavi, an aliquis grex per illam viam iverit, nullus potuit de hoc me certiorem reddere.

C. Postmodùm cognovitnè, cujus erat ille agniculus?

P. Ita P. R. novi.

C. Quando rescivit, fortè illum jam consumpserat?

P. Ita P. R.

C. Si non potuisset habuisse notitiam Domini posità sufficienti diligentiâ non teneretur ad restitutionem ullius rei, nec ad eleemosynam, nec sacra celebranda ratione hujus reperti agniculi. Sotus *lib. 5. de Justit. Q. 3. art. 1. ad 3.* Petrus de Navarra *lib. 5. cap. 2. num. 59.* Qui docent, quòd inventor alicujus rei, si posità debità diligentiâ non possit certificari de Domino, possit eamdem retinere sine ulla obligatione, nec Missarum, nec aliarum eleemosynarum. Post consumptionem autem rei, si habeatur notitia Domini, id solùm, *in quo factus est ditior*, tenetur restituere: Sic V. D. de hoc agniculo tenetur restituere Domino, id quod ex proprijs in sua domo reservavit.

Si autem non adhibeatur diligentia ut Dominus inveniatur, debet fieri restitutio totius valoris rei inventæ, aut Domino, si habeatur ejus notitia, aut hac non habitâ pauperibus, aut Missis celebrandis, quamvis aliàs jam consumpserit rem inventam, Villalobos *part. 2. tract. 11 disp. 14. num. 2.*

62. Dicat mihi, quantum temporis elapsum fuità die, qua invenit agniculum usque ad notitiam Domini acquisitam?

P. P. R. tres anni & ultra elapsi erant.

C. Dominus agniculi fuitnè ex eadem Regione?

P. Ita P. R.

C. Ergo juxta legem Præscriptionis V. D. libera manet ab onere quidquam restituendi Domino hujus agniculi, licèt eumdem nondum consumpsisset; ita ut qui possidet bona fide & aliquo titulo rem alienam, completis annis à Lege Præscriptionis assignatis potest eamdem retinere, licèt postea fiat conscius Domini, dummodò concurrant omnes aliæ circumstantiæ licitam facientes praxim hujus Legis, Ad Præscriptionem, si bona sunt mobilia, requiruntur tres anni inter præsentes, & quatuor inter absentes; si bona sunt immobilia, requiruntur decem inter præsentes, & viginti inter absentes. Et juxta Legum dispositionem præsentes vocantur illi: qui vivunt intra idem Regnum, aut Dominium; absentes verò, qui vivunt in diversis dominijs: v. g. præsentes sunt illi, qui vivunt in eodem Regno Navarræ, vel Aragoniæ, aut Castellæ; & absentes, quando aliqui vivunt in Regno Navarræ, & alij in Regno

Castellæ, aut Aragoniæ. Et notandum est, quòd bona Ecclesiastica requirant viginti annos inter præsentes, & quadraginta inter absentes.

63. P. P. R. me accuso, quòd invenerim aliam rem unius Personæ defunctæ.

C. Consumpsitnè jam illam?

P. Ita P.R. licèt noverim, quisnam fuerit Dominus.

C. Reliquitne hæredes hæc Persona defuncta? quia si hos reliquit, debet ijsdem fieri restitutio, ut docet Angelicus Doctor S. Thom. 2. 2. Q. 62. *art.* 5. *ad* 3. his verbis: *Si verò sit mortuus ille, cui est restitutio facienda, debet restitui hæredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso.*

P. P. R. scio, quòd non reliquerit hæredes necessarios.

C. Reliquitne hæredes ab intestato?

P. P. R. de hoc non scio.

C. Defuncto rei Domino restitutio facienda est hæredibus necessarijs, aut illis, qui succedunt ab intestato, aut Fisco, aut cuicúmque alteri legitimo successori in jura Defuncti. Si autem nullo ex dictis modis dantur hæredes, restitutio debet fieri pauperibus, aut in pijs operibus consumi. Sic Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 3. *num.* 14. quapropter inquirat, ad quam Personam bona Defuncti fuerint translata, & habitâ notitia eidem id, quod Defuncto debuisset, restituat: Si verò positâ debitâ diligentiâ non possit esse certus de successore, vel hærede, distribuat pauperibus, aut Missas celebrari curet, & consequenter poterit fieri compositio cum Bullis, juxta dicta in hoc tractatu *cap.* 2.

64. P. P. R. me accuso pariter, quòd unum animal laqueo irretitum repererim, quale mecum duxi, & ad proprium usum redegi.

C. Fuitnè hoc animal ex illis, quæ naturâ suâ sunt domestica: ut gallinæ, anseres, &c. quia hujusmodi animalia, licèt interdum domo aufugiant, vel in laqueum, aut rete incidant non possunt capi, sed Domino reddenda sunt *ex instit. de rerum divis.* §. *Gallinarum, & leg. Pompon. ff. de acquir. res Domin.*

C. Fortè fuit ex illis, quæ licèt naturaliter non sint domestica, ars talia facere solet? ut sunt columbæ, cervi, accipitres &c. quia hujusmodi animalia, postquam facta sunt domestica, spectant ad Dominum, qui ea alit, & licèt aufugiant, & incidant in laqueos, debent restitui; dummodo ad antiquum esse sylvestrium, & liberorum non redeant; quod accidit, quando taliter fugiunt, ut prudenti judicio non sit spes eorum reditus ad priorem Dominum, ut dicit Castrus Palaus *tom.* 7. *tract.* 31. *de Justit. in gener. disp.* 1. *punct.* 12. *num.* 2. aut quando ita fugiunt, ut non habeant amplius usum redeundi, ut dicit *Instit. de Rer. divis.* §. *Pavonum, v. In ijs.* Et addit

dit Palaus ibi in fine, posse judicari columbas jam deseruisse suum primũ domicilium, si bis, vel ter non revertantur tempore determinato, & consueto. Advertit etiam Navarrus *in Sum. cap.* 17. *num.* 127. peccare cum obligatione restitutionis illum, qui studio, & arte ponit in columbario frumentum, aut semina ad inducendas columbas ex alienis similibus columbarijs. Hoc tamen non intelligitur, quando finis principalis agentis est alere suas columbas, ne aufugiant.

P. Animal à me in laqueo repertum non fuit ex genere illorum, quæ ars mansuefacere solet.

C. Fuitne ex illis, quæ licèt non fiant mansueta, solent tamen custodiri in aliqua clausura, ut cuniculi, qui solent occludi in aliquo solario, aut area, & pisces, qui in aliqua piscina reponuntur? aufferre enim ita occlusa, quamvis egrediantur de solario, aut clausura, est furtum cum obligatione restitutionis, ut dicit Covarruvias, Villal. *tom. 2. Sum. tract.* 10. *diffic.* 15. *n.* 9.

P. Néque fuit ex hoc genere animalium.

C. Quomodò ergo res se habuit?

P. P. R. fuit una fera indomita, quæ incidit in laqueum pro venatione præparatum, & exinde eam accepi.

C. Laqueus, in quem incidit, fuitne proprius, vel alienus? si enim in laqueum à se positum fera indomita incidisset, clarum est, potuisse eam accipere, & illâ uti: *Quia quæ nullius sunt in bonis, primo occupanti conceduntur.*

P. P. R. non incidit in meum laqueum, sed alterius Personæ, quæ pro venatione eumdem præparaverat.

C. Fuitnè fera ita secura in laqueo, ut non potuerit aufugere?

P. Ita P. R. fuit enim valdè obstricta, ita ut non potuisset se extricare.

65. C. Si fera in laqueum incidens non est secura, sed faciliter potest aufugere, & defacto aufugisset, nisi aliquis comparuisset, tunc non pertinet ad illum, qui laqueum posuit sed ad repertorem feræ; si tamen adeò benè esset secura, ut non posset se liberare; tunc pertinet ad Dominum, qui posuit laqueum, & eidem debet restitui. Ita Castrus Palaus *ubi supra num.* 6. quia per lapsum adeo securum in laqueum jam ille, qui eumdem posuit, acquisivit dominium feræ, aut ad minimum jus; ne aliquis impediret eam accipere: ergo &c.

66. Hinc deciditur, & resolvitur aliud dubium, nempe qui vulneravit feram, quæ deinde ab alio rapta est, erit illius, qui eam vulneravit, dummodò vulnus, seu ictus talis fuerit, ut moraliter loquendo à feriente capi potuisset; si verò propter inflictum vulnus feriens eam non cepisset, sed aufugisset, tunc ad accipientem, & non ad ferientem spectat, quamvis hic ex eo, quòd

quòd fuerit causa ob inflictum vulnus, quòd alter eam capere potuerit, debeat in aliquo recompensari; in dubio autem, an fera fuerit secura, vel non, pro feriente, si alter eam accepit, in hujus favorem ferendum est judicium, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ita Castrus Palaus *supr. num.* 5. videatur etiam Lessius *ubi supr. cap.* 5. *dub.* 10. Villalobos *loco cit. num.* 5. & Navarrus *eodem cap.* 17. *num.* 126. *& seq.*

Quod dictum est de feriente & capiente feram, idem dicendum de capiente & insequente feram canibus, aut alio modo. Addit Castrus Palaus *ibid. num.* 6. *in. fin.* cum Molina, Lessio, & Rebello, quòd, si unus extendat alienum rete, aut præparet laqueum non suum. Et in eodem reti vel laqueo feram aliquam, aut aviculam capiat, utriúsque tam Domini retis, sive laquei, quàm ea præparantis sit captura: Domini quidem, quia mediante suo instrumento, & præparantis, quia suo labore, & industria ad eamdem concurrit.

Pars VII.

De Compensatione.

QUo ad hanc materiam de compensatione supponendum est tanquàm certum, famulis, & famulabus, qui putant sibi deberi majus stipendium ultra id, quod pacto initum est, non esse licitam compensationem de ulteriori mercede, quam putant promereri; hoc evidenter constat ex Decreto Innocentij XI. in Propositi. 37. in qua damnatur tanquàm scandalosa, & improbabilis opinio contrarium asserens.

67. P. P. R. Petrus mihi debebat centum regales, & quia intendebat me non solvere, propriâ authoritate æquivalens accepi de ipsius vino in mea domo depositi.

C. Debitum fuitnè certum?

P. Ita P. R.

C. Fuitnè elapsum tempus, quo Petrus debuisset hos centum regales solvere?

P. Ita P. R. imò plus temporis fuit elapsum.

C. Et V. D. accepitnè ultra sibi debitum?

P. Non P. R.

C. Concurrentibus ergo his circumstantijs licita fuit compensatio. Ita communiter DD. qui docent, quòd, quando debitum est certum, & tempus solutionis jam advenit, licita sit compensatio accipiendo sibi debito, & non ultra.

68. Aliqui Doctores limitant hanc doctrinam dicentes, necessarium esse ad licitam compensationem, ut vi justitiæ non possit suum haberi. Ego tamen probabile existimo, hoc non requiri, sed quòd concurrentibus circumstantijs de certitudine debiti, de consensu termini, in quo debitor tenebatur solvere,

solvere, possit creditor propriâ authoritate se compensare. Idem sentiunt Malderus, & Vallerus, quos citat, & sequitur Diana *part. 2. tract. 16. resol. 46.* Remigius *in Sum. adjunct. tract. 6. cap. 7. §. 1. num. 2.* Et ratio est, quia hic non gravatur proximus, illud enim solùm accipitur, quod ipse debuit: nec alicui scandalum datur, cùm occultè fiat compensatio: nec fit injuria justitiæ, siquidem hic non agitur de re *nova* acquirenda, sed de retinendo omne id, quod suum est: ergo non est ratio, propter quam illicita sit compensatio propria authoritate facta.

69. Limitant quoque hanc doctrinam, Sylvius, Medina, & alij citati à Diana dicentes, quòd rerum depositarum non possit depositarius facere compensationem: V. D. fuit depositarius hujus vini: ergo non potuit cum eodem se compensare. Hoc non obstante Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 10. num. 60.* cum Sa putat, hanc limitationem habere locum tantùm in foro externo; sed in foro conscientiæ posse fieri compensationem, licèt sit de depósito: idem affirmat Villalobos *loco cit. n. 3. in fine.*

70. Verùm, ut benè advertit Diana *ubi supra*, & Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 5. dub. 5. num. 7.* necesse est, ut V. D. admoneat debitorem de sibi facta compensatione, & solutione debiti: tum quia potest contingere, quòd nullâ visâ petitione putet V.D. rem oblivioni mandâsse, & simul omittat solutionem mala fide, & noxâ suæ conscientiæ; tum quia, si V.D. è vita decederet, debitor inscius hujus compensationis, & satisfactionis probabiliter ad solutionem se disponeret; ex quo duplex in idipsum solutio resultaret. Una tantùm difficultas in hac materia compensationis adductæ occurrit, quæ ad plura resolvenda inserviet, & per sequentes interrogationes eamdem dilucidabo.

71. Dicat mihi V. D. quale fuit pretium vini tempore suæ compensationis?

P. P. R. trium regalium.

C. Et quo pretio V. D. pro sua recompensatione illud sumpsit?

P. Pretio currenti trium regalium.

C. Suppositè, quòd crevisset pretium vini?

P. Ita P. R. & de facto illicò ascendit ad quatuor regales.

C. (*Attende ad hanc interrogationem, in qua punctum difficultatis consistit*) Dicat mihi servâssetnè Dominus hoc vinum usque ad augmentum pretij, vel mox vendidisset?

Quandoquidem si Petro duas mensuras frumenti, aut viginti pondera vini furto subduco, quæ ipsemet úsque ad tempus augmenti pretij servâsset, non tantùm teneor restituere valorem frumenti, aut vini pro tunc currentem, sed etiam illud incrementum, ad quod perveniisset vinum aut frumentum tempore,

quo Petrus illud vendidiſſet. Econtra, ſi hoc vinum, aut frumentum à me ablatum Petrus vendidiſſet currenti pretio, ego verò illud ſervem úſque ad augmentum pretij, poſſum retinere illud augmentum ex vino habitum, & ſatisfacio reſtituendo Petro ſuam rem juxta pretium ſtatutum pro tempore, quo Petrus vendidiſſet. Bonacina *de reſtit. diſp.* 1. *Q.* 3. *punct.* 11. *num.* 9. quia lucrũ illud fuit fructus meæ induſtriæ absque ullo damno Petri: ergo non teneor illud reſtituere Petro, ſed poſſum idem mihi appropriare, reddendo pretium correſpondens tempori venditionis.

72. P. P. R. verè neſcio, utrum Dominus vendidiſſet vinum, vel diutius illud ſervâſſet.

C. In dubio, an Dominus ſervâſſet vinum úſque ad tempus augmenti pretij, eſt communis opinio DD. totum lucrum, quale Dominus poſſet habere, reſtituendum eſſe. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 16. *num.* 109. Et ratio eſt; quia melior eſt conditio poſſidentis; Dominus eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis vendendi vinum tempore cariori pretij: ergo in ipſius favorem debet ferri judicium. Nihilominus valde mihi placet medium à Diana relatum, *ubi ſupra reſol.* 52. ubi ait, in hoc caſu dubij nec eſſe æſtimandam rem currenti, nec ſummo pretio, ad quod poſtea aſcendit, ſed horum medietatem eſſe tenendam: v. g. vinum pro tunc conſtabat tribus regalibus, deinde quatuor, in facienda reſtitutione tribus, & medio æſtimandum eſt ſuppoſito dubio, an Dominus intendat, vel non intendat illud ſervare.

Sed ad formandum judicium, an Dominus ſervâſſet vinum úſque ad augmentum pretij, dicat mihi reſiduum ſui vini vendiditnè ſtatim?

P. P. R. ſervavit illud úſque ad augmentum pretij.

C. Eſt igitur ſufficiens fundamentum judicandi, quòd, ſicut ſervavit reſiduum, ita quoquè id, quo V. D. fecit compenſationem, ſervâſſet.

73. Suppoſitis his principijs propono ſequenti argumento difficultatem. Fur tenetur reſtituere non tantùm rem ablatam, ſed etiam illud lucrum, quale Dominus ex rei venditione altiori pretio percepiſſet: ergo etiam ille, qui ſe recompenſat, debet reſtituere ſuo Domino idem lucrum ceſſans. Conſequentiam probo; ideo fur tenetur reſtituere lucrum, quia fuit cauſa efficax ceſſationis lucri ſuo Domino: atqui, etiam ille, qui ſe recompenſat in dicto caſu, eſt cauſa efficax hujuſmodi ceſſationis: ergo ſicut fur, ita ille, qui ſe recompenſat, tenebitur ad reſtitutionem lucri.

74. Non invenio in terminis caſum apud AA.; opinor tamen, quòd ille, qui ſe recompenſat (concurrentibus circumſtantijs ſupra relatis *num.* 67. quæ faciunt licitam compen-

compensationem) non teneatur restituere Domino lucrum, quamvis pro certo sciat, hunc servaturum vinum usque ad augmentum pretij.

Et hoc probo doctrinâ à Diana, & alijs DD. allata *part.* 8. *tract.* 7. *resol.* 17. qui docent, debitorem posse anticipare solutionem debitam determinato tempore, licèt hæc anticipatio sit contra voluntatem, & in damnum creditoris: v. g. Petrus debet Joanni centum regales solvendos die S. Michaëlis, Petrus scit monetam esse minuendam, potest Petrus ante hujus diminutionem, licèt completus non sit terminus, solvere Joanni hos centum regales: & quamvis totaliter non approbem hanc opinionem Dianæ indubium tamen est, quòd in die S. Michaëlis, (qui est assignatus terminus) possit Petrus solvere Joanni centum regales, licèt sciat sequenti die monetam esse minuendam: Nunc sic pono argumentum: ideo Pettus potest solvere Joanni die determinatâ centum regales, licèt hæc solutio vergat in detrimentum Joannis, quia termino præsenti Petrus habet obligationem solvendi, & Joannes Jus, ut Petrus eum solvat: atqui in casu compensationis debitor habet obligationem solvendi & se recompensans actionem, ut solvatur: ergo, si vi hujus actionis, aut juris non teneatur Petrus debitor satisfacere Joanni pro detrimento monetæ derivato ex solutione pro tali die, in qua moneta est summo pretio, neque ille, qui se recompensat, tenetur resarcire Domino lucrum vini, quo se recompensavit.

Ad argumentum in contrarium supra propositum respondeo, magnam esse differentiam inter furem, & se recompensantem; quia fur injustè aufert Domino lucrum futurum; at ille qui se recompensat, utitur suo jure nullámque injustitiam, aut gravamen infert Domino vini: nullo enim gravamine, aut injustitiâ illatâ, nullum est onus restitutionis: ergo &c.

75. Contra hanc doctrinam potest argui cum opinione communi Lessij, Navarri, & aliorum apud Bassæum *verb. Restit.* 5. §. 1. *num.* 3. docentium, licere debitori differre solutionem, quando ex illius executione aliquod damnum ipsi advenit: In hoc casu advenit damnum debitori vendendo suum vinum minori pretio: ergo potest licitè differre solutionem: ergo creditor non habet actionem ad compensationem pro tunc cum damno debitoris. Probo consequentiam; est incompossibile, quòd duo eodem tempore habeant actionem ad eamdem rem, unus ad solutionem passivè, alter ad negationem solutionis activè, seu unus ad sibi solvendum, alter ad non solvendum; aliàs posset verificari justa pugna respectu duorum contrariorum eodem tempore: ergo &c.

76. Huic objectioni facilis est re-

ſponſio cum communi doctrina adducta à Navarro, Petro de Navarra, & Majore, citatis, & ſecutis à Layman *lib.* 3. *Seſſ.* 5. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. qui docent, quòd quando ex dilatione ſolutionis advenit idem damnum creditori, quod debitori, debeat præponi damnum creditoris, & debitor teneatur ſuccumbere cum ſuo damno: atqui in præſenti caſu idem damnum adveniret creditori, quod debitori: ergo hic immediatè tenetur ad ſolutionem. Probo minorem; damnum adveniens debitori eſt privatio lucri futuri ex venditione vini majori pretio; hoc idem damnum pateretur creditor: ergo &c. Major eſt certa, Minor probatur: ſi creditori ſolveretur ſuum debitum, tunc poſſet hac pecuniâ ſuæ familiæ providere de vino infimo pretio, quale deinde emptus eſſet altiori: ſecundò, poſſet hac pecunia emere quid modici valoris, & deinde altiori pretio vendere, dato ejuſdem augmento: ergo idem damnum adveniens debitori ex ſolutione advenit creditori ex negatione ſolutionis,

77. Nec etiam obſtat doctrina Sylvij, & aliorum apud Dianam *part.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 46. qui dicunt, non licere compenſationem in re diverſæ ſpeciei ab illa ſibi debita: v. g. Petrus debet frumentum, non poteſt fieri compenſatio in vino: atqui debitor debebat creditori tantùm pecuniam: ergo non potuit ſe compenſare in vino, tanquàm re alterius ſpeciei: *Servata æquitate inter pretium, & ſolutionem.* Ita docet cum Petro de Navarra, Vallerus *in different. utriuſque fori Verb. compenſatio diff.* 3. *num.* 1.

Advertentia.

In hac materia compenſationum occultarum Confeſſarius in multis inveniet aliquem exceſſum: aliqui enim absque certa ſcientia debiti, ſed ſolùm ex ſuſpicione, quòd aliquod damnum, vel gravamen fuerint paſſi, occultè ſibi aliquid appropriant: alij, qui ſtante certo debito in compenſationem æquo plus accipiunt, non comparantes debitum cum ſatisfactione; & alij ſunt, qui datâ amiſſione, vel furto alicujus rei ipſis facto, licèt pro certo non ſciant, quisnam fuerit damnificans, huic tamen tanquàm ſuſpecto aliquid accipiunt. In his, & ſimilibus caſibus non eſt licita compenſatio; ſiquidem non concurrunt conditiones, quas ſupradiximus *num.* 67. eſſe neceſſarias ad licitam compenſationem: Admoneo igitur PP. Confeſſarios, replicatâ experientiâ mihi Magiſtra, ut auditâ in confeſſione aliquâ compenſatione advertant ad fraudes, & deceptiones, quæ in hac materia committi ſolent.

Pars VIII.

De Restitutione ex injusta Damnificatione.

78 P. P. R. dico meam culpam, quòd in quadam occasione duxerim meos greges in pascua posita in alieno monte, ubi post dispersionem seminatũ comederunt.

C. Duo notanda sunt in hoc casu: primum, an liceat greges pascere *in* monte, vel prato alieno; secundum, damnum causatum ab armentis in seminato.

Quo ad primum dico, non esse culpabile pascere greges in pratis, aut montibus alienis, quando hi montes, aut prata non sunt clausa; & consequenter non datur onus restitutionis. Ita Bannes, & Ledesma, quos citat, & sequitur Villalobos *part.* 2. *tract.* 10. *diffic.* 19. *num.* 7. Idem dicendum de illo, qui scindit ligna in alienis montibus apertis, quòd non peccet, nec teneatur ad restitutionem: v. g. quando duo loca habent suum montem separatum, & habitatores unius loci scindunt ligna in monte alterius, & è contra, non peccant, nec tenentur ad restitutionem. Lessius *lib.* 8. *de Justit. cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 55. At si mons spectaret ad aliquam privatam personam, esset peccatum cum onere restitutionis, leve, aut grave juxta damnum illatum.

79. Idem dicendum de eo, qui piscatur, aut venatur in monte, aut communi fluvio, quòd nec peccet, nec teneatur, ad restitutionem. Villalobos *ubi supra diffic.* 17. *num.* 1. & 2. Ratio omnium harum resolutionum est, quòd leges prohibentes pascua in pratis, absciss ionem lignorum in montibus, piscationem in fluvijs, & venationem in sylvis, quando hæc spectant ad aliquam communitatem, sint leges pœnales, quæ post sententiam Judicis obligant ad solutionem: atqui probabile est, leges pœnales non obligare in foro conscientiæ, unde de Legibus mere pœnalibus dicit Navarrus *in Manual. cap.* 23. *n.* 55. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *Q.* 4. Et alij. Et etiam de mixtis, id est præceptivis, & pœnalibus id affirmat cum Villalobos, Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 20. quod totum videri potest in meis Collationibus Moralitract. 3. *Collat.* 6. *per totum*, ubi ex professo de hac materia tracto. ergo Leges prohibentes piscationem venationem, pascua &c. in montibus aut fluvijs communibus, & alienis in modo dicto non obligant in conscientia.

80. Ad resolvendam secundam difficultatem casus propositi suppono, Theologos duo genera culparum distinguere, unum Theologicum, aliud Juridicum: culpa Theologica est actio, aut omissio, in qua intervenit peccatum, seu offensa Dei: culpa juridica est omissio aliqua, in qua absque peccato prævenire aliquam diligentiam negligi-

tur, ex qua omissione deinde aliquod damnum sequitur. Ad hoc ut injusta damnificatio inducat obligationem restitutionis, non sufficit sola culpa juridica, sed requiritur, ut concurrat etiam culpa Theologica.

81. Hoc supposito interrogo: ligastisnè, & innodâstis greges, nè inferrent aliquod damnum?

P. Non P. R. sed permisi eos liberos.

C. Prævidistisnè, quòd, si liberi permitterentur, possent inferre damnum in seminatis?

P. P. R. nihil simile cogitavi.

C. Contigitnè anteeedenter, vestros greges aliquando similia damna intulisse?

P. Non P. R.

C. Vestra omissio alligationis gregum non fuit culpa Theologica, ad hanc enim requiritur peccatum: hoc non potest committi sine advertentia damni: ergo &c. fuit tamen culpa juridica vestra omissio ob prædictam negligentiam: cùm enim non præcesserit culpa Theologica, ad hæc damna resarcienda non tenemini, ut ante dixi *num.* 80. hoc docent etiam Sanchez *in Sum. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 23. *n.* 160. Molina & alij Idem tenet Azor. 3. *part. lib.* 4. *cap.* 8. §. *At primæ.* Lessius *lib. cap.* 7. *nam.* 24. & 25. Et licèt hoc damnum processisset ex culpa veniali Theologica, si peccatum mortale non attigisset, non haberetis obligationem restituendi *etiam sub veniali* Caspensis *tract.* 18. *disp.* 1. *sect.* 6. *n.* 61. Sanchez *loco cit.* & alij. Inter obligationem enim, & ejus fundamentum debet esse proportio: atqui obligatio resarciendi grave damnum ex injusta damnificatione causatum est res gravis: ergo quando culpa est tantum levis, nulla erit similis obligatio.

82. Molina tamen *tom.* 3. *disp.* 713. in proprijs terminis tangens casum nostrum docet, damnum causatum ab armentis absque culpa Domini, aut â filio, vel famulo absque culpa Parentis, & Heri, nec Herum, nec Parentem, nec Dominum obligare ad restitutionem; cùm hæc obligatio oriatur aut *ex re accepta:* v. g. ex lucro obtento ex re aliena; aut *ex iniusta acceptione*, ad quam requiritur causa culpabilis Theologica damni: neutrum verificatur, quando animalia absque culpa Domini aliquod damnum inferunt: ergo non est obligatio restitutionis.

83. Contra prædictam doctrinam unica difficultas adferri potest, quæ fundatur in opinione asserente, leges poenales obligare in Conscientia: ut sentiunt Suarez, Azor. & alij citati â Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 17. juxta quam opinionem vos deliquistis ducendo greges ad pascua alieni montis: ergo contraxistis obligationem resarciendi damnum factum â gregibus in seminatis. Probo consequentiâ, quia dans *operam rei illicitæ* est causa alicujus damni

damni, consequenter tenetur ad restitutionē: in illa opinione, quæ vos condemnat peccati, pascua præbendo gregibus in monte alieno deditis *operam rei illicitæ*: ergo tenemini restituere damnum causatum in seminatis.

84. Respondeo (quamvis majorem hujus syllogismi aliqui probabiliter defendant) cum distinctione ejusdem: ille, qui dat *operam rei illicitæ* tenetur ad restitutionem damni exinde secuti, si hoc damnum per se proveniat ex eadem operâ illicitâ: v. g. damnum causatum â gregibus in monte, concedo: si damnum per accidens exinde resultet: v. g. quòd greges conculcarent, vel de seminatis manducarent, nego majorem. Minor est vera, supposita opinione Suarez, licèt superius contrarium secutus fuerim. consequentiam nego cum Molina, Navarro, & alijs, quos citat, & sequitur Bassæus *verb. Restit. 1. num. 8.* Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 5. §. supra dictis.* Et hoc exemplo me explicabo: In domum aliquam nocturno tempore fur intrat, fert lumen, pro perlustrandis angulis, & accidentaliter non advertens ignis accenditur, per lignum, aut stramen, & tota domus comburitur: hic, licèt daret *operam rei illicitæ*, tenetur tantùm restituere, quod furatus est, non verò damna combustionis, quia hæc acciderunt *præter intentionem.*

85. Et dato etiam casu, quòd haberetis obligationem restituendi damna seminati, hæc tamen obligatio non se extenderet ad totum id, quod Dominus collegisset tempore messis, sed solum ad id, quod pro tunc æstimabatur, vel spes collecturæ potuit promittere. Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 11. dub. 19.* quia bona sperata minùs æstimantur, quam possessa: sed sic est, quòd hoc seminatum fuerit bonum in spe: ergo & minus æstimandum, quàm si esset in possessione.

86. P. P. R. dico meam culpam, quòd uni Mercenario fuerim furatus manubrium securis cum intentione restituendi ipsa die sequenti, & in loco mei domicilij fuit Excommunicatio lata contra fures.

C. Ex ablatione illius manubrij debuitnè operarius abstinere per totam diem â labore?

P. Ita P. R.

C. Dicite mihi, pauperculus hic operarius fortè diurno labore aluit suam familiam?

P. Ita P. R.

C. Omnium primò accipere rem alienam cum intentione eam immediatè restituendi suo Domino, non est furtum, nisi ejusdem privatio hoc brevi tempore Dominum damnificet. Ita docet Granadus apud Dianam *part. 3. tract. 6. resol. 25.* cùm ergo ex ablatione illius manubrij securis provenerit amissio mercedis diurni laboris, & alimenti suæ familiæ (quod respectivè ad personam adeo pauperem fuit grave damnum)

hac

hac de causa mortaliter peccâstis hoc securis manubrium accipiendo.

87. Excommunicationem tamen jam in loco promulgatam contra fures non incurristis, quia in vestro furto duo sunt consideranda: primum ratio furti, secundum ratio damni ex furto orti: actio in ratione furti fuit peccatum veniale, in ratione damni fuit mortale; cùm enim Excommunicatio fuerit promulgata contra fures, & non contra damnificantes, commissumque furtum in ratione furti fuerit leve, non potestis ergo in currere pœnam Excommunicationis, quæ est gravis, & cùm sit gravis, requirit peccatum mortale.

Aliud esset, si Excommunicatio fuisset lata contra damnificantes Proximum, in hac enim suppositione Excommunicationem incurrissetis propter furtum instrumenti ad lucrandam mercedem diurni laboris huic pauperi necessarij, quod gravis damni causa fuit. Et ratio est, quia in hoc casu, quamvis materia furti fuerit in se levis, damnum tamen fuit grave: ergo si Excommunicatio lata fuisset contra damnificantes, sine dubio incurrissetis eamdem; cùm enim fuerit grave damnum, & culpa in ratione damni gravis, fuit materia & peccatum sufficiens pro incurrenda pœna gravi, qualis est Excommunicatio major.

Pars IX.

De causis excusantibus à restitutione.

88. P. P. R. me accuso, quòd ad huc non restituerim aliquid à me furto acceptum.

C. Dominus rei remisitnè ipsi liberè debitum? Dixi *liberè*, quia si violenter hoc feciſſet, remissio nulla esset: Dixi etiam *Dominus*, quia si ille, qui remittit non est Dominus rei, sed tantùm particeps, non est valida remissio, nec condonatio.

P. P. R. Dominus nullo modo remisit mihi debitum.

C. Ablatum fuitnè aliquid, quod absque amissione boni nominis, sanitatis, aut vitæ non potuit restituere? Non enim est obligatio restituendi bona fortunæ cum amissione, seu detrimento notabili famæ, sanitatis, aut vitæ, quæ sunt bona ordinis superioris, & majoris æstimationis, quàm bona fortunæ.

P. P. R. absque præjudicio bonorum potuissem restituere?

C. Fortè ex certa scientia, quòd Dominus rei in altera re æquivalenti fuerit ipsi debitor, omisit restitutionem? quia per modum recompensationis posset omitti restitutio, ut dictum est supra *part. 7. num. 67.*

P. P. R. nec Dominus rei à me ablatæ fuit aliquo modo mihi debitor.

C. Ne-

C. Neglexitnè restitutionem, quia hac positâ novit præjudicium aliquod creditori eventurum? Etenim si ex rei restitutione posset sequi aliquod damnum creditori: v. g. quòd eâ uteretur pro emendo vino ad se inebriandum, aut pro alijs similibus malis, tunc possum, & interdum teneor differre restitutionem, úsque dum cessat hoc inconveniens.

P. P. R. ex restitutione non timui secuturum hoc inconveniens.

C. Solvitnè æquivalens alicui creditori hujus Personæ, cui furto accepit? quia si Petrus debeat Joanni centum, & ego Petro centum, solvens Joanni centum, quæ debuit ipsi Petrus, in foro conscientiæ sum liber à solvendo Petro illa centum, quæ pro ipso solvi Joanni ejus creditori, ut cum Sylvestro dicit Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 16. *dub.* 5. *num.* 60.

P. P. R. nulli æquivalens rei furtivæ solvi.

89. C. Omissio restitutionis fortè provenit, quia ex ignorantia Domini rei ablatæ fecit compositionem cum Bullis, aut cum aliquo Superiore? Etenim si, dum bona sunt incerta, fiat cum Bullis, aut alio modo legitimo compositio, licèt postea habeatur notitia Domini rei, non est obligatio restitutionis, ut videri potest apud P. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 6. Qui quamvis loquatur ibi de bonis possessis bona fide, eadem tamen paritas currit in nostro casu. Et ratio est, quia si Dominus ignoretur, aut bona sint incerta, tota quantitas debita Domino dispensatur pauperibus; durum esset postmodum obligari ad ejusdem restitutionem comparente Domino; esset enim unius rei bina restitutio: Sed sic est, quòd compositio facta cum Bulla æquivaleat in foro conscientiæ restitutioni faciendæ pauperibus: ergo facta compositione cum Bulla ex ignorantia Domini, aut incertitudine bonorum, quamvis idem postea compareat, nulla erit obligatio restitutionis in foro conscientiæ. Insuper Pontifex in casu incertitudinis bonorum habet dominium excellentiæ super hujusmodi bona, & potestatem transferendi eorum dominium, quæ potestas conceditur in Bulla compositionis: ergo &c.

P. P. R. nullam feci compositionem cum Bulla, nec alio modo, quia semper novi verum Dominum rei à me ablatæ.

90. C. Fortè fuit in necessitate extrema constitutus, qua durante certum est, non dari obligationem restitutionis: quin imò multi Authores sentiunt, necessitatem quoque gravem tempore suæ durationis excusare ab obligatione restitutionis: quod non reprobatur in Propositione 36. damnata ab Innocentio XI. admittente furtum in gravi necessitate; quia hæc propositio non loquitur de casu non re-

ſtiruendi, benè verò non ſurandi, qui ſunt caſus diverſi; ut habet R. P. Torrecilla ſuper hanc Propoſitionem *tract.* 5. *Conſul.* 10. *num.* 78.

P. P. R. nec in extrema, nec gravi neceſſitate fui conſtitutus, quarum alterutra me cogeret ad differendam reſtitutionem.

C. Quo motivo ergo eamdem diſtulit, vel neglexit?

P. P. R. quia non potui reſtituere, niſi vendidiſſem aliqua grana pro tunc pretio infimo vendibilia, quorum altius pretium adhuc ſpero.

C. Illius rei Dominus patiturne aliquod damnum, vel neceſſitatem ex hujus reſtitutionis dilatione?

P. Non P. R.

C. V. D. juſtam habet cauſam differendi reſtitutionem; quæ quando ſine notabili damno non poteſt fieri, ſemper poteſt protrahi uſque dum ceſſet tale damnum: in noſtro caſu V. D. non poterat reſtituere absque notabili damno ſecuturo ex venditione grani minori pretio: ergo potuit juſtè differre reſtitutionem uſque ad incrementum pretij: hoc limitatur, quando creditor ex dilatione reſtitutionis paſſurus eſſet æquale damnum, in hoc enim caſu deberet fieri reſtitutio, etiam cum damno debitoris. Ita Villalobos *in Sum. tom.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 20. *n.* 7. & 8.

Idem dicendum in caſu gravis neceſſitatis, nempe, quòd, ſi creditor ex dilatione reſtitutionis gravi prematur neceſſitate, ſit facienda reſtitutio, licèt eamdem debitor ſubeat: aliæ dantur cauſæ excuſantes à Reſtitutione, quæ poſſunt videri apud Leſſium, & Villalobos *locis citatis*, & apud alios Authores, éásque omitto, quia relatæ ſunt magìs ad praxim.

CAPUT V.

De Contractibus.

ALtera radix, ex qua oritur etiam onus, & obligatio reſtitutionis, eſt Contractus, cujus materia, cùm ſit tam diffuſa & extenſa, graves, & plurimas difficultates patitur. Quare ut procedam cum diſtinctione in hoc opere intenta, illud tantùm, quod eſt magìs practicum, & neceſſarium, tangam, pro majori claritate hoc caput in partes dividendo.

91. Et in primis ſuppono Contractum definiri, quòd *ſit pactum, ex quo ultrò citróque oritur obligatio*; id eſt: contractus eſt pactum, vel conventio duorum vel plurium inter ſe, ex quo utrinque oritur obligatio; vel ut ipſum definit Aragonius 2. 2. *Q.* 77. *art.* 1. *Contractus ſit actus Juſtitiæ commutativæ utrámque partem colligantis.* Dicitur *actus Juſtitiæ commutativæ*, non diſtributivæ, nec legalis; quia Juſtitia diſtributiva eſt totius ad partes: nempe Superioris nomine Reipublicæ rei cum æquitate juxta merita partientis; legalis autem eſt partium ad totum:

totum: nempe quando subditi subministrant Reipublicæ aliquod tributum: Justitia verò commutativa est partis ad partem, & hæc exercetur in Contractibus, in quibus una pars alteri obligatur.

92. Aliqui contractus sunt onerosi, alij gratuiti, vel lucrativi: onerosi illi dicuntur, quibus ex utráque parte inducitur obligatio, ita ut obligationi unius correspondeat obligatio alterius partis; ut in emptione, & venditione, in qua emptor se obligat ad largitionem pretij, & venditor ad dandam mercem, contractus quoque mutui, censûs, & alij, in quibus ambæ partes gravantur, sunt onerosi: Contractus gratuiti lucrativi dicuntur illi, qui in utilitatem, & profectum unius partis redundant alterâ obligationi subjectâ, ut in promissione, & donatione, in qua unus recipit rem, quam liberè promittit, aut donat alter.

Aliqui Contractus dicuntur nominati, alij innominati: innominati dicuntur, qui proprio, & specifico nomine carent, & sistunt in vocabulo generali Contractûs, pacti, vel commutationis, hujus quatuor sunt modi, & velut species: Primus est, *do, ut des*, do vinum, ut des frumentum, do pecuniam, ut des utensilia: Secundus, *ut facias*: v. g. do frumentum, ut colas mihi vineam, &c. Tertius, *facio, ut des*: colam tibi vineam, ut des mihi frumentum, &c. Quartus, *facio, ut facias*: colam tibi vineam, ut pascas mihi oves, reficias mihi domum, ubi nomine facere etiam non facere comprehendi debet: v. g. do tibi frumentum, ut desistas à lite, & nè accuses me, &c.

Contractus nominati illi dicuntur, qui non sistunt in nomine generali contractus, vel pactionis, sed transeunt in proprium, & specificum nomen, ut emptio, venditio, locatio, societas, Commodatum, depositum, Sponsalia, Matrimonium, &c. discrimen autem est inter utrósque contractus, quòd in nominatis immediatè post eorum celebrationem oriatur obligatio illos adimplendi: sed in innominatis hæc obligatio non habetur in foro externo, úsque dum una ex partibus adimpleat obligationem. Alij Contractus dicuntur *bonæ fidei*; alij *stricti Juris*; quorum differentiæ notitia, licèt interdum possit esse necessaria pro foro interno, præcipuè tamen inservit pro foro externo, ideóque hos prætereo remittens lectorem ad Instituta *de Act* §. *Actionum autem. Et in* Glossa *ibi verb. bonæ fidei.*

93. In aliquibus Contractibus transfertur dominium plenum, in alijs solùm dominium utile, seu usus rei; aliqui sunt utiles pro ambobus contrahentibus; alij uni soli; in aliquibus est obligatio recompensandi damna *ex lata culpa*, in alijs *ex levi*, & in alijs *ex levissima*; de quibus omnibus mox differam numero

95. 96. 97. ubi ab initio cujuscúnque contractus assignabitur ordinatim ejus definitio, & explicatio. Et ut incipiam à locatione, dico, locatio *est contractus oneroſus, quo res, vel persona conceditur ad usum, vel fructum pro pretio.* Dicitur *Contractus oneroſus*, quia ambo contrahentes gravantur: ille, qui dat rem, seu locator privatione ejusdem gravatur, & ille, qui recipit, seu conductor onere solvendi pretium locationis. Dicitur, *quo res, vel persona*, quia possunt locari res: v. g. agri, domus, & etiam personæ, ut servi, mercenarij, qui conducuntur pro certo stipendio. Dicitur *conceditur ad usum*, quia in contractu locationis, & conductionis non transfertur dominium plenum, sed tantùm dominium utile, seu usus rei. Additur, *vel fructum*, quia si res est fructifera, in conductione datur potestas fruendi fructu; ut quando conducitur aliquis ager, vel hortus ad habendum fructum pro aliquo pretio. Conductio viciſſim *est Contractus oneroſus, quo res, vel persona utenda, vel fruenda certo pretio conſtituto ab altero ſuſcipitur.* Cætera pertinentia ad hunc contractum conductionis, & locationis sequens pars declarabit.

Pars I.

De Conductione, & Locatione.

94 P. P. R. me accuso, quòd quadam die ad conficiendum iter conduxerim unum equum, qui aufugit, nec potuerim ipsum invenire.

C. V. D. adhibuitnè debitam diligentiam in custodiendo ipsum, nè aufugeret?

P. P. R. permisi ipsum ad portam diversorij, quod sui ingressus.

C. Hic Contractus conducendi equum dicitur Contractus locationis, & conductionis, qui obligat ad restitutionem, quando res conducta perditur ex culpa levi, aut lata conductoris.

95. Pro cujus intelligentia suppono primò, culpam juridicam dividi in latam, levem, & leviſſimam. Culpa lata est omissio diligentiæ, quam quilibet etiam modicùm circumspectus adhibet in conservandis rebus: v. g. permittere equum solutum ad portas Hospitij, est culpa lata; cùm quilibet etiam insipiens alliget ipsum ad lignum, nè aufugiat.

Culpa levis est omissio diligentiæ, quam homines prudentiſſimi, & cautiſſimi habent in custodiendis rebus: v. g. vir valde cautus non tantùm ad stabulum equum reponit, ibíque ligat, verùm etiam conatur claudere portam tentans, an possit aperiri, ut sit securus de ejus clausura. Omissio verò hujus diligentiæ in claudendo portam, & probando an sit clausa, vocatur culpa leviſſima.

96. Suppono secundò, dari aliquos Contractus favorabiles tantùm

tùm recipienti rem: v.g. Contractus Commodati, in quo res gratuitò conceditur commodatario ad usum temporalem, qui cedit tantùm in utilitatem ejusdem commodatarij.

Alij Contractus dantur, qui cedunt in utilitatem tantùm tradentis rem: v. g. Depositum in quo res gratuitò custodienda depositario traditur; & hoc cedit in utilitatem tantum deponentis rem.

Alij dantur, in quibus ambo contrahentes proficiunt: v.g. in locatione, in qua conducitur vinea, domus, aut equus cum utilitate locatoris, & conductoris; hic enim habet usum & fructus conductionis, seu rei conductæ; & locator habet pretium locationis, seu rei locatæ.

97. In Contractibus, qui tantùm cedunt in utilitatem tradentis rem, ut in deposito, habetur onus restituendi rem, si ex culpa lata perditur, non verò, si ex culpa levi, vel levissima: In illis, qui tendunt tantùm ad beneficium recipientis, ut in Commodato, datur obligatio restituendi rem, sive perdatur ex culpa lata, sive levi, aut levissima: In illis deníque, qui in utilitatem amborum contrahentium cedunt, est obligatio restitutionis, quando res perit ex culpa lata, aut levi, non verò levissima.

Ex quo apertè infertur, quòd, cùm V. D. conduxerit equum, & hic sit contractus locationis, & conductionis, qui in utilitatem suam, & locantis cedit, & perditio equi ex culpa lata provenerit (siquidem non adhibuit diligentiam ab omnibus practicatam) infertur, inquam, quòd teneatur integrum valoris equi pretium Domino restituere.

98. Ast advertendum, quòd licèt secundùm communem opinionem, si res perit ex culpa levi, detur obligatio restitutionis in aliquibus contractibus, prout dixi *num.* 97. Sotus tamen sentit *de Justit. & Jure lib.* 4. *Q.* 7. *art.* 2. §. *Dubium autem est pag. mihi* 352. (*non lib.* 5. *art.* 3. ut videbis eum citatum in Navarro *cap.* 17. *num.* 185. & in Ludovico Lopez *tom.* 1. *cap.* 197. §. *Insuper.* quòd in contractu commodati, aut precarij (in quo res cedit in utilitatem tantùm recipientis) quamvis pereat ex culpa levi, non sit obligatio restitutionis in foro conscientiæ, dummodò non interveniat culpa mortalis in ejus perditione. *Crediderim namque in foro conscientiæ levem culpam commodatarij non obligare eum ad restitutionem, nisi sit mortalis apud DEum: nam à venialibus vix homo liberari potest: quare propter illas non est homo tanta pœna plectendus. aut mulctandus.* Hæc sunt verba Soti. Ludovicus Lopez *ubi supra* citat Victoriam ejusdem esse opinionis: Sic pariter Ledesma ait, hoc idem sentire Henriquez, Sa, Castrus-Palaus. *tom.* 7. *tract.* 32. *de Justit. commutat. disp:*

disp. 3. punct. 6. num. 1. & Leſſius *de Juſtit. lib. 2. cap. 7. dub 8. num. 43.* hanc opinionem ut probabilem tenet, ſaltem ante ſententiam Judicis non eſſe obligationem reſtitutionis, quando res perit ex culpa levi, aut leviſſima, non ſolum in contractu commodati, aut precarij, Sed etiam in contractu conductionis, & pignoris, quia leges ſancientes, & obligantes ad reſtitutionem, quando res perit ex culpa levi, aut leviſſima, ſunt poſitivæ, quæ pro interno conſcientiæ foro non videntur acceptari. Verum eſt, quòd opinio contraria ſit communis, & uſu recepta, opinio tamen Soti videtur mihi non improbabilis.

Pars II.

De Mutuo, & Uſura.

99 MUtuum communiter dicitur, *quod ex meo fit tuum*; quia in eo transfertur dominium à mutuatore ad mutuatarium, clarius ſic definitur: *Mutuum eſt contractus oneroſus, quo traditur res cum translatione dominij. & cum onere ſolvendi ad tempus in æquivalenti.* Dicitur *contractus oneroſus*, quia ex utráque parte inducitur obligatio: mutuator quidem per privationem rei, quam tradit, & mutuatarius per obligationem eam reſtituendi ſuo tempore: Dicitur *quo traditur res cum translatione dominij*, per quod mutuum differt à contractu commodati, precarij, & alijs, in quibus ſolùm transfertur uſus rei, & non dominium, ut in mutuo. Dicitur *cum onere ſolvendi ad tempus*; quia de ratione intrinſeca mutui eſt, ut mutuator aliquo tempore careatre mutuata. Additur *in æquivalenti*, ex duplici cauſa: primò, quia mutuatarius tenetur ſolvere ad æqualitatem arithmeticam, ac valorem ſibi mutuatæ; ſecundò, quia mutuator vi mutui non poteſt aliquid ultra ſortem exigere, ſeu aliquid excedens valorem rei mutuatæ, aliàs eſſet uſura. Utrum alijs de cauſis poſſit aliquid ultra ſortem accipi, ex ſequentibus reſolutionibus patebit, & *in tract. 10. in explicatione Propoſitionum 41. & 42. ab Innocentio XI. damnatarum, nec non in 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicatione Propoſit. 42. ab Alexandro VII. damnatæ.*

100. P. P. R. Confiteor, quòd Menſe Auguſti mutuaverim Petro decem menſuras frumenti cum hac conditione, ut Menſe Maij eaſdem mihi reſtituat.

C Hic contractus eſt Mutui, in quo à mutuatore transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, juxta definitionem ſupra poſitam, *quod ex meo fit tuum.*

Et dicat mihi, fuitnè probabile, quòd frumenti pretium deberet in Menſe Maij augeri, aut potius dubium, quòd illo tempore deberet minui? quia quando utrinque par eſt

est dubium, an sit augendum, vel minuendum tale pretium, non est usura mutuare cum hac conditione: æquali enim periculo se exponunt mutuator, & mutuatarius.

P. P. R. fuit opinio, quòd pretium frumenti esset augendum in Mense Maij, & in resic contigit.

C. V. D. habuitnè intentionem servandi frumentum usque ad Mensem Maij, quo tempore altiori pretio posset illud vendere?

P. Ita P. R.

C. V. D. mutuavitnè hoc frumentum Petro sponte, vel ad preces ejusdem Petri?

P. Ipsemet Petrus rogavit pro hoc mutuo obtinendo.

101. Absolutè loquendo est usura mutuare in Mense Augusti frumentum, ut restituatur in Majo, quando præsumitur augendum ipsius pretium; ratione tamen lucri cessantis potest mutuò dari cum hac conditione: quia si V. D. servatura erat frumentum usque ad Majum, realiter hoc lucrum reciperet vendendo tale tunc altiori pretio: ergo non est ratio, cur ad præstandum beneficium Petro suo lucro frustretur. Et quamvis aliqui Canonistæ hoc limitent, dicendo, quòd lucrum cessans possit accipi, quando mutuator rogatus à mutuatario mutuò dat, non verò, quando sponte, & ex propria voluntate hoc agit; communis tamen Theologorum contrarium sentit, nempè quòd alterutro ex his modis possit mutuator ratione lucri cessantis pretium alterius temporis pacisci, & ejusdem interesse accipere. Molina *de Justit. tom.* 2. *disp.* 315. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 20. *dub.* 11. *num.*30. Villalobos *part.* 2. *tract.* 22. *diffic.* 8. *num.* 4.

102. Dicat mihi, pro custodia, & conservatione hujus frumenti debuissetnè V. D. aliquas expensas facere? v. g. conducendo aliquod horreum, aut solvendo personam aliquam, ut illud custodiat?

P. Non P. R. quia in meo horreo positâ tantùm aliquâ diligentiâ potuissem illud custodire.

C. Servassetnè pro certo hoc frumentum usque ad Majum?

P. Ita P. R. quia magna quantitas mihi supererat, quam absque dubio non consumpsissem.

C. De lucro cessante Mutuatori ex mutuo debent detrahi expensæ faciendæ in conservatione rei mutuatæ; ab his enim eximitur per ejus translationem in mutuatarium: debet etiam minui aliquid juxta majorem certitudinem lucri sperati, ut dicit commune axioma Theologorum: *Id quod est in Spe, non æquipollet ei, quod est in Jure.* Siquidem ergo V. D. nulli expensæ succumbere debuisset in custodiendo frumento usque ad Majum, potuit hoc pacto mutuò dare ratione lucri cessantis.

103. P. P. R. etiam me accuso, quòd postquam Petrum mihi debitorem centum regalium ad judicium citavi,

citavi, ab eodem rogatus pro aliqua dilatione temporis, consenserim ea conditione, ut, quandocúmque occasionem haberet emendi merces, in mea officina emeret.

C. Quamvis aliqui Doctores citati à Ximeno *tract. de Usuris num.* 6. senserint, pro dilatione solutionis posse à Mutuatario exigi aliquid *ultra sortem*: hoc tamen de præsenti est improbabile, & tanquàm scandalosum ab Alexandro VII. in Proposit. 42. damnatum. Videatur ejus explicatio *in 2. part. praxis tract.* 17.

104. Pro hujus, & aliorum in hac materia casuum resolutione suppono, usuram *esse lucrum ex mutuo*: id est, lucrum, quod ex contractu, & vi contractus mutui exigitur, ita ut extra hunc in nullo alio contractu possit committi usura. Advertendum tamen est, quòd hic Contractus mutui in alijs etiam Contractibus soleat palliari, ut in sequentibus casibus patebit. Petrus vendit Joanni creditò pannum, & quia creditò vendit, cariori pretio vendit: hic contractus quamvis videatur venditio, non est tamen venditio, sed bene palliatum mutuum; idem enim est, ac si Petrus daret Joanni pannum, & Joannes illicò solveret justum pretium, quod deinde Petrus immediatè mutuò daret Joanni úsque ad tempus præfixum mercis creditò datæ: quare hic contractus tanquàm usurarius damnatur ab Innocentio XI. in Propositione. 41.

105. Idem contingit in contractu Mohatra, in quo Petrus vendit Joanni summo pretio mercem aliquam cum pacto, ut Joannes deinde pretio infimo retrovendat Petro: hic quoque contractus est mutuum palliatum; idem enim est, ac si Petrus mutuaret Joanni valorem mercis pretio infimo, & postea ab ipso pretium rigorosum exigeret. Talis contractus Mohatræ damnatur ab Innocentio XI. in Propositione 40. Hoc est, quòd accidit in casu V. D. quia peridem fuit, ac si V. D. suos centum regales à Petro exegisset, & secunda vice eosdem ipsi mutuò dedisset ea conditione, ut deinceps quandocúmque indigeret, in sua officina merces emeret.

106. Et ut clarè pateat, utrum licitè hoc onus imponere potuerit, necesse est scire, an V. D. vendiderit merces Petro cariori pretio, quam in alijs officinis?

P. P. R. Currenti pretio mercem ipsi vendidi.

C. Res vendita à V. D. fuitnè valoris, & bonitatis æqualis merci ab alijs vendibili?

P. Ita P. R.

C. Officina V. D. fuitnè valde remota à domo Petri, ita ut incomodum pateretur ad ipsam accedendo?

P. Non P. R.

C. Concurrentibus circumstantijs æqualitatis pretij, bonitatis mercis, æquè facilis accessûs ad suam officinam ac ad alias, docent S. An-

S. Antoninus, alij citati à Diana *part. 1. tract. 8. resol. 59.* Licitum esse mutuare cum hac conditione, ut Petrus suam officinam frequentaret pro emendis mercibus necessarijs; & consequenter in hac opinione V. D. licitè potuit consentire in dilationem solutionis sibi debitæ cum antedicta conditione; siquidem hæc dilatio non fuit palliatum, & virtuale mutuum: Ratio autem hanc opinionem corroborans est, quia usura *est lucrum exmutuo*: atqui V.D. vi mutui nullum percepit lucrum: ergo non fuit usura. Minorem probo, quia nullum percepit lucrum ex sibi debito, etenim, si centum regalium fuit creditor, centum quoque solvendi erant: & si aliquod commodum habuit in vendendo suas merces Petro emptori ex vi pacti antecedentis, illud commodum ex contractu reali emptionis, & venditionis ortum habuit: ergo non ex mutuo: consequenter non fuit usurarius contractus.

Nihilominus contraria opinio est communis, quam tuetur cum D. Thoma Sylvester *verb. usura 1. Q. 3.* Medina *in Sum. lib 1. cap. 14. §. 25.* Molina *tom. 2. disp. 308. & 309.* & plerique alij. Et ratio est, quia mutuum dare imponendo aliquod onus *pretio æstimabile* mutuatario usura est: atqui V.D. imposuit Petro onus *pretio æstimabile* in illo virtuali mutuo: ergo fuit usura. Minorem probo: libertas *est pretio æstimabilis*, & ita quòd *non bene pro toto libertas venditur auro*: in hoc contractu libertatem ademit Petro emendi in alijs officinis: ergo imposuit ipsi onus *pretio æstimabile*; & sic licèt mutuatario nullum aliud damnum adveniat, quam privatio suæ libertatis, mutuare cum ante dicto onere & conditione usura est.

107. P.P.R. non imposui ipsi hoc onus tanquàm debitum ex justitia, sed tantum velut debitum ex amicitia, & nova correspondentia.

C. Nihil refert, quia non solùm quando exigitur aliquid *ultra sortem* (sors dicitur res, aut quantitas mutuata, & *ultra sortem* illud lucrum, quod ex eadem re mutuata percipitur) tanquàm debitum ex justitia, est usura, sed etiam quando exigitur tanquàm debitum ex lege bonæ amicitiæ; & contrarium ut scandalosum damnatur ab Innocentio XI. in Propositione 42.

Pars III.

De emptionibus, & Venditionibus.

108 SUppono, quòd Venditio *sit Contractus oneros*us, *quo traditur merces pro pretio*; & emptio *Contractus oneros*us. *quo traditur pretium pro merce.* Dicitur contractus oneros*us*, in quo convenit cum conductione, mutuo, alijsque contractibus oneros*is*, & per quod differt à contractibus lucrativis, aut gratuitis. Emptio ergo, & venditio est contractus oneros*us*, quia in his utráque

pars se obligat ; Emptor quidem ad pretium, & venditor ad mercem tribuendam. De hoc genere emptionis, & venditionis ex professo agendum est *in 2. part. Praxis, tract. 15. cap. 4. num. 17.* Dum de mercatorum officio erit sermo ibique videri poterunt hic prætermissa.

199. P. P. R. me accuso, quòd emerim equum, quem postea novi esse furtivum.

C. Quando V. D. eumdem emit, judicavit nè, eum esse furtivum?

P. Non. P. R.

C. Habuitnè de hoc aliquod dubium.

P. Nil minùs.

C. Quanti valet equus?

P. Quinquaginta Ducatis.

C. Quo pretio V. D. eum emit?

P. P. R. Triginta Ducatis.

C. Emere rem aliquam, ut furtivam cognitam cum intentione eam retinendi, est peccatum contra justitiam, & idem dico, si ematur cum dubio, an sit, vel non sit furtiva: ad dubitandum autem, quòd res sit furtiva, sufficiens fundamentum est, videre, quòd vendatur minori pretio: cùm ergo V. D. nullum dubium inciderit, quòd talis equus fuerit furtivus, non peccavit in ejus emptione.

110. In ordine ad restitutionem hic duo sunt notanda, primùm est injustitia, & damnum illatum Domino equi, emendo rem ipsi ablatam, secundum est, gravamen factum furi emendo ab eo leviori pretio equum furtivum, & venditioni ex posito.

Pro primæ partis resolutione dicat mihi V. D., quando novit equum esse furtivum, proposuitnè eumdem retinere, aut Domino restituere?

P. P. R. Siquidem defacto ipsum emeram, non mihi visum fuit rationabile, pecuniam jam depositam perdere; & sic proposui eum retinere.

C. Sicuti peccatum est mortale contra justitiam emere rem furtivam positâ hujus scientiâ, aut dubio, sic etiam peccatum mortale est post emptionem eamdem retinere, cum notitia aut dubio, quòd sit furtiva.

111. Dicat mihi, potuitnè rescindere contractum cum latrone restituendo ipsi equum, & suos triginta Ducatos recuperando?

P. Ita P. R.

C. Arbitrabaturnè V. D. probabiliter, quòd, si ad recuperandam suam pecuniam furi equum restituisset, talis fur quoque equum proprio Domino restituisset?

P. P. R. credo, quòd hoc non feciſſet; cùm enim se determinaverit ad eum furandum, de restitutione facienda non cogitâsset.

C. Si V. D. probabiliter judicâsset, quòd fur equum Domino esset restituturus, debuisset etiam rescindere contractum venditionis cum fure, restituendo equum, & pretium recuperando: In hoc Doctores conveniunt. Sed quando non est probabilis spes, quòd fur velit Domino equum restituere, in hoc stat difficultas.

cultas. Mea opinio est, quòd etiam in hoc casu posset ad manus furis equum remittere, & triginta Ducatos recuperare, sive emisset equum bona fide ignorans, esse furtivum; ut dicit Navarrus in Sum. Lat. *part.* 17. *num.* 9. *in fine.* Sylvester *verb. Restitutio* 3. Q. 7. & cum alijs Fagundez *in septimo præcepto lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 2. sive mala fide emisset sciens, quòd sit furtivus. Ita Petrus de Navarra *lib.* 3. *cap.* 4. *part.* 3. *dub.* 4. Toletus *lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 13. Et cum Ales, & Angelo Caspensis id judicat probabile *tract.* 18. *disp.* 1. *Sect.* 5. *num.* 36. & cum alijs Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 4. Et ratio est; quia emptor (sive bonæ, sive malæ fidei) non tenetur reducere rem ad statum à se invento meliorem, & sat est, quòd eam in deteriorem statum non constituat: atqui status, in quo ipsam invenit, fuit in manibus furis, à quo eamdem emit: ergo satisfacit suæ obligationi, si ad manus furis reponat.

112. Si verò non possit rescindere contractum cum fure ad recuperandum pretium pro re empta traditum, aut quia fur fugæ se dedit, aut quia non potest, vel non vult reddere pretium rei, tunc emptor (sive bonæ, sive malæ fidei) tenetur eam vero Domino restituere, *quia res ubicumque est, pro suo Domino clamat.*

113. Dicat mihi V. D. profuitnè ipsi equus tempore, quo eumdem in sua potestate habuit?

P. Ita P. R. quia per aliquot dies ipsum locavi, & quinquaginta circiter regales acquisivi.

C. V. D. quoque aliquid expendit pro ejusdem sustentatione?

P. Ita P. R. viginti circiter regales expendi.

C. Ergo triginta, *in quibus est ditior factus*, tenetur restituere vero Domino.

114. Pro resolutione secundæ partis casûs præsentis; id est injustitiæ, quam potuit V. D. inferre venditori emendo pro 30. id, quod 50. constabat; dicat mihi, obtulitnè ipse fur, vel rogavit, ut V. D. emeret equum?

P. Ita P. R.

C. Ergo, quamvis valor equi fuerit 50. & V. D. pro 30. emerit, cum à venditore fuerit rogatus, nullam fecit ipsi injuriam; est enim commune principium Theologorum, *merces ultroneæ vilescunt*, quòd, quando venditor invitat ad emptionem mercis, tunc ipsa merces vilescat. Et si quæratur, quantò minoris æstimantur merces ultroneæ, Lessius *de Just. lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 38. Sà *Verb. emptio num.* 4. & alij docent, tertiam partem sui valoris perdere: v. g. si valet 60. potest emi 40. Et Palatius, Rebellus, & alij quos citat Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 53. & 78. docent, merces ultroneas medietatem valoris amittere: v. g. si valebat 60. florenis. Potest emi 30. cùm ergo V. D. ad preces venditoris emerit 30. quod vale-

bat 50. nullam injuſtitiam juxta hanc opinionem commiſit.

115. Ex alijs etiam principijs poteſt hæc emptio facta à V. D. minori pretio ab injuſtitia excuſari, ſequendo opinionem multorum Doctorum, quos citat, & ſequitur Eſcobar de Corro *in tract. de utróque foro, art. 5. caſu 2. num. 35. & ſeq.* & aliorum, quos citat P. Leander de Murcia *in diſq. tom. 2. lib. 1. diſp. 11. reſol. 6. num. 9. & 13.* docentium, quòd in Contractibus emptionis, & venditionis, locationis, & conductionis, & ſimilibus qui infert damnum emendo viliori, aut vendendo cariori pretio, ſi exceſſus non ſe extendat ultra dimidium juſti pretij rei, nec interveniant fraudes, aut deceptiones, non peccet, nec teneatur ad reſtitutionem: v. g. res aliqua 60. valet, venditur pro 90. quod eſt dimidium excedens valorem, & juſtum pretium: vel emitur pro 30. quod eſt dimidium ejuſdem pretij, licita eſt hæc venditio, & emptio non ſolùm in foro externo, verùm etiam in interno. Hanc opinionem ut probabilem refert Murcia *num. 31. ejuſdem reſol. & n. 20.* dicit, fuiſſe approbatam à pluribus DD. Salamancæ, & Alcalà: Et ratio eſt, quia *ſcienti, & conſentienti nulla fit injuria:* Atqui tam venditor, quàm emptor ſciunt pretium rei eſſe ſuperius, aut inferius, majus, aut minus (ſupponimus enim nullam intervenire fraudem, aut deceptionem) & nihilominus venditor voluntariè vendit inferiori, & minori; emptor verò ſuperiori, & majori pretio emit: ergo in ſimilibus contractibus nulli fit injuſtitia in ſenſu horum Authorum, quorum doctrinam non ſequor.

116. Cum hac multum coincidit opinio Molinæ *tom. 2. de juſtit. tract. 2. diſp. 351. num. 4.* Reginaldi, & aliorum apud Dianam *part. 5. tract. 14. reſol. 36.* qui dicunt, in emptionibus præſumi, quòd venditor dono det juſtum pretium emptori, quando neceſſitate non urgente, ſed ex libera ſua voluntate vendit rem nimis vili pretio, nec aliqua fraus, aut deceptio intercedat. Idem poteſt dici de emptore nimis alto pretio, quòd acceſſum pretij donet venditori, quando ſpontaneè emit: fur V. D. ſpontaneè vendidit equum, nec ut ſuppono ulla fuit fraus: ergo præſumitur, quòd fur fecerit donationem exceſsûs valoris equi.

117. P. P. R. præterea accuſo me angi aliquo ſcrupulo, quòd unum vas vini vendiderim, & pro quolibet pondere vini ſex regales exegerim, cùm tamen in loco mei domicilij fuerit lege taxatum, pro pondere quatuor tantùm regales accipi debere. Juxta hanc doctrinam ſubibonè onus reſtituendi exceſſum taxæ?

C. Ita eſt; & pro relatæ doctrinæ intelligentia ſupponendum eſt, pretium rerum unum eſſe intrinſecum, aliud extrinſecum. Pretium intrinſecum ſeu naturale deſumitur ex bonitate ejuſdem rei, & hoc non conſtit *in indiviſibili*, ſed habet latitudi-

nem

nem infimi, medij, & ſummi: v. g. ſi pretium medium ſit 10. infimum erit 9. & ſummum 11. Pretium extrinſecum ſeu legale non deſumitur ex bonitate rei, ſed ex taxa, quam Lex, aut Judex ipſe præſcribit: ſicut quando à Lege ſancitur, ut vinum, frumentum &c. tanti vendantur: & hoc pretium non habet latitudinem infimi, medij, & ſummi, ſed conſiſtit *in indiviſibili*, nempe in taxato à Lege.

Doctrina deinde relata, quando non infertur damnum in contractibus *ſupra*, *vel infra dimidium juſti pretij*, ſolùm intelligit de pretio intrinſeco: quapropter vi hujus doctrinæ V. D. tenetur ad reſtitutionem. Ad videndum tamen, utrum ex alijs principijs poſſit V.D. excuſari.

118. Dicat mihi, Vinum venditum fuit nè potentius, ac melius altero, quod communiter vendebatur pretio à Lege taxato?

P. Ita P. R.

C. Fuitnè notabilis exceſſus bonitatis ipſius ſuper alia vina?

P. Ita P. R. fuit vinum pretioſiſſimum.

C. Hoc poſito V. D. nullum intulit gravamen, aut injuſtitiam vendendo vinum altiori pretio; quia, ut docet Molina *tom. 2. de Juſtit. diſp. 364. num. 11.* & alij Doctores; quando merces aliqua multum excedit in bonitate alias ordinariè vendibiles pretio taxato, poteſt altiori pretio vendi ad proportionem ſui exceſſus in bonitate. Et ratio eſt; quia res, quæ notabiliter ſunt inferiores in bonitate alijs, quæ ordinariè venduntur, non licet eas vendere pretio à taxa aſſignato: ergo à contrario res, quæ ſunt notabiliter ſuperiores in bonitate poterunt altiori pretio vendi. Si verò exceſſus eſſet modicus, non liceret excedere taxam; ſicut quamvis aliquantum ſit inferior non per hoc illicitum eſt taxato pretio vendere.

119. Ex hac Molinæ opinione multum roboris aquirit illa Navarri, *in Manuali cap. 23. num. 83.* Et aliorum docentium, quòd valde ſterilibus in annis poſſit vendi frumentum cariori pretio, quam aſſignatum à taxa communi fertilibus in annis: v. g. taxa eſt, ut frumentum ſemper vendatur quinque regalibus; venit annus valde ſterilis, tunc poteſt vendi ſex, aut plus ad proportionem augmenti ſterilitatis. Et ratio eſt; quia ut pretium ſit juſtum, debet eſſe rationabile: non eſt autem rationabile: quòd frumentum vendatur eodem pretio in anno ſterili, ac in abundanti: atqui neque rationabile eſt, quòd merces notabiliter melior communi vendatur ſicut hæc eodem pretio: ergo cariori vendi poteſt.

120. Cum opinione Molinæ coincidit etiam altera Leſſij *lib. 2. de Juſtit. 2. cap. 21. dub. 11. n. 87.* Bonacinæ *diſp. 3. de contr. q. 2. punct. 6. n. 17.* & aliorum, qui docent, quòd venditor frumenti, vini, aut alterius mercis notabiliter excedentis in bonitate alias ordinariè vendibiles pretio

Legis possit egregio vino miscere aliud mediocre, aut aquam, vel selectiori frumento aliud inferius; ita ut in bonitate æquale remaneat alijs, quæ ordinariè venduntur. Et ratio est, quia hic venditor nullum gravamen infert emptori, cum vendat ipsi rem tantæ bonitatis, quantæ alibi habetur; néque Legem offendit, cùm vendat taxato pretio rem in bonitate huic æqualem: atqui venditor rei in bonitate superioris cariori pretio gravamen non infert emptori, quia merces est æqualis quo ad bonitatem pretio, nec Legi, siquidem hæc ut rationabilis taxavit tantum res communiter vendibiles, non verò alias in bonitate superiores: ergo mercem notabiliter meliorem altiori pretio vendere potest.

121. Demum meo judicio tenenda est doctrina supra dicta Lessij *lib.* 2. *de Just. cap.* 21. *dub.* 11. *num.* 90. Navarri, Azorij & aliorum, quos citat & sequitur Bassæus *verb. venditio num.* 19. qui docent, licitum esse vendere rem aliquam cum vitio occulto, quando vitiũ non infert damnum, nec inutilem reddit rem emptori, minuendo tamen ipsius pretium ad proportionem minoris æstimationis, quæ fit de eadem propter occultum vitium: & casu, quo emptor ea intentione emeret, ut revenderet, tenetur primus venditor manifestare vitium, nè hic secundus committat fraudem vendendo ipsam altiori pretio ex ignorantia defectus. Ratio est, quia minuendo rei pretium juxta minorem æstimationem propter defectum, quem patitur, æquiparatur pretium bonitati rei: atqui venditor rei bonitatis majoris communibus supra taxatum pretium, æquiparat valorem mercis pretio: ergo licitè hoc facere potest.

Pars IV.

De Commodato, & Precario.

122. COmmodatum *est contractus, quo res alicui gratis conceditur ad certum usum.* Dicitur *Contractus*: in qua genericè convenit cum alijs contractibus. Dicitur, *quo res alicui gratis conceditur*, ad significandum quòd commodatum sit contractus gratuitus, per quod distinguitur à Mutuo, locatione, venditione, & alijs contractibus onerosis: quia in commodato usus rei gratuito conceditur. Additur *ad certum usum*, quia in hoc contractu non transfertur dominium rei in commodatarium, sed tantum usus conceditur ad differentiam mutui, venditionis, & aliorum contractuum, in quibus dominium rei transfertur; ex quo constat in contractibus, in quibus transfertur dominium rei, non esse restituendam eandem rem in individuo, benè verò in commodato.

123. Precarium secundùm Jurisconsultos *est, quod precibus petenti conceditur ad usum tamdiù, quamdiù is, qui concessit, patitur, vel non revo-*

revocaverit est contractus, in quo conceditur gratuitò, & absque lucro usûs alicujus rei, usquedum Dominus eamdem repetat, sicque in hoc contractu non transfertur dominium, sed solùm usus rei, & quidem *gratis*, sicut in commodato, à quo per hoc distinguitur, quòd in commodato detur res ad certum usum & tempus; precario verò conceditur usus rei indeterminatè usque ad repetitionem, aut revocationem concessionis usûs; & quamvis, ut dictum est supra *in hoc cap. part.* 1. *num.* 87. in contractibus, qui respiciunt tantum utilitatem recipientis rem sit obligatio restitutionis, si ex culpâ levi, vel levissima perdatur secundùm communem opinionem; in precario tamen tunc solùm est talis obligatio, quando *ex dolo, vel culpa lata* perditur, licèt hic contractus solùm respiciat utilitatem recipientis rem; quod est singulare quid in hoc contractu precarij, cùm in eo concedatur res *ad nutum* Domini; *ex L. contractus ff. de regul. Juris. & L. Quæsitum est §. Eum quoque ff. de precario.*

124. P. P.R. me accuso, quòd, cùm perceperim rem aliquam mihi ad usum concessam, eandem deteriorem factam restituerim.

C. Fuitnè ipsi concessa ad usum, & tempus determinatum? si enim indeterminatè fuit concessa tamdiù, quamdiù eam Dominus reposceret, esset contractus precarij.

P. P.R. ad usum, & tempus determinatum fuit mihi concessa.

C. Quæ res fuit ipsi commodata?

P. P.R. fuit equus ad conficiendum iter trium dierum.

C. Habuitnè equus defectum aliquem occultum, quem Dominus V. D. non manifestavit? Hoc enim dato, & quòd V. D. tanquàm inscia non potuerit impedire equi detrimentum, non fuit ipsius culpa, sed Domini, qui debuit V. D. admonere: ita pariter, si ex eo, quòd equus sit effrænis præceps, & indomitus, V.D. aliquod damnum perpessa fuisset, Dominus, qui de hoc defectu certiorem non reddidit, teneretur ad resarciendum secutum damnum: *Ex L. in rebus, §. Qui sciens.*

P. Nullum habuit defectum occultum talis equus.

C. Fortè equus deterior fuit factus, quia V. D. alijs eum commodavit, cùm tamen V. D. pactum inierit cum Domino de proprio, & personali tantùm usu? licèt enim, qui habet jus utendi re aliqua, possit hujus usum alteri concedere, non tamen, quando expressè convenit cum Domino de opposito. Ita Molina & alij. Bonacina *tom. 2. tract. 3. de contract. Q. 16. punct. unico. n. 2.*

P. Alijs ad usum non concessi equum, nullúmque pactum de hoc cum Domino inivi.

C. Fortè equus detrimentum hoc subjit, quia V. D. diutiùs pacto ad proprium detinuit usum? quia si hoc modo commodatarius utitur re sibi commodatâ, furtum facit, & tenetur

tenetur ad restitutionem. Ita colligitur ex Textu Civili. *L. Si ut certo §. Quinimo.* Hoc limitatur, quando probabiliter censetur, quòd rei Domino complaceret, seu consentiret in usum diuturniorem concesso, tunc enim nulla esset obligatio restitutionis: sic Bassæus *verb. commodatum. n.* 4.

P. P. R. non fui usus equo ultra tres dies prædefinitos.

125. V. D. fuitnè usa equo ad peragendum aliud iter, vel exercitium distinctum ab illo, pro quo fuit concessus equus? v. g. si pro itinere triginta milliarium fuerit commodatus equus, & pro quadraginta conficiendis eo usa fuisset; aut si pro itinere plano, asperum, & montosum aggressa fuisset: quando enim commodatarius utitur re pro exercitio non intento à commodante, peccat cum onere restitutionis, prout habet Textus Civilis, *L. si ut certò, jam citato*; nisi fortè, ut supra dictum est, probabiliter opinaretur, Dominum in hoc non esse invitum; quia tunc nullum esset peccatum, aut onus restitutionis. Bassæus *ibidem.*

P. Nec hoc.

C. Fortassis V. D alimenta necessaria non subministravit equo? etenim obligatio Commodatarij se extendere debet ad ordinarios sumptus, non verò ad extraordinarios: v. g. si absque sua culpa equus infirmaretur, tunc ad necessarias expensas pro cura equi teneretur ejus Dominus. Ita Machadus *tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 5. *tract.* 9 *docum.* 1. *n.* 2.

P. Ad sustentationem equi necessaria non defuerunt.

C. Qua de causa ergo equus deterior factus fuit?

P. P. R. causa fuit, quòd impegerit, & ceciderit, ex quo detrimentum subijt.

C. Impegitne ex V. D. negligentia, quia nescivit eum dirigere, aut per semitas periculosas duxit?

P. Non P. R. direxi enim eum per viam valde bonam, nec fuit mea negligentia, sed ob accidens aliquod perterritus impingendo cecidit.

C. Quando V. D. susceptit equum, obligavitnè se ad ejus restitutionem, si perijsset, aut ex fortuito deterior factus fuisset?

P. Non P. R.

C. Quando Dominus commodavit V. D. equum, curavitne æstimari ipsius valorem?

P. P. R. nulla equi æstimatio fuit facta.

126. C. Quando res commodata perit, aut deterior fit absque culpa levi, aut levissima commodatarij, nulla est obligatio restaurandi damnum ex casu aliquo fortuito secutum, nisi perceptionem rei præcederet pactum eam restituendi, licèt fortuitò periret, aut in commodanda ipsa fieret processus ad æstimationem; in his enim casibus debet restitui, quamvis accidentaliter periret. vide Bassæum *ubi supra num.* 9: & Machadum *num.* 5. *eadem docum.* 1. Ratio prioris est, quia casus

casus nec providentiæ humanæ, nec obligationi subiacet: ergo pereunte re ex casu fortuito non est obligatio restitutionis. Ratio posterioris est, quia posità in contractu obligatione casûs, siquidem *legem contractus dat*, obligat tunc ad resarcienda omnia damna ex tali casu evenientia; & quando res æstimata suscipitur, propter intentionem æquiparatur pacto restituendi ex casu fortuito.

Pars V.

De Contractibus Depositi, Pignoris, Assecurationis, & Hypotecæ.

127. Depositum *est contractus, quo sola rei custodia alteri committitur, ut ipsa res integra reddatur.* Dicitur *contractus*: in quo depositum convenit cum alijs contractibus in ratione generica. Dicitur *quo sola rei custodia*, quia in depositio non conceditur potestas utendi re depositâ; per quod hic contractus differt à commodato, & precario, in quibus usus rei conceditur. Additur, *ut ipsa res integra reddatur*. Quia in depositio non transfertur dominium rei in depositarium, sed solùm ejus custodiæ committitur, per quod distinguitur à mutuo, venditione, alijsque contractibus, in quibus rei dominium transfertur.

128. Dividitur depositum in judiciale, & particulare: depositum judiciale est, quando jussu Justitiæ alicui res deponitur, ut custodiatur usque ad novam ejusdem Justitiæ dispositionem de eadem re; & hoc genus depositi vocatur *sequestrum*, in Textu Civili *L. Eum, apud quem ff. depositi*. Depositum particulare est, quando Persona aliqua rem suam alteri ad custodiam tradit, & hoc depositum particulare subdividitur in depositum necessarium, & voluntarium. Depositum necessarium est, quando necessitas constringit Dominum rei ad eam deponendam, ut in incendijs, periculis latronum, &c. Depositum voluntarium est, quando nulla simili urgente necessitate Dominus liberè rem suam alteri custodiendam tradit; sive hoc fiat absque lucro, vel interesse, sive pro pretio: propriè tamen contractus depositi requirit, ut depositarius custodiat rem absque pretio aliquo, hoc enim posito non est in rigore merè depositum, sed potius aliqualiter videtur contractus locationis. Quando res datur ad custodiendum absque interesse aliquo, depositarius tenetur eam restituere, si ex culpa lata perit, si verò cùm interesse custodiatur, erit obligatio restitutionis, etiamsi ex culpa levi pereat, juxta supra dicta *in hoc cap. 5. part. 1. n. 87.*

129. P. P. R. me accuso, quòd re aliquà meæ custodiæ commissâ usus fuerim.

C. Habuitne V. D. licentiam à deponente eâ utendi? Hac enim suppositâ absque scrupulo potuit eâ uti; quamvis hic contractus non esset

propriè depositi, benè verò commodati, si res est ex illis, quæ *non recipiunt functionem*, nec sunt usu consumptibiles: v.g. vestis, equus, &c. Si autem res deposita esset ex illis, quæ sunt usu consumptibiles, & *recipiunt functionem*, potestque fieri commutatio unius cum altera: v.g. Vinum, Oleum, Panis, &c. Tunc si dantur depositario cum libertate eis utendi, non erit contractus depositi, sed mutui.

P. P.R. expressam licentiam non habui à Domino, re depositâ utendi.

C. Fortè fuit licentia rationabiliter præsumpta? quæ est, quando probabiliter judicatur, Dominum consensurum in ejus usum; in hoc enim casu, licitè potuit uti re depositâ, ut dicit Bonacina *tom. 2. disp. 3. de contract. Q. 14. punct. 1. n. 3.*

P. P.R. nihil mihi constat de tali consensu.

C. Quæ res fuit ad suas manus deposita?

P. P.R. fuit magnus Aureus duplus.

C. Prohibuitnè Dominus V. D. hujus pecuniæ usum?

P. Non P.R.; sed simpliciter meæ custodiæ illum commisit.

C. Fuitnè certa V. D. quòd post usum hujus pecuniæ potuisset faciliter restituere Domino, quandocúmque eam repetijsset?

P. Ita P.R.

C. Acquisivitnè V.D. aliquod lucrum per usum hujus pecuniæ?

P. Ita P.P.

130. Certum est, quòd depositarius non possit uti re deposita invito Domino, & eâ utens sine expressa, vel tacita, vel rationabiliter præsumpta Domini licentia, peccat peccato furti, atquê obligatur ad restitutionem, non solùm damni ex usu rei secuti, sed etiam lucri exinde acquisiti. Bonacina *ibidem.* Si autem res deposita sit pecunia, nec Dominus interdixerit usum depositario, poterit hic eâ uti, dummodo certus sit, se tantundem ejusdem generis, qualitatis, & bonitatis præstò habiturum, cùm Dominus repetierit. Ita Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 29. dijf. 2. num. 2.* Rodriquez *in Sum. tom. 1. Verb. Depositum n. 6. in fine* Et si depositarius ex usu pecuniæ depositæ aliquod lucrum perceperit, idem retinere potest; quia nimirum est fructus solius industriæ. Ita Sotus *de Justit. & Jur. lib. 6. Q. 3 §. Aliud enim.* Nullum enim gravamen exhinc alteri infertur: non deponenti, quem supponimus non prohibuisse usum re depositario, & hunc esse paratum ad restitutionem ad nutum deponentis, nec cuicúmque alteri; cùm depositarius ex sua industria, & licito usu lucrum illud acquisiverit: ergo &c. Advertit tamen Bonacina *ubi sup. §. Addit* cum Sylvestro & alijs, quòd, quando pecunia non numerata, clausa, & obsignata depositarij custodiæ committitur, tunc non possit eâ uti; censetur enim deponens per hunc modum interdicere ipsi usum.

131. P.P.R. me accuso pariter, quòd pignore

pignore in securitatem debiti mihi tradito aliquoties usus fuerim.

C. Contractus Pignoris *est, quando res mobilis Creditori pro debito obligatur*, in quo distinguitur ab Hypoteca: quia in hac regulariter obligatur creditori res immobilis, ut vinea, domus, ager; in Pignore verò, quod traditur in securitatem debiti, est res mobilis, ut Gemmæ, vestes, & aliæ similes suppellectiles. Dicat mihi V. D., utebaturnè hoc pignore cum licentia Domini? quia hoc modo potuit securissimè uti.

P. P. R. nullam expressam licentiam dedit mihi Dominus eo utendi.

C. Fuitne pignus illud usu consumptibile? hoc enim supposito illius usus non est licitus absque licentia expressa Domini cùm rationabiliter non præsumatur de ejus consensu in usum, post quem est etiam obligatio restituendi Domino id, in quo res oppignorata deterior facta est per usum; Si autem pignus non esset usu consumptibile: v. g. gemma, aurum, argentum, aut catinus ex simili materia, rationabiliter præsumitur de voluntate Domini, ut eo uti possit, ita Villalobos *ubi sup. diffic.* 4. *n.* 7.

P. P. R. res mihi in pignus data fuit equus, & hoc usus fui pro aliquot itineribus peragendis.

C. Si V. D. hunc equum in pignus non habuisset, conduxissetnè alium ad peragenda hæc itinera?

P. Ita P. R.

C. Computavitnè V. D. dies, quibus usum equi habuit, in rationem sortis debitæ?

P. Non P. R.

C. Quando res oppignorata est fructifera (ut in præsenti casu est equus) ille qui accepit pignus, huius fructus computare debet in ratione sortis debitæ, deductis expensis in custodiendo, alendo, &c. equo. Creditor etiam pignus sibi datum alteri oppignorare, vel in hypotecam dare licitè potest, quando exhinc nullum damnum sequitur debitori: postquàm verò creditor debitum principale extinxit per fructus ex pignore preceptos, tenetur hoc restituere Domino; ut videre est in Machado *tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 5. *tract.* 11. *doc.* 2. *num.* 2. & 5. Qui addit, quòd, quando pro assecuratione dotis traditur Marito aliquod pignus fructiferum, non teneatur computare fructus in rationem sortis debitæ. *Ex cap. Salubriter de Usuris* Notat Villalobos *n.* 8. *ex Lege de las Partidas*, non esse licitum alicui dare mutuum fundatum in pignore ea conditione, ut nisi pro tali die redemerit, censeatur venditum; si tamen pactum fieret, ut si ad certum diem, vel tempus solutio facta non fuerit, pignus creditori tunc vendendum sit tali pretio, quod justum æstimatur secundùm plurium, vel alicujus tertij boni viri arbitrium, reddito excessu debitori; hoc modo justè, & licitè ageretur. *Si quis sit L. Si fundus* 16. §. 6. *ff. de Pignor.* Communis DD. cum Navar. *c.* 27. *n.* 203. Ratio est; quia ejusmodi obligatio debitori imponitur

partim in poenam justam differendæ solutionis, partim ob interesse creditoris, ut is indemnis servetur.

132. Hypotheca, ut dixi, est, quando res immobilis obligatur creditori in securitatem debiti absque ejus traditione, ut fit in pignore, estque duplex, una expressa, altera tacita, expressa est, quando res expressè obligatur in securitatem debiti, seu solutionis; tacita est, quando non expressè res obligatur; ex Lege tamen in multis casibus obligatur ad debitum, ut bona Mariti ex dispositione Legis Civilis tacitè hypothecata manent in securitatem dotis; & bona Tutoris, & curatoris in securitatem administrationis bonorum Pupilli, aut minoris, & in alijs casibus, quos refert Lessius *lib. 2. de Iustit. cap. 28. dub. 6. n. 34. & seq.* Hypotheca expressa una est generalis, qua omnia bona tam præsentia, quàm futura alteri obligantur: particularis est, qua aliqua tantùm, & non omnia obligantur. Tacita etiam hypotheca potest esse vel generalis, quando ex dispositione Legis omnia bona obligantur in securitatem solutionis, seu debiti: vel particularis, quando ex ejusdem legis dispositione aliqua tantùm obligantur in eamdem securitatem.

133. Assecuratio, quæ in lege dicitur *fideiussio*, sic definitur: *Est alienæ obligationis in se susceptio, qua quis se obligat ad eam implendam, si debitor principalis non solverit.* Dicitur *alienæ obligationis susceptio*, quia iste contractus est accessorius supponens obligationem principalis debitoris; & tanquam accessorius sequitur naturam principalis: ita ut fidejussor per hunc contractum non se obliget ad plus, seu magis extensivè, tam quò ad substantiam, quàm quò ad accidentia, quàm obligabatur debitor principalis: v. g. ut solvat 100. si principalis debitor solùm debeat 50. ut solvat hoc primo anno, si alter obligabatur solvere primùm post duos annos &c. ratio patet, cum enim ex dictis fidejussoris obligatio sit accessoria obligationi principali, debent ambo tendere in idem objectũ: Dicitur, *qua quis se obligat ad eam implendam*, quia fidejussor obligatur ad solutionem pro principali, & quidem in opinione probabiliori ante sententiam Iudicis, ut dicit Rodriquez *in Sum. verb. fidejussio cap. 199. n. 2.* quamvis probabile sit in foro conscientiæ non obligari ante sententiam Judicis, ut habet Machadus *ubi supra doc. 1. num. 6. in fine.* Addit, *si debitor principalis non solverit*, quia debitor principalis primò obligatur solvere, & hoc satisfaciente liberatur fidejussor, nec ullum potest haberi jus, aut actio contra ipsum, quoúsque principalis non fuerit ad judicium citatus, & à tali fuerit prolata sententia, nisi quando fidejussor hoc privilegium renuntiaret, uti nunc ordinariè fieri solet; vel si clarè constet, quòd principalis solvere non possit; & in alijs casibus relatis ab Antonio Gomez

mez citato à Villalobos *tom.* 2. *tract.* 29. *diffic.* 3. *num.* 2. Si quando plures sunt fidejussores, singuli obliguntur in solidum ad solutionem, aut pro rata parte tantùm, videri potest in Machado *ibidem num.* 4. & 5. Quinam autem possint esse fidejussores, quinam non, cùm sit quæstio potius ad forum externum, quàm internum spectans, ideo eam omitto.

Pars VI.

De Contractu Census.

134 CEnsus *est Jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius*, vel ut alij definiunt, *Est emptio ac venditio Juris, quo ad solos redditus singulis annis, certisve temporibus ex re aliqua solvendos*: Emptor, qui emit censum ab altero, & cui pensio solvenda est, appellatur Censuista, vel Censualista; Venditor autem, qui vendit alteri Jus accipiendi pensionē ex re sua, quique pensiones solvere debet, vocatur Censuarius. Dicitur *emptio, vel venditio*, in quo differt census à pensionibus, quas Rex in Præmium obsequij præstiti confert. Dicitur *emptio vel venditio Juris*, ad differentiam aliorum contractuum, in quibus res veneunt, quia in censu res non venduntur, sed actio, vel Jus accipiendi ex re aliquam pensionem: Additur *ad solos redditus*, quia censualista non emit fundum, aut Personam, sed solùm Jus ad redditus ex re sibi solvendos: Additur etiam *singulis annis*, quia singulis annis, sed tantùm semel in anno redditus solvendi sunt.

135. Census ex parte rei, in qua fundatur, dividitur in Realem, Personalem, & Mixtum; Realis est, qui constituitur super domum aut vineam, Personalis, qui constituitur immediatè super aliquam Personam. Mixtus verò, qui super Personam, & simul rem immediatè constituitur, ita ut utráque obligetur ad solvendos fructus. Ex parte modi dividitur Census in consignativum, & resignativum: Census resignativus est, cùm quis fundum pleno dominij Jure in alterum transfert, donando, vel vili pretio vendendo reservatâ sibi annuâ pensione, sive in pecunia, sive in fructibus ex eodem fundo præstanda. *De hoc L. ult. Cod. de rerum permut.* Hac ratione Joseph *Gen.* 47. prædia Ægyptiorum permutatione frumenti Regi Pharaoni acquisita, postea eisdem pleno Jure restituit, constituta in ijs annua pensione quintæ partis fructuum exceptis prædijs Sacerdotum. Census consignativus (qui modo ordinariè est in usu) est, quando traditur alteri aliqua summa pecuniæ cum obligatione solvendi annuam pensionem, aut redditum, seu quando certo pretio emitur Jus ad percipiendam pensionem annuam ex re, quæ jam erat alterius, qui pensionem solvere debet, tunc enim emptori à venditore constituitur, & quasi consignatur illud Jus percipiendi annuam pensionem ex tali certa re sua. Ex parte

durationis dividitur Census in temporalem, & perpetuum: temporalis est, quo pensio solvenda est ad tempus certum: v. g. ad 10. 20. 100. Annos, & dicitur census determinatus; aut incertum, utpote tempus vitæ, ementis Censualistæ, aut vendentis censuarij, aut alterius Personæ, Parentis, Filij, &c. Alerutrum concernentis, & hic dicitur census vitalitius. Census perpetuus dicitur, quo pensio stante contractu, cæterisque salvis semper solvenda est, ideoque etiam ad hæredes censuarij, & censualistæ transit: & hic census, si constituatur cum pacto, ut nunquam redimatur, seu ex neutra parte revocari possit, id est neque redimi à venditore, neque ab emptore eodem revendi, dicitur census irredimibilis: si constituatur cum pacto, ut possit redimi, saltem ex parte venditoris, seu Censuarij, dicitur redimibilis.

136. P. P. R. me accuso, quòd habeam aliquem scrupulum propter censum cum quadam Persona contractum.

C. V. D. fortè angitur scrupulo, quia initum censum constituit super Personam non super bona, qui census dicitur personalis? quamvis enim aliqui admittant tanquam licitum censum personalem; vera tamen, & tuta sententia est, hunc censum esse illicitum, non tantùm ex prohibitione Legis positivæ, sed etiam standō in terminis ex interdicto solius Legis naturalis, ut videri potest in Villalobos *tom. 2. tract. 23. diffic. 2. n. 2. & 3.*

P. P. R. census, de quo loquor, fuit realis, & non personalis.

C. Motivum scrupuli fortè est, quia V. D. pensionem æquo majorem accepit? quia contractus censûs est injustus, quando aliquid ultra debitam pensionem accipitur; quantum verò possit annuatim accipi, an sex pro centum, aut plus vel minus, judicium ferendum est juxta leges particulares Regionum, aut consuetudines legitimè introductas, vel secundùm virorum prudentum judicium, spectatâ naturâ, & qualitatibus censûs.

P. Meus scrupulus non est exinde: cùm tantùm id, quod regulariter practicatur, acceperim.

C. Fortè ipsius scrupulus est ex eo, quòd pensiones, aut redditus percepti excedant valorem capitalis, super quo constitutus est census? licèt enim aliqui DD. asserant, injustum esse censum, quando pensiones percipiendæ excedunt summam capitalis; alij tamen tenent esse licitum in hoc casu, ut videre est apud Machadum, *ubi supra tract. 3. doc. 1. num. 5.*

P. Neque ex hoc oritur meus scrupulus.

C. Fortassis, quia, cùm perierit fundus hypothecatus in securitatem redditûs, V. D. non destitit ab hoc redditu accipiendo? In censu enim merè reali casu quo pereat res, super quam constitutus est, ipsemet quo-

que

que census perit, ut cum Layman. Et alijs dicit Bassæus *Verb. Census tom. 1. num. 6.*

P. Non perijt res, super qua constituebatur census.

C. In quo ergo consistit ipsius scrupulus?

P. P.R. consistit in hoc, quòd pro fundando hoc censu nullam pecuniæ summam consignaverim, sed tantum ex quadam quantitate mihi debita ab una Persona in solvendo valdè morosa constituerim censum, quæ se obligavit ad solvendos annuatim proportionatos fructus.

137. C. Juxta Bullam Papæ Pij V. non licet debita antecedenter contracta reducere ad censum, nec ex redditibus elapsis eumdem augere: utrum hoc liceat spectato solo jure naturali, dubitant Doctores; & licèt aliqui id negent, probabiliter alij concedunt, ut habet Bassæus *verb. Census num. 12. tom. 2.* ita tamen, ut fraudes evitentur, & sit æqualitas inter capitale, & fructus. Ex quo patet, ubi Bulla Pij V. non est acceptata, licitum esse secundùm hanc opinionem censum fundatum in debitis pro priori contractis, & quòd Bulla Pij V. in Hispania non fuerit recepta, affirmat Machadus *ad. tract. 3. docum. 3. num. 2.* & licèt recepta fuisset, ait Megala apud Dianam *part. 1. tract. 8. resol. 44.* quòd, cùm dispositiones ejusdem Bullæ fundentur in præsumptione fraudis, hac cessante validus erit in foro conscientiæ talis census super præcedentibus debitis constitutus, quamvis conditiones â Bulla taxatæ non observentur. Qui videre optat conditiones pro censibus â Pio V. in sua Bulla præscriptas, consulat Summam Rodriquez. *verb. census cap. 87.* Villalobos *tom. 2. tract. 23. diffic. 9.* & Bassæum *verb. census.*

Pars VII.

De Contractibus Cambij, & Societatis.

138. Cambium rigorosè sumptum *est permutatio pecuniæ pro pecunia*, per quod hic contractus differt ab alijs, in quibus non traditur pecunia pro pecunia, sed vel merces, seu res vendibiles pro pecunia, ut in venditionibus, aut alicujus rei usus, ut in commodato, Precario, & sic de reliquis. Dividitur Cambium in Manuale, vel minutum, & locale, vel per litteras. Cambium manuale, vel minutum dicitur, quo pecunia unius speciei vel materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ, vel materiæ, utpote major cum minori, vetus cum nova, patria cum extera, aurea cum argentea; & dicitur cambium manuale, quia de manu ad manum eodem tempore perfici solet; minutum verò dicitur, quia plerúmque pecuniæ majores cum minutioribus commutantur. Cambium locale, seu per litteras dicitur, quo commutatur pecunia præ-

sens

sens in uno loco cum pecunia absente, & distante in alio loco; & dicitur cambium per litteras, quia plerumque litteræ dantur, quibus mandatur correspondenti, ut in alio loco pecuniam solvat, vel recipiat. Dividitur etiam cambium in reale, & siccum: Cambium reale dicitur, cum re ipsa una pecunia cũ alia quo ad rem, vel locum commutatur; ut aurea cum argentea, præsens cum absente, idquè ita, ut subsit justus titulus aliquid inde lucrandi, & hoc vel est manuale, vel locale, de quibus paulo ante diximus. Cambium siccum dicitur, quo pecunia pro pecunia datur absque ulla alterationè rei, loci, vel circumstantiarum; adeo, ut absit omnis justus titulus lucri, vel auctarij inde capiendi: v. g. Si numeretur pecunia Græcij, ut restituatur Viennæ cambiali cum incremento consueto ad illum locum, sed tamen fictè, quia revera numeratur Græcij, & restituitur Græcij; inde autem dicitur siccum, quòd careat vero titulo, & quasi humore fœcundo pariendi justum lucrum; est enim non reipsa, sed apparenter tantum cambium, re ipsa autem est verum, & merum mutuum, indeque sumptum lucrum vera, & mera usura. Porrò is, à quo petitur cambium, ut scilicet pecuniam permutet, dicitur campsor, seu cambista; is verò, qui cambium petit, & ad cujus petitionem alter pecuniam commutat, dicitur campsarius.

139. P. P.R. me accusò, quòd fungens interdum munere campsoris, aliquam pecuniam mihi comparaverim.

C. Fuitnè hoc lucrum ex cambijs siccis? hæc enim sunt illicita, & usuraria, tum ex declaratione Bullæ Papæ Pij V., in qua damnantur, tum ex eo, quòd cambium siccum sit verum mutuum palliatum, & ex mutuo nihil possit accipi ultra sortem.

P. P.R. mea cambia nec sicca, nec realia fuerunt.

C. Fungebaturnè V.D. Telonarij, aut campsoris officio à Rege, aut Republica ipsi collato? Quia in hoc casu, dato, quòd nullum habuerit stipendium à Republica, constat potuisse assequi justum aliquod lucrum correspondens suo labori, ac beneficio inde Reipublicæ evenienti. Ita Villalobos *tom. 2. tract. 24. diffic. 2. num.* 1.

P. P.R. nec hoc officium exercui.

C. Fortè ex cambijs aliquod lucrum V.D. cessavit, aut damnum aliquod emersit? quia ratione lucri cessantis, aut damni emergentis potuisset exigere aliquam utilitatem tali damno, vel lucro proportionatam; quantum verò ex his titulis possit exigi, & accipi, & quo modo, videatur P. Torrecilla *in suis consult. moral. tract. 5. Cons. 1. num. 26. & num. 38. & seq.*

P. P.R. nullum lucrum cessans, aut damnum emergens sui expertus ex cambio.

C. Fortè

C. Fortè V. D. lucrifecit per traditionem alicujus monetæ falſæ? quia hoc non licet quamvis V. D. fuiſſet cum ſimili moneta ab alijs perſonis decepta.

P. Moneta à me tradita fuit bona, & ordinaria.

C. Eratnè multitudo accipientium, & paucitas tradentium ad cambium? quia ſicut aliæ merces pluris valent, & vendi poſſunt, quando eſt multitudo emptorum, & penuria mercium; ita moneta in ordine ad cambia pluris valet quando reverà plures ſunt accipientes ad cambium, & pauci tradentes, ut videri poteſt in Bonacina *diſp.* 3. *de Contract. Q.* 5. *punct. unic. num.* 15.

P. Nec ratione hujus tituli lucrum percepi.

C. Quo ergo titulo lucrum percepit?

P. P. R. Specialis titulus mei lucri fuit beneficium factum Campſario per traditionem litterarum, eumdem liberando à periculo fortè incurrendo per translationem pecuniæ, & ratione induſtriæ, qua paratam pecuniam habui in loco, ubi alter eam recepturus erat.

140. C. Campſor licitè poteſt aliquod lucrum capere ex cambio per litteras, in quo præſentem pecuniam prius recipit hìc: v. g. Græcij, ut poſtea in loco diſtante v. g. Viennæ per ſe ipſum, vel correſpondentem ſuum recipiat alter litteris cambij munitus, qui proinde liberatur ab onere transferendi, & periculo latronum; hæc enim eſt induſtria Campſoris, eſtque pretio æſtimabilis diligentia, & labor exhibendi pecuniam paratam in loco, ubi alter eâ indiget: & in hoc caſu tres contractus includuntur; primus eſt commutationis pecuniæ pro pecunia; ſecundus conductionis, induſtriæ Campſoris pro tali pretio; & tertius aſſecurationis pecuniæ. Videatur R. P. Torrecilla *ubi ſup. num.* 1. *& ſeq.* Hoc idem lucrum poſſunt exigere etiam alij, qui ex officio non ſunt Campſores juxta Villalobos *ſupra diffic.* 3. *num.* 8. dummodò lex aliqua particularis id non vetet.

141. Contractus Societatis *eſt duorum vel plurium conventio, honeſtè contracta ad uberiorem quæſtum, & lucrum commune.* Dicitur *duorum, vel plurium*, quia duo, tres, quatuor aut plures poſſunt hunc contractum inire. Dicitur, *Conventio*, in quo Societas convenit cum alijs pactis, aut conventionibus. Dicitur *honeſtè contracta*, per quod indicatur, taliter contrahentes ab omni fraude, deceptione, aut lucro illicito debere eſſe immunes. Dicitur etiam *ad uberiorem quæſtum*, quia Contractus Societatis, de quo hic loquimur, non eſt Societas officiorum, aut illa, quæ vocatur *inter fratres*. ſed *quæſtuoſa, & lucratoria*, Additur *& lucrum commune*, ſi enim ille tantum, qui confert ſortem, ſive capitale: v. g. pecuniam, ſeu mercem, lucrum acquireret, & alteri cui labor & induſtria negotiandi

incumbit, congruum ſtipendium ſolveretur, non eſſet propriè contractus Societatis, ſed locationis, & conductionis.

142. Contractus Societatis poteſt iniri duobus modis; primò, ſic ut omnes ſocij conferant ſortem, ſive capitale æqualiter, vel inæqualiter, & ſingulis quoque labor & induſtria negotiandi incumbat *L. Societates §. Societas ff. eodem pro ſocio.* Secundò, ſic ut unus vel plures conferant ſortem, & alter, vel alij laborem & induſtriam negotiandi. Et ſæpius fieri ſolet, quòd labor, vel induſtria ſocij plus Societati conferat, quàm pecunia, vel merces, ſi ſolus ille naviget, ſolus peregrinetur, pericula ſubeat ſolus, &c. Et tunc proportionaliter plus vel minùs de lucro participare debet; quare ſinguli ſocij debent in Societatem aliquid conferre, ſive conferant pecuniam, ſeu mercem, ſive induſtriam, qui majorem hujus contractûs notitiam habere cupit, legat Bonacinam *tom. 2. diſp. 3. de contract. Q. 6 per totam.*

Pars VIII.

De Contractibus Promiſſionis, Donationis, Emphiteuſis, & Feudi.

143 PRomiſſio: *eſt deliberata, & ſpontanea fidei obligatio facta alteri de re aliqua bona, & poſſibili.* Dicitur *deliberata*, quia ratione carentes non poſſunt promittere. Dicitur *ſpontanea*, quia ſi non eſt libera, id eſt à deceptione, & coactione, invalida eſt. *Dicitur, fidei obligatio*, per quod differt promiſſio à propoſito, quòd non inducit obligationem, ſicut promiſſio. Dicitur *alteri facta de re bona*, quia promiſſio de re mala non eſt licita, nec obligat; hoc autem eſt diſcrimen inter promiſſionem factam homini, & promiſſionem factam DEO: nam ad promiſſionem factam homini ſufficit, ut res promiſſa ſit licita, & ſine peccato fieri poſſit, & ſi non ſit bona moraliter ſed omninò indifferens, vel minùs bona, aut majoris boni impeditiva, dummodò utilis ſit; ſic enim ſemper placet, & grata eſt homini: At verò ad votum, ſeu promiſſionem factam DEO requiritur, ut res promiſſa de ſe ſit bona moraliter, & quidem melior modo oppoſito, atque majoris boni non impeditiva; DEUS enim non acceptat tanquam rem ſibi gratam illud, quod non ſpectat ad bonum, ſeu cultum DEI, aut majus bonum impedit. Additur *& poſſibili*, nam *impoſſibilium nulla eſt obligatio*, nec quisquam impoſſibilia rationabiliter promittere poteſt. Ut promiſſio facta homini obliget, neceſſariò debet eſſe externa, nimirum vero interno conſenſu per verba, vel ſigna externa ſufficienter expreſſo, & inſinuato alteri, cui fit promiſſio, requiritur etiam ut ſit acceptata, ad hoc ut obligationem pariat ſaltem ex

ex justitia: ratio est, quia ad inducendam obligationem Justitiæ debet promittens transferre Jus in alterum, scilicet promissarium, per quod is habeat potestatem exigendi rem sibi promissam: atqui hoc Jus non potest transferri in alterum, nisi alter illud velit accipere, atquè de facto acceptet: ergo, &c. Post acceptationem verò, an obliget sub mortali, vel tantùm sub veniali peccato; hoc secundum tenent aliqui Authores. Verior sententia est, quòd si promissio sit de re gravi, obliget sub mortali: id totum tamen pendet ex intentione promittentis. Vide Dianam *part. 2. tract. 17. resol. 9.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 5. num. 21.* monet, plurimas promissiones excusari à mortali; quia non intendunt homines se obligare præcisè, & simpliciter, sed quadam benevolà honestate, ut jam in proverbium abierit, *verba honoris non sunt obligatoria.*

144. Donatio breviter ab aliquibus definitur, *quòd sit datio liberalis*, ab alijs fusius, quòd *sit liberalis, & irrevocabilis rei propriæ dominij translatio.* Dicitur *liberalis*, quo convenit cum promissione, & differt à mutuo, venditione, & alijs contractibus onerosis. Dicitur *& irrevocabilis*, quia completa donatione per traditionem rei, sicut transfertur hujus dominium, ita non potest amplius revocari. Dicitur *rei propriæ*, quia nullus donare potest, quod suum non est. Donatio una est *inter vivos*; alia *causa mortis* donatio *inter vivos* dicitur, qua res donatur à vivente viventi transferendo rei dominium in donatarium adhuc in vita donantis, animo scilicet, & voluntate, ut res donata fiat statim donatarij acceptantis, nec unquam ad donatorem revertatur. Et talis donatio inter vivos censetur, quoties absolutè aliquid alteri donatur absque ulla conditione, mentione, vel suspicione mortis, aut sine omni simili addito: Donatio *mortis causa* dicitur quæ fit à vivente viventi sub conditione mortis secuturæ donantis, si nimirum donans mortuus fuerit, adeóque transfert dominium rei donatæ simpliciter primò post mortem suam, & nihil prorsus antea; sic ut ante mortem semper pro libitu revocari possit, sicut omnis ultima voluntas; & talis donatio *mortis causa* censetur, si donans alteri quidpiam expressè addat *post mortem meam.* Donatio *inter vivos* potest esse absoluta, vel conditionata, modalis, vel causalis, ut videre est in Bassæo *tom. 2. verb. Donatio. num. 1.* Potest etiam donatio esse simplex, reciproca, vel remuneratoria: simplex, seu liberalis & merè gratuita dicitur, quæ fit secluså omni prorsus obligatione tam Justitiæ, quàm gratitudinis ex parte donantis, adeóque absque omni merito donatarij, sed tota quanta fundatur in liberalitate donantis: reciproca est, quando duæ, tres vel plures Personæ sibi invicem donant, & redonant: remuneratoria seu antidotalis

tidotalis est, quæ fit ex aliqua obligatione, non quidem Justitiæ, sed gratitudinis ex parte dantis ob merita donatarij, nimirum ad remunerandum beneficium à donatario acceptum. Plura potius ad Leges spectantia habet hæc materia donationis, quæ tanquàm minus necessaria pro Confessarijs relinquo, & Lectorem remitto ad alios Authores. Bassæum *verb. Donatio.* Villalobos *tom. 2. tract.* 20. & ad alios Summistas.

145. Emphitheusis *est contractus, quo res immobilis conceditur quoad utile dominium alteri cum obligatione solvendi pensionem certis temporibus Domino proprietatis.* Quamvis hic contractus videatur valde similis contractui locationis, & conductionis, in aliquibus tamen casibus differt ab ipso, ut constabit ex definitionis explicatione. Dicitur *Contractus* loco generis, per quod convenit cum alijs contractibus. Dicitur *quo res immobilis*, per quod differt à conductione, in qua res tam mobiles, quàm immobiles conduci possunt, in Emphitheusi verò tantùm res immobiles. Dicitur *conceditur quoad utile dominium*, & per hoc differt à permutatione, emptione, venditione, mutuo nimis patenter. in his enim contractibus non tantùm dominium utile, sed plenum transfertur in accipientem; in Emphitheusi autem solùm transfertur dominium utile, dominio directo seu proprietate rei semper apud Dominum proprietarium remanente. Additur *cum obligatione solvendi pensionem*, per quod differt hic contractus à commodato, & precario, in quibus conceditur usus rei gratuitò; & hæc pensio potest esse vel pecuniaria, vel fructuaria. Quod si Emphiteuta à tribus annis continuis in Emphitheusi laicâ, & duobus in Emphitheusi Ecclesiastica integram pensionem non solvat, ipso Jure cadit in pœnam commissi, résque caduca fit, ut inde Dominus eum expellere possit, quamvis solutione interpellatus non fuerit, prout statuitur utróque Jure. *L. 2. Cod. de Jure Emphiteutico: ex c. potuit de locato.* Excipe, si nulla culpa Emphiteutæ intercesserit; quia ubi culpa non est, neque pœna commissi locum habere debet. Emphitheusis alia dicitur temporalis, quæ conceditur ad certum tempus, sed longum; scilicet decennium, vicennium: alia vitalitia, quæ conceditur ad dies vitæ: alia hæreditaria vel in perpetuum, vel ad certas tantùm generationes, vel masculinas tantùm, vel etiam fœmininas.

146. Feudum *est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quo ad dominium utile pro fidelitate, servitioque personali exhibendo Domino proprietatis.* Per primas particulas numero præcedenti explicatas convenit cum Emphitheusi; per posteriores verò differt, quia in Emphitheusi debetur annua pensio realis pecuniaria; vel fructuaria, eámque Emphitheuta etiam non requisitus solvere

vere tenetur, eâque statuto tempore non solutâ cadit in commissum: in Feudo autem solùm est obligatio obsequij personalis exhibendi à feudatario seu vassalo suo Domino, idquè modo licito, maximè in bello justo susceptο à Domino, atquè ejusmodi obsequia eo ipso, quòd personalia sint, positivè non tenetur præstare Vassalus, nisi à Domino requisitus. Vide *lib. 2. Feud. tit. 6. & 7.* nequè ob quodvis negatum obsequium amittitur, seu caducum fit feudum, sed ob causam magnæ ingratitudinis, irreverentiæ, infidelitatis, hostilitatis, injuriæ, vel damni illati Domino in bonis vitæ, famæ, vel fortunæ.

Pars IX.

De *Custodibus Portarum, aut Portuum.*

147. P. P.R. me accuso, quòd in quadam occasione cum aliqua merce absque solutione vectigalium telonium pertransiverim.

C. V. D. obviavitnè custodibus, aut officialibus vectigalium?

P. Ita P.R.

C. Convenitnè cum ipsis, ad hoc, ut mercis transitum liberum permitterent?

P. Ita P. R. pro quatuor Imperialibus dono datis pacificum transitum obtinui.

C. Suaseruntnè V. D. ipsimet custodes, ut aliquid eis largiretur pro ejusmodi transitus permissione, aut V.D. eosdem rogavit oblatione quatuor Imperialium?

P. Ego ipsemet rogavi, ut dissimularent, offerendo eis hanc pecuniam.

C. Pro resolutione hujus casus suppono primò inter custodes, & inter conducentes vectigalia Regia ordinariè iniri contractum conductionis, & locationis, vi cujus prædicti custodes se obligant ad fidelem, & & diligentem portuum custodiam; quod fuit motivum agendi de hac materia inter cæteros contractus. Suppono secundò, custodes juramentum deposuisse Principi, aut Reipublicæ de fidelitate præstanda in eorum officio, ut dicit Machadus *tom. 2. lib. 2. part. 3. tract. 3. docum. 3. num. 2.* Suppono Tertiò, quòd inducere personam ad peccandum, sit peccatum scandali, ut docet communis Doctorum.

Hoc supposito V. D. graviter peccavit inducendo custodes ad secum dissimulandum. Et ratio est; quia per hoc custodes peccârunt graviter contra juramentum de fidelitate in officio præstando exhibitum: ergo etiam V. D. eos inducendo graviter deliquit.

148. Aliud esset, si ipsimet custodes sponte se obtulissent ad id silentio prætereundem; in hoc enim casu culpâ vacaret traditio illius pecuniæ, & ob eorum malitiam beneficium sibi præstitum. Hoc evidenter infero ex doctrina D. Tho.

Valentiæ, Suarez, & quos citat, & sequitur R. P. Aloysius de Saragoza *in tract. 21. de Sacram. in genere disp. 5. sect. 4. num. 36.* ubi docet licere à Ministro exposito, & parato petere administrationem Sacramentorum, quamvis indignè sit administraturus; juxta quam doctrinam pono syllogismum: In hoc casu notum est Pœnitenti Ministrum graviter peccaturum administrando Sacramentum cum conscientia peccati mortalis: & hoc non obstante potest licitè petere, ut administret, quia ad id est paratus: atqui quando custos convenit cum viatore de dissimulando, est dispositus, & paratus ad peccandum: ergo licitè poterit uti occasione oblatâ in propriam utilitatem.

149. Ratio ulterior est; quia non committit peccatum scandali ille, qui dicit, aut facit aliquid coram personis jam determinatis ad idem malum auditum, vel visum, ut dictum est *sup. tract. 5. cap. 7. n. 54.* & cum D. Tho. Suarez, & alijs sentit Joan. Sanchez *in select. disp. 46. num. 11.* Diana *p. 5. tract. 7. resol. 3.* & Bassæus *verb. scandalum num. 7.* Ergo cum custodes sint determinati ad silendum, & ipsimet ad hoc se se offerant, non erit peccatum eorum silentio uti.

150. *Contra*, Ille, qui *accedit ad mulierem* jam dispositam ad peccandum, & ab eadem solicitatus, non ideo non peccat cooperando ipsius peccato: ergo quamvis custos sit dispositus ad tacendum, & se se offerat, non propterea non erit peccatum cooperari transgressioni juramenti ab eodem præstiti. Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam; disparitas evidens est; quia *accedere ad mulierem* per se est peccatum; sed advehere, seu transferre occultè merces non est per se peccatum: & hac ratione peccat ille, qui *accedit ad mulierem expositam*, non verò ille, qui utitur silentio custodis invitantis, & offerentis liberum transitum suarum mercium. Deinde, ille, qui *accedit ad mulierem expositam* ab eadem solicitatus non committit peccatum scandali; quia non inducit, sed inducitur: sed sic est, quòd totum peccatum à viatore in nostro casu patrandum esset scandali activi in custodem: ergo cùm hic ipsemet jam dispositus, & determinatus solicitaverit viatorem (ut supponitur) nullum erit, in nostro casu peccatum.

151. Si quis verò instaret, dicendo, disparitatem esse inter casum custodum, & alterum petendi administrationem Sacramentorum à Ministro exposito, quem scitur indignè administraturum; quia à Ministro exigitur res, quæ absolutè bene, & licitè administrari potest, licèt ex sua malitia contrarium contingat; Custos verò nullo modo potest licitè dissimulare cum viatore absque violatione juramenti præstiti. Respondeo, quòd licèt verum sit disparita-

ſparitatem eſſe inter prædictos caſus, eſt tamen differentia etiam inter petere, ut fiat res mala, & uti malitiâ alterius in propriam utilitatem absque aliqua ſuaſione ad malum: Fateor illicitum eſſe petere aut inducere aliquem, licèt perfectè diſpoſitum, & determinatum ad rem intrinſecè malam, & quæ nullo modo licitè fieri poteſt: (*quid quid aliqui opinentur, quibus non aſſentior*) in noſtro tamen caſu nec petitur, nec inducitur cuſtos ad violandum juramentum; quin potiùs ipſe eſt, qui inducit, qui petit, & ſolicitat.

152. Baſſæus quóque *verb. cuſtos num.* 2. excuſat à peccato cuſtodes ſylvarum, fluminum, & montium (ſic) pariter ratiocinari licet de alijs cuſtodibus, qui diſſimulant) tribus conditionibus concurrentibus: prima eſt, quòd cuſtos ſciat defraudantem neceſſitate ductum id agere: ſecunda, quòd neceſſitas ſit extrema, vel quaſi extrema, & tertia, quòd ultra requiſita ad arcendam hanc neceſſitatem non permittat accipere.

Hæc opinio, ſi neceſſitas ſit extrema, eſt probabilis; quia in neceſſitate extrema non eſt rationabiliter invitus Dominus vectigalium, aut ſylvarum; nec juramentum requiſitum à cuſtode ad hoc rationabiliter ſe extendit; ſi autem neceſſitas tantùm eſſet gravis, hæc opinio non poteſt practicari, cum ſit expreſsè contra declarationem Innocentij XI. in Propoſitione 36. damnata, ex quo infertur in dicto caſu cuſtode non peccante diſſimulando, nec viatorem peccaturum ad id inducendo, quia ad rem peccaminoſam eum non induceret.

153. Quo ad injuſtitiam, quam V. D. potuit inferre Telonio, pro nunc non loquor, quia in hac materia unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat: det mihi campum examinandi maturiùs, & accuratiùs caſum, & poſtea reſolvam (ſic debet ſe gerere Confeſſarius, quando proponitur ipſi aliquis caſus arduus in materia Juſtitiæ, nè ſe exponat periculo damnificandi unam, vel alterutram partem, nec procedere ad deciſionem ſtante pede more aliquorum, qui tanquam Rotæ ſententiam exiſtimant, quid quid debile eorum judicium ipſis ſuggerit). In hac materia Teloniorum videatur Navarrus *in Manuali cap.* 17. *num.* 200. & Baſſæus *verb. Gabella*, ubi plures alij citantur, qui tractant de hac materia.

154. Et ex opinione horum, aliorúmque Authorum colligi poterit, an obligetur, vel non ad reſtitutionem, quicúmque defraudat Telonium: pro nunc ſolùm dico Baſſæum affirmativam tenere, ac fateri hanc eſſe communiorem opinionem.

155. An autem cuſtos poſſit ſibi retinere dono datum, vel id teneatur reſtituere viatori donanti? quamvis Baſſæus *verb. cuſtos num.* 5. ſentiat, quòd cuſtos teneatur reſtituere quantitatem pecuniæ acceptam à viatore, cum quo diſſimulavit hoc fundamento, qnòd donum oblatum

tum à viatore non sit perfectè voluntarium, sed mixtum involuntarium; adeóque non possit acquirere dominium, quia metus, ex quo procedit donum, minuit perfectum voluntarium; hoc tamen intelligit, quando custos extorsione, & violentiâ obtinet pecuniam, non quando præ metu accusationis ipsi datur.

156. Quamvis autem metus gravis communiter irritet contractus, est tamen communis opinio DD. non irritari, quando contrahens ex metu est causa ejusdem metus, seu quando metus procedit ab intrinseco: atqui in præsenti casu viator fuit causa sui metûs: ergo contractus donationis initus cum custode non obstante hoc metu erit validus. Minor est certa, quia si viator manifestâsset suas merces, evitâsset periculum, & metum proprij damni: ergo si ex eo, quòd non manifestaverit, hunc metum incurrit, sibi ipsi tanquam causæ imputet. Quare opinor, custodem posse retinere pecuniam à viatore ei traditam, eo fine ut sileat; quamvis peccet dissimulando, ac eundem non manifestando.

Et Confirmatur: quia licèt contractus ex injusto metu celebratus sit invalidus, non tamen qui ex justo metu: atqui metus, qui est causa hujus contractus donationis est justus, justè enim possunt, & etiam debent custodes accusare transeuntes sine manifestatione mercium: ergo hic contractus donationis est validus, & dominium ex dante transfertur in datarium.

157. Confirmatur secundò ex doctrina Bonacinæ *de Contract. disp. 3. Q. 1. punct. 2. n. 12.* asserentis, quòd promissio à Cajo facta Titio ex metu justo accusationis per hunc deferendæ sit valida: atqui custodes possunt justè accusare fraudantes vectigalia: ergo promissio, & donatio facta custodibus non obstante hoc metu erit valida.

158. Hoc idem demùm expresse sentit Villalobos *in Sum. 2. part. tract. 11. diffic. 9. num. 9.* his verbis. Custos, aut publicus Minister, qui pecuniam percepit, ut in prædictis dissimularet, & defacto dissimulavit, licèt peccaverit, non obligatur ad restitutionem &c. Machadus etiam *ubi sup. num. 5.* sic habet, probabiliùs tamen est, quòd in foro interno non obligentur custodes ad restitutionem lucri comparati in dissimulando, usquedum in foro externo per sententiam declaratoriam Judicis non condemnentur; excepto, si custos violentâ extorsione tale lucrum obtinuisset, tunc enim licitè id retinere non posset, ut dicit Basæus *supra*.

159. Certum in hac materia est, quòd custodes teneantur restituere: aut Reipublicæ, aut solventibus sibi solarium, lucrum illius diei, in qua fidelitatem non observant. Murcia *ubi sup. num. 4.* quia servus, aut Mercenarius,

cenarius sui laboris mercedem non poteſt accipere, ſi pro ſuo Domino non laborat: Cuſtos eſt velut mercenarius? ergo illa die, qua non laborat in beneficium conductoris, non poterit mercedem talis diei recipere.

160. Aliqui parùm verſati in Theologiâ morali de doctrina relata dubium aliquod conceperunt, alij nimis latam, alij nimis arctam judicarunt, aſſerendo, nimium eſſe ſcrupuloſum opinantẽ peccare mortaliter viatorem, qui retraheret cuſtodem à ſui accuſatione. Certiſſimum tamen, & evidens eſt, hoc in dubium ferri non poſſe: quia nemo dubitat, quòd cuſtodes graviter peccent contra præſtitum juramentum diſſimulando cum viatore; prout ait R. P. Leander de Murcia *tom. 1. diſq. lib. 2. reſol. 20. n. 4.* his verbis: *Peccant mortaliter, quia violant juramentum præſtitum de fideliter cuſtodiendo.* Idem dicit Villalobos *part. 2. tract. 11. diffic. 9. num. 1.* his verbis: *Cuſtodes, & Miniſtri publici, qui non funguntur ſuo officio, prout debent, permiſſivè ſe habendo ad damna, aut ad tranſitum mercium vetitarum, vel ſimilium, graviter peccant.* Idem affirmat A. R. P. Martinus de Torrecilla *in ſuis conſult. moral. tract. 5. conſult. 3. n. 12. fol. 304. ſecundæ impreſſ.* Et in hoc conveniunt DD. Neque dubitandum eſt, mortale eſſe peccatum inducere proximum ad graviter peccandũ, ut omnes Theologi in tractatu de ſcandalo docent; & loquendo *in terminis* de cuſtodibus id affirmat Bonacina *de reſtit. diſp. 1. Q. 2. punct. 11. num. 12.* ubi dicit; *Inducens alium ad peccatum eſt reus peccati, ad quod inducit:* ergo non eſt res dubia, peccare mortaliter eum, qui inducit cuſtodes ad diſſimulandum.

Pars X.

De Ludo.

161 LUdus *eſt Contractus, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat, quod uterque depoſuit.* Dicitur Contractus tanquam ratio generica, in qua ludus convenit cum alijs contractibus. Ludus per ſe, & ex natura ſua actio mala non eſt, ſed indifferens, ſi ſuſcipiatur ob competentem, & honeſtam animi oblectationem, quamvis ſoleat tempus, quod pretio æſtimari non poſſit, malè abſumi, & fieri cum detrimento filiorum, conjugis, familiæ, &c. Præter alias peſſimas conſequentias ipſi annexas, ut experientia quotidie docet. De aliquibus ſpectantibus ad hanc materiam Ludi dicam in 2. parte hujus Praxis *tract. 2. cap. 2. num. 14.* ubi diſcutiam, quænam bona ab Eccleſiaſticis ludo exponi poſſint, *& in tract. 14. cap. 2. num. 11.* Ubi patebit, an liceat Religioſis pecuniam ludo exponere. Hic tangam id, quòd magis practicè in hac materia ſolet contingere.

162. P. P.R. Me accuſo de vitio multùm ludendi

C. V.D. luditne ex habitu contracto, & velut conſuetudinariè, vel verò ſemel, aut iterum recreationis gratiâ, vel ludo valde periculoſo ſe exponit?

P. P.R. Soleo ludere in ludo ſatis largo, & parùm periculoſo.

C. Quamvis ludus intrinſecè non ſit malus ordinariè tamen eſt peccatum ex acceſſorijs, & ipſi annexis, ut paulò ante dixi; & per ſequentes interrogationes frequentiora reſolvam.

163. C. Solebatnè V.D. admiſcere fraudes contra leges ludi?

P. P. R. Interdum ſolebam provocare audacter, & fictè colluſorem, ad hoc, ut putaret, vel ſibi ſuaderet meliorem luſum me habere.

C. Hoc licitum eſt, quia dantur aliquæ fraudes juſtæ, & licitæ, quæ ſcilicet ſecundùm leges ludi illius communiter permittuntur: ut ſimulare metum, & provocare adverſarium ad audacius ſpondendum, aut ſi deteriores chartas habens de victoria deſperans ſimulet audaciam, & ſponſionem augeat, ut alter deterritus luſum, & lucrum ipſi cedat, quæ, & his ſimiles deceptiones licitæ ſunt, Lugo, & alij cum Diana *part.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 43. Aliæ verò ſunt fraudes injuſtæ, & illicitæ, quæquè in tali genere ludi à nullo honeſto fiunt, & tolerantur: ut chartas notare, abſcondere, permutare, plura puncta ſignare, decipere in numerandis calculis, aleas falſificare, ex induſtria alterius chartas inſpicere, ludere tertio quodam admonente de ſorte adverſarij, &c. Villalobos cum alijs *part.* 2. *tract.* 28. *diffic.* 4. *num.* 6. hujuſmodi fraudibus contra leges ludi utens peccat, & lucrum reſtituere tenetur non ſolùm illud, quod ipſe mediante tali fraude de facto lucratus eſt, ſed etiam illud, quod victus certò lucraturus fuiſſet, ſi fraus victoris non obſtitiſſet. Lucrum verò, quod colluſor victus caſu, & fortuitò præciſis his fraudibus acquiſiviſſet, non tenetnr victor reſtituere, cùm hoc lucrum ſit incertum, & dubium, *Et in dubijs melior eſt conditio poſſidentis*: Cùm ergo utens his fraudibus ſit in poſſeſſione ſuæ pecuniæ non perditæ, non tenetur ad hujus reſtitutionem.

164. Mihi dicat V, D. coëgitne aliquem ad ſecum ludendum?

P. Unicum tantum, qui ab initio ſponte incepit mecum ludere, poſtmodum verò obtento lucro aliquorum regalium à ludo ceſſare intendebat, eúmque ad continuandum luſum compuli.

C. V. D. peccavit contra juſtitiam, quia compellere, & cogere aliquam Perſonam ad agendum id, ad quod non obligatur, eſt peccatum contra juſtitiam: Colluſor nec ad incipiendum, nec ad continuandum luſum obligabatur, licèt fuerit lucratus: ergo V.D. peccavit contra juſtitiam cogendo, & compellendo ipſum ad continuationem luſûs.

165. Di-

165. Dicat mihi V. D. fuitnè lucrata postmodum ab illa persona aliquam pecuniam?

P. Ita P. R. aliquot regales fui lucratus.

C. Secundùm opinionem Soti *lib. 4. de Justit. Q. 5. art. 2.* Castri *de leg. penal. cap. 2. concl. 3.* Sanchez *lib. 4. de Matrim. disp. 10. num. 4.* Et aliorum, debet V. D. restituere hoc lucrum personæ violenter compulsæ ad ludendum; quia hæc violentia causat involuntarium mixtum, adeóque V. D. non potest acquirere dominium hujus lucri.

166. Sequendo tamen id, quod supra dixi de Custodibus quo ad voluntarium mixtum, nunc pariter dico, quòd in opinione probabili V. D. non obligetur ad restitutionem hujus postremi lucri. Ita Molina *de restit. tract. 2. disp. 516. num. 2.* Et alij, quam opinionem ut probabilem tenet Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 26. dub. num. 9.* Et ratio est; Quia (præscindendo modò à ratione voluntarij mixti) hic contractus ludi non obstante violentia fuit validus: ergo vi hujus contractus potuit acquirere dominium lucri. Consequentia est legitima: antecedens probo: quia si persona ad lusum compulsa lucrata fuisset, secundùm omnes acquisivisset dominium ejusmodi lucri sine onere restitutionis: atqui si contractus ludi inceptus, aut per vim continuatus esset invalidus, non posset persona dominium lucri acquirere: ergo contractus non obstante violentia fuit validus.

167. P. P. R. sæpè etiam lusi creditâ pecunia, nec semper solvi, quod in similibus ludis perdidi.

C. Lusitnè V. D. creditò ludo prohibito: v. g. aleis, &c.

P. Ita P. R. Quando predidi ludendo creditò, ludo prohibito lusi.

C. Interfuitnè juramentum ex utráque parte solvendi, quidquid alterutra perdidisset?

P. Ita P. R.

C. Primò probabile est, non esse grave peccatum per se loquendo ludere ludo legibus prohibito secluso scandalo, & contemptu, aliovè malo accidentali: Navarrus *cap. 20. num. 11.* quia est lex tantùm pœnalis id prohibens, & leges pœnales probabiliter non obligant in foro conscientiæ.

Neque est obligatio solvendi id, quod creditò amissum est ludo prohibito: Lessius *lib. 2. de restit. cap. 26. dub. 4. num. 24.* Sanchez *in Sum. lib. 2. cap. 23. num. 144.* Et alij. Cui enim datur actio ad repetendum solutum, datur etiam ad non solvendum: *Quia qui ad agendum admittitur, est multo magis ad excipiendum admittendus, cap. qui ad agend. de regul. Jur. in 6.* Atqui in ludo prohibito datur actio ad repetendum solutum: ergo etiam dabitur ad non solvendum amissum.

168. Citati DD. limitant hanc opinionem, dicendo, quòd accedente juramento solvendi, quidquid perditur ludo prohibito, maneat naturaliter obligatio ad solvendum;

quia juramentum *de re non mala* obligat ad ejus adimpletionem : juramentum solvendi, quod perditur ludo prohibito, est *de re non mala :* Ergo obligat ad ejus adimpletionem. Sed sicut hoc juramentum non confirmat contractum ludi prohibiti, sic momentanea solutione adimpletur; post quam solutionem V. D. habet actionem ad repetendum in judicio solutum: id constat *ex cap. quamvis, de pactis*, idem tenet Bassæus. *Verb. Ludus, in supplem. num.* 12. §. *Sed quid*, vel ut ait Diana *part.* 7. *tract.* 9. *resol.* 26. Salas, *tract. de ludo dub* 26. *num.* 8. ante solutionem potest V. D. ab Episcopo petere dispensationem à juramento, quà positâ cessat obligatio solvendi ludo prohibito creditò perditum.

169. C. Solebatnè V. D. ordinariè perdere in lusu?

P. Ita P. R.

C. Hoc est valde communè ludentibus, & hac ratione illi, qui frequentant lusum exponendo magnam quantitatem pecuniæ, ut plurimùm graviter peccant, suntque in malo statu, & absolutionis incapaces, nisi ab hoc vitio abstinere conentur. Villalobos *p.* 2. *tract.* 28. *diffic.* 5. *n.* 18.

Quamvis autem idem Villalobos *loco cit. diffic.* 1. *num.* 6. Filliucins *tom.* 1. *tract.* 27. *num.* 6. Bonacina, & Hurtadus excusent à peccato gravi eos, qui in proprijs laribus chartas, lumina, &c. colluforibus subministrant. Opinio tamen tuta, & communis similes condemnat peccati mortalis: ergo à fortiori debent condemnari, qui diù, & nimium temporis in lusu absumunt, ac notabilem quantitatem eidem exponunt. Consequentiam probo; quia exhibere, ac propriam domum concedere colluforibus, est rem ex sua natura indifferrentem subministrare: illi verò, qui experientiâ docti notabiliter perdunt in lusu, exercent rem malam, & peccaminosam: ergo si peccant concedentes domum, quanto magis colluſores abutentes lusu.

170. P. P. R. me accuso, quòd frequenter luserim cum Filijs familias, & postmodum habui scrupulum, an pecunia ab ipsis ludo exposita fuerit furto ablata Parentibus.

C. Non est dubium, quòd scienter ludere cum Filijs familiàs non potentibus alienare, & carentibus peculio proprio animo retinendi lucrum, sit grave peccatum; quia, sicut Filius non potest transferre dominium pecuniæ furtivæ, sic neque potest aliquis id acquirere, & consequenter omne lucrum tenetur eorúmdem Parentibus restituere. Dantur tamen aliqua bona sub dominio Filiorum familias, quorum si jacturam faciant, nullum gravamen inferunt Parentibus, & à lucrantibus retineri possunt. In sequenti capite differam de bonis, quæ validè à Filijs familias alienari possunt.

171. Pro Coronide hujus materiæ contractuum, ac hujus decimæ partis; in qua dictum est de ludo, qui est contractus à fortuna, & casu potiùs

potiùs, quàm ab arte, & industria dependens, operæ pretium duxi de alijs etiam contractibus, qui fortunâ reguntur, breviter agere, nempe de Assecuratione, Sponsione, & Sortibus. Assecuratio ergo *est contractus, quo alienæ rei periculum suscipitur pro pretio aliquo*: discrimen Assecurationis è fidejussione est, quòd fidejussio solùm in debitis ex contractu locum habeat, ut si non solvat debitor, solvat fidejussor, adeóque est obligatio accessoria, & non principalis; Assecuratio verò est obligatio principalis, & respectu cujuscúmque rei, etiam vitæ alienæ, & assecurator non adhibetur accessoriè in subsidium contractus, sed ut principalis in absolutam securitatem. Ut autem hic contractus assecurationis sit licitus, requiritur primò, ut qui assecurat, habeat bona, quibus totius rei assecuratæ compensationem facere possit, si ea tota pereat, vel partis, si pars pereat; unde qui nulla habet bona, nec habere sperat, assecurare non potest. Secundò, ut sit æqualitas inter pretium, & periculare assecurandæ, quod pretium justum certè vel Lex, vel usus communis, vel expertus vir determinabit. Tertiò, ut assecuratio sit libera, & non coacta. Quartò, ut assecurator ignorans admoneatur de periculis rei, ut si hæc perpendat, an velit assecurare, & quantum possit petere pro gravamine, quod subit. Quintò, ut res assecuranda existat, & quidem cum periculo, alioquin quid assecurabitur? unde si Titius petat à Cajo assecurationem certò sciens rem v. g. navim, vel merces jam periisse, invalida erit assecuratio Caij de navi, vel mercibus, neque Titius à Cajo exigere, vel recipere poterit ejus rei compensationem; quia reverà Cajus nihil assecuravit.

172. Sponsio *est contractus, quo in re dubia unus pro una parte, alius pro alia spondent, ut is lucretur, qui eventum, vel rei veritatem attigerit.* Ubi specialiter notanda est particula *quo in re dubia*, si quis enim esset certus de rei veritate, non posset spondere, nec pretium depositum lucrari, & retinere, nisi manifestata prius sua certitudine; alter tamen nihilominus contendere, ac deponere velit, asserendo, æqualiter esse certum de ejusdem rei veritate; tunc enim licitè spondere, & pretium depositum lucrari poterit: Et licèt aliqui Authores reprobent hunc Contractum, ab alijs tamen pluribus communiter approbatur, ut videre est in Machado *tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 5. *tract.* 7. *doc.* 3. *num.* 2. & addit *in num.* 3. licitum esse excessum voluntarium in re sponsa, vel deposita, ut quando unus ex spondentibus plus in minus liberè spondet.

173. Contractus sortium est similis contractui Sponsionis, & ex sua natura licitus est, dummodo servetur æqualitas, & nulla res superstitiosa, aut ars diabolica interveniat, in qua sit pactum explicitum, aut implicitum cum Dœmone: de hoc sufficienter

ficienter actum est *in tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 26. *& sequent.*

Cùm in præcedentis quinti capitis partibus materiam contractuum discusserim, pro complemento doctrinæ, ac notitiæ pertinentis ad septimum præceptum restat adhuc loqui de furtis, quæ particulares aliquæ personæ solent committere in sequentibus capitibus examinanda; injustitias verò, quas aliqui in suis Ministerijs committere solent, reservo mihi pro tractatu 15. & 16. 2. *partis hujus praxis.*

Caput VI.

De Bonis Filiorum Familias, & de eorum Furtis.

174 P. P.R. Confiteor, quòd adhuc sub potestate Parentis mei constitutus solebam interdum aliquem regalem ipsi accipere.

C. Fortè quantitas ablata fuit notabilis?

P. P.R. Frequenter in hoc deliqui, quare puto quantitatem ascendere centum Ducatos.

C. Quod accepit, fuitnè pro honesta, & juxta suum statum recreatione capienda?

P. P. R. Quidquid accepi, fuit sæpè in hunc finem, & postmodùm in rebus illicitis, & profanis totum id consumpsi; fateor pariter, quòd excesserim in accipiendo plus, quàm decentia mei status requireret.

C. Non est furtum, si filius accipiat ex bonis Patris id, quod ipsi est necessarium pro honesta recreatione juxta conditionem sui statûs, & juxta id, quod alij paris gradûs, & dignitatis rationabiliter expendunt; quia ad furtum requiritur, ut Pater sit rationabiliter invitus, quòd filius accipiat sibi necessaria pro honesta recreatione: Pater non est rationabiliter invitus: ergo taliter accipere non est furtum. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 12. *dub.* 13. *num.* 26. & alij.

175. Neque peccavit V. D. contra justitiam expendendo in profanos, & illicitos usus illam quantitatem à Patre rationabiliter concessam pro honestis usibus. Fagundez *in* 7. *Decalog. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 4. quia non expendit hanc pecuniam contra voluntatem Patris *quò ad substantiam*, sed tantùm quò ad modum: Quando Dominus non est rationabiliter invitus quò ad substantiam, licèt sit quò ad modum, non est peccatum contra justitiam: ergo V.D. non peccavit contra justitiam expendendo in illicitos usus hanc pecuniam. Peccavit tamen peccato prodigalitatis oppositæ virtuti moderationis, quæ virtus inclinat ad expendendam cum moderamine pecuniam.

Quando autem V.D. accepit aliquid plus quàm Pater rationabiliter concessisset, vel debuisset concedere pro honestis usibus, peccavit contra justitiam cum onere restitutionis.

176. Quare mihi dicat, quæ quantitas sit ablata excedens quantitatem requisitam

requisitam ad suas honestas recreationes capiendas?

P. P. R. erit quantitas quinquaginta ducatorum.

C. Et hanc quantitatem surripuit-ne simul, vel successivè?

P. P.R. modò duos, modo quatuor, & hoc modo hanc summam surripui.

C. Communiter requiritur major quantitas ad peccatum mortale furti respectu Filiorumfamilias, quàm requiritur ad peccatum mortale respectu extraneorum. Ego judico duplo majorem requiri: v. g. si ab extraneo valde divite auferre quatuor non sit materia gravis, nec erit talis auferre octo à Patre æqualiter divite: hoc infero ex doctrina Bassæi *verb. Furtum. 2. num. 1.* & Cajetanis *tract. 18. disp. 5. sect. 1. n. 57.* qui cum Lessio docet, quòd auferre octo à Patre mediocriter divite non sit peccatum grave: atqui conveniunt unanimiter DD. quòd auferre quatuor ab extraneo mediocriter divite sit materia gravis: ergo duplò major quantitas requiritur ad hoc, ut furtum filiorum factum Parentibus sit grave peccatum.

177. Præterea quando quantitas aufertur non tota simul, sed per furta minuta, requiritur pariter duplò major quantitas, ut materia sit gravis, etiam respectu extraneorum, ita Diana *prima part. tract. 6. resol. 347.* Ex quo infertur quadruplò majorem quantitatem requiri, ad hoc ut filius minutatim auferens à Patre dicatur graviter peccare: v. g. si auferre ab extraneo simul, & semel quatuor regales sit peccatum mortale; ut hoc committat filius auferens à Patre æqualiter divite, requiruntur octo regales; si verò per furta minuta accipit, sexdecim requiruntur. Et quia V. D. excessit hanc quantitatem, ideo gravem materiam constituit.

178. Dicat mihi, hæc quantitas à V. D. in domo sui Patris ablata fuit-ne ex bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus?

P. P. R. nescio, quænam bona sint hæc castrensia.

C. Bona castrensia dicuntur illa, quæ filius ratione militiæ acquirit, sive mobilia sint, sive immobilia, ut stipendia militum, prædæ ex hostibus, donationes Ducum, comilitonum, legata ratione militiæ data à Parentibus filio eunti ad bellum vel obsequium Principis, denique omnia lucra, quæ ex talibus bonis mediante fructu, vel contractu proveniunt. Bona quasi castrensia dicuntur, quæ licèt ratione militiæ acquisita non sint, gaudent tamen privilegio castrensium, eò quòd acquirantur medio etiam ordinato ad bonum commune, utpotè illa, quæ filius acquirit ex quocunque officio publico, quod stipendium publicum habet *L. 7. cùm multo. c. de bonis, quæ liberis.* utpotè Advocati, Medici, Consiliarij, Professores Theologiæ, Juris, Medicinæ, aut unius ex artibus liberalibus non mechanicis. Item quæ filius clericus acquirit

rit ex beneficio, vel officio ecclesiastico, vel ex donatione Principis, & quid quid datur expressè filio, ut sint quasi castrensia, quæ non possunt legitimè fieri, nisi à Principe, vel Domino Superiore tam Patris quàm filij.

Bonorum Castrensium, vel quasi castrensium filius familias plenum, & perfectum dominium habet, ita ut eorum dominium directum, seu proprietas, & dominium utile, ac ipsa administratio ad ipsum filium pleno Jurè spectat independenter à Parente; adeóque de ipsis (nisi ætate, vel lege impediatur) liberè possit disponere donando ludendo contrahendo, &c. absque violatione justitiæ.

179. P. P. R. ex hoc genere bonorum nihil possedi, solùm vineam habui à fratre meæ Matris mihi relictam, & aliam partem, quam pariter frater mei Parentis mihi reliquit.

C. Pars relicta à fratre Parentis fuit nè intuitu Parentis?

P. Ita P. R. ex singulari affectu, quem habuit erga Patrem, hoc beneficium percepi.

C. Et Vinea relicta à fratre matris fuitnè quóque relicta intuitu ipsius matris?

P. Ita P. R. ipsamet enim rogovit fratrem, qui utpotè valde ei affectus consensit in hoc legatum,

C. Pars vineæ relicta ipsi à fratre Parentis reputatur inter bona profectitia, ita ut, quæ à filio acquiruntur, sive ex testamento, donatione, aut amicitia aliàs non danda nisi *intuitu Patris*, vocentur bona profectitia, quorum Pater habet dominium directú, & utile, ac usûsfructum, & hæc bona profectitia solùm prosunt filio, quando bona Paterna ex delicto traduntur fisco, cui non possunt tradi bona profectitia filij, hoc constat ex textu Civili, & Petro de Navarra *lib. 3. de rest. cap. 1. n. 24.* Sylvest. *Verb. peculium Q. 3.*

180. Vinea à fratre Matris V. D. relicta reputatur inter bona adventitia, ita ut, quidquid filius acquirit intuitu Matris, dicatur bonum adventitium, cujus filius habet dominium proprietatis, & Pater dominium utile; defuncto autem Patre dominium cedit filio. Ex quo infertur, quòd peccet filius cum onere restitutionis, si ex bonis profectitijs accipiat Patri; quia ejusmodi bonorum filius nullum dominium habet.

181. Infertur etiam, quòd si vivente Patre filius accipiat, aut expendat bona adventitia, peccet, & teneatur ad restitutionem non proprietatis, quia hæc sua est, sed usûs fructûs à Patre ex ijsdem bonis capiendi: v. g. hæc vinea V. D. à fratre suæ Matris tradita, & quæ connumeratur inter bona adventitia, supposito, quòd annuatim duodecim mensuras vini fructificaret, & quælibet mensura quadraginta regalibus venderetur, V. D. teneretur restituere Patri æquivalens duodecim mensuris vini (deductis expensis à Patre in cultura vineæ faciendis) si verò V. D.

V.D. venderet, aut vineam destrueret, non obligaretur ad restitutionem pretij proprietatis vineæ, quia hæc spectat ad filium.

Cùm igitur V.D. non habeat bona castrensia, vel quasi castrensia, non potuit accipere Patri hos quinquaginta Ducatos, adeóque tenetur eos restituere, nisi ex principijs sequentibus patiatur excusationem.

182. Dicat mihi, si V.D. rogâsset Patrem pro condonatione, indulsissetnè?

P. Ita P. R.; quia singulari affectu semper me prosecutus est.

C. Quamvis Lex Civilis communiter irritet donationem factam â Patre filio inter vivos; mortuo tamen Patre dicta donatio confirmatur, si ejus summa non excedat id, quod Leges municipales sanciunt. In Regno Navarræ minor est difficultas propter libertatem testandi, cùm bonorum, quæ titulo majoratûs, & primogenituræ non sunt vinculata, possint hæredem instituere quemlibet extraneum, dummodò relinquant filijs congruum, & filiabus sufficientem dotem ad decenter Matrimonium contrahendum. Et cùm V.D. ex affectu speciali Patris erga se de ejus condonatione præsumat, à restitutione 50. Ducatorum liberatur.

Hæc doctrina notanda est Confessarijs pro Nepotibus, qui eorum Patruis quædam minima furantur, & minores fratres majoribus, hos enim Patruos, & majores, pruden-

ter præsumitur habitâ notitiâ, fore condonaturos, nec fuisse *quo ad substantiam* invitos, sed tantum quo ad modum; adeóque similia furta culpam venialem non excedere.

183. Unicam limitationem potest prædicta doctrina pati, quæ per sequentem interrogationem examinabitur. Dicat mihi: ob quinquaginta hos ducatos clam acceptos, quos V. D. præsumit Patrem ipsi condonaturum, patienturnè detrimentum fratres, aut sorores quò ad honestum Matrimonium contrahendum? quia cum detrimento victûs, aut dotis aliorum filiorum non potest Pater taliter remittere, aut condonare.

P. P. R. præcisis his 50. Ducatis meis fratribus, & sororibus remansit sufficiens, & congrua dos: ast habeo scrupulum fundatum in hoc, quòd meus Parens in testamento dispositurit, ut de sua substantia omnes filij æqualem partem haberent: debeonè in partitione hæreditatis cum fratribus computare in meam partem quinquaginta Ducatos?

C. Hoc non obstat, quo minùs V.D. possit æqualiter cum fratribus participare de hæreditate, quando probabiliter præsumit, quòd Pater condonaturus esset quinquaginta Ducatos; suppositâ enim hac præsumptâ donatione voluntas Patris esset, ut residuum æqualiter inter suos filios divideretur.

184. Ut majori tamen cautelâ, & securitate procedamus, dicat mihi,

scitnè V. D., quòd fratres similiter fuerint furati?

P. P. R. pro certo teneo, quòd fratres tantundem acceperint, si non plus, quàm ego, quilibet enim surripiebat, quidquid poterat.

C. Si ergo ipsi non computant id, quod abstulerunt, sed æqualiter participant de hæreditate, idem potest V. D. facere. Ita Fagundez *in 7. Decalog. lib. 7. cap. 3. n. 6.* Res practicata frequenter à filijs familias, quod alterutri soleant Parentibus eorum furari, modò frumentum, modò Oleum, modò Vinum, & similia; & quando dividenda est paterna substantia, omnes silent, & pro justa compensatione damni sibi invicem illati nullam mentionem faciant de rebus promiscuè ablatis. Parentes autem, ut antecedenter dixi, tantùm quò ad modum censentur inviti, quando id, quòd aufertur, utiliter impendi intenditur.

185. Majori adhuc securitate potest hæc quantitas compensari, quare necessarium est scire, an V. D. inserviverit, vel gesserit negotia Patris aliquo tempore?

P. Ita P. R. per quatuor integros annos gessi negotia ipsius, ita, ut meo labore, & industriâ exemerim Parentem ab onere alendi, & solvendi famulum.

C. Pro hoc labore, & industria habuitnè V. D. aliquam solutionem à Parente?

P. Non P. R. nihil aliud præter alimenta habui.

C. Ex hoc unico ergo titulo posset V. D. retinere hanc summam, quia opinio communis est, quòd filius familias possit exigere à Parente stipendium pro obsequio indebito, quantum daretur extraneo, detractis tamen expensis, quas Pater tunc in illo alendo faciebat; addunt aliqui, ad hoc requiri, ut filius protestetur se nolle in his operibus, & obsequijs extraordinarijs gratis servire, seu ut ostendat expresse, vel tacite, se velle lucrari; & si filius non audeat hoc manifestare Patri ob reverentiam, seu ob metum reverentialem, aut quia Pater repugnaret, poterit filius clam sibi compensare. Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 8. num. 12.* Et cum communi P. Moya *in select. tract. 6. Miscellan. disp. 4. Q. 1. num. 2. & 5.*

186. P. P. R. Confiteor, quòd alius meæ Matris consanguineus viginti Ducatos in parata pecunia mihi reliquerit, quos pariter sine consensu Patris consumpsi.

C. Hæc pecunia fuitnè ipsi relicta intuitu Matris?

P. Ita. P. R.

C. Pro resolutione hujus casus advertendum est primò, tria genera fructuum dari: aliqui sunt merè naturales, alij mixti, & alij industriales: naturales sunt illi, quos terra absque humana cultura reddit: v. g. herba in pratis, plantæ in montibus, & sylvis: mixti sunt illi, quos terra producit addita hominum cooperatione, ac industriâ: v. g. fructus in vineis, seminatis, & conductio domuum,

nuum, ac animalium: industriales dicuntur, qui solum procedunt ab humana industria, non ex rei fœcunditate: v. g. pecunia, quæ ex sua natura sterilis est, & humana industria fœcundam, & fructiferam reddit per negotiationem.

187. Advertendum secundò, hanc pecuniam à V. D. perceptam connumerari inter bona adventitia, cùm intuitu Matris eamdem acquisiverit. Ex quo infertur, quòd V. D. licitè potuerit absque gravamine, & consensu Patris eam expendere: siquidem bonorum adventitiorum Pater solùm dominium utile, seu usum fructum, & administrationem habet, filius verò dominium directum, seu reiproprietatem: atqui pecunia non potest habere usum fructum, cùm *ex natura sua* sit infructifera: ergo nullum damnum intulit Patri absquè ejus consensu eamdem expendendo. Quamvis possit esse peccatum contra aliam virtutem, si immoderatè consumpta fuit, & potuit etiam inferri damnum Patri, si fuit campsor, aut alios contractus inivit, in quibus suâ industriâ poterat fructiferam reddere pecuniam.

Caput VII.

De *Furtis Maritorum respectu Uxorum.*

188 P. P. R. dico meam culpam, quòd in recreationes, & profanos usus aliqua bona domestica consumpserim.

C. Quod consumpsit: fuitnè ex dote uxoris? quia licèt Maritus habeat (dum vivit) administrationem dotis, dominium tamen spectat ad uxorem, & defuncto Marito, integra dos est restituenda.

P. P. R. non fuit ex bonis dotalibus.

C. Fortè ex bonis acquisitis?

P. Ita P. R.

C. Eratnè notabilis summa res consumpta?

P. Ita P. R. fuit notabilis.

C. Bona acquisita à Marito, & uxore constante Matrimonio, ambobus communia sunt, & licèt Maritus administrationem habeat, peccat contra justitiam, & temperantiam in ludos, & usus illicitos ea expendendo. Quamvis autem Navarrus *in summa cap. 17. num. 155.* doceat, Maritum non obligari restituere uxori benè, vel malè consumptam partem bonorum acquisitorum, quia pro bonis adventitijs habentur illa, quæ tempore divortij, aut mortis inveniuntur; hæc opinio tamen Navarri est contra communem, quæ docet Maritum teneri ad restitutionem illius portionis illicitè consumptæ ex bonis, quæ supersunt, & sibi obtingunt. Petrus de Navarra *lib. 3. cap. 1. num.* 114. Covarruvias, & alij, quos citat, & sequitur Villalobos, *part. 2. tract.* 13. *diffic. 9. num. 3.* Et ratio est; quia qui dissipat, & absumit rem alienam invito Domino, peccat contra justitiam cum onere restitutionis; dimidium bonorum acquisitorum spectat ad uxorem: ergo Maritus ea absu-

mens invitâ rationabiliter uxore, peccat cõntra juſtitiam cum onere reſtitutionis.

Cæterùm citra peccatum poteſt Maritus de bonis acquiſitis facere aliquas expenſas, præſertim ad donationes liberales, maximè remuneratorias, eleemoſynas, recreationes, vel ludos honeſtos ſuo ſtatui congruos, & ſecundùm conſuetudinem aliorum ſuæ conditionis virorum. Molina, & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez in conſil. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 7. *n.* 8. quia in hoc non eſt rationabiliter invita uxor.

189. P. P. R. dico meam culpam, quòd de his bonis acquiſitis aliquam quantitatem Fratri meo valde egeno dederim.

C. Juxta opinionem Antonij Gomez *Leg.* 5. *Tauri num.* 73. Caſanei, & aliorum, quos citat Thomas Sanchez *ubi ſup. num.* 6. univerſaliter docentium, quòd Maritus poſſit de bonis acquiſitis facere donationes, V. D. non peccavit donando hanc quantitatem ſuo Fratri. Opinio tamen contraria eſt communis, & vera, quam ſequitur idemet Sanchez *ibid. num.* 3. quia ſimplex adminiſtrator nequit de bonis, quæ adminiſtrat, facere donationes: Maritus eſt merus adminiſtrator bonorum acquiſitorum: ergo de his nequit facere donationes: Major eſt certa, quia in donationibus transfertur dominium ex dante in datarium: adminiſtrator non poteſt transferre dominium bonorum, quæ adminiſtrat: ergo nec ea donare. Minor probatur; quia qui non habet dominium rei, non poteſt illud in alium transferre: adminiſtrator non habet dominium bonorum, quæ adminiſtrat: ergo nec poteſt transferre dominium.

Et ita V. D. de ſua portione horum bonorum acquiſitorum potuit donationem facere ſuo fratri egeno; idem dico, ſi habet Parentes aut filios ex alio matrimonio in neceſſitate conſtitutos. Sanchez *ubi ſup. n.* 12. cum Corduba, & alijs, Bartolus, & alij, quos citat, & ſequitur Villalobos *ubi ſup. num.* 6. quia hujus partis bonorum non tantùm V. D. eſt adminiſtrator, verùm etiam dominium habet.

Caput VIII.

De Furtis Uxorum reſpectu Maritorum.

190. P. P. R. me accuſo, quòd aliquid dem filio ex alio Marito egenti alimentis.

C. Quod dat huic ſuo filio, eſtne ex bonis paraphernalibus?

P. Cujus generis ſunt hæc bona?

C. Bona paraphernalia ea dicuntur, quæ habet uxor præter dotem undecúnque, ſive illa, quæ uxor in contractu Matrimonij ſibi reſervavit, ſive illa, quæ contracto Matrimonio acquiſivit donatione, legato, aut alia ratione, ſive illa, quæ uxor ſuo labore, & induſtriâ acquiſivit, præciſis tamen operis, & obſequijs

sequijs debitis familiæ; & horum bonorum, sicut uxor habet dominium, & administrationem, ita quoque ad libitum ea impendere, & dispensare potest.

P. P. R. Hujus generis bona non habeo.

C. Quod dispensavit filio, fuitnè ex bonis dotalibus? licèt enim horum bonorum dominium, & proprietas ad uxorem spectet; quia tamen eorum administratio, usus, & fructus durante Matrimonio ad Maritum Jure pertinent, ideo si uxor auferat aliquid notabile ex his bonis Marito seriò, graviter, & quò ad substantiam invito, peccat mortaliter cum obligatione restitutionis. D. Thomas 2. 2. Q. 62. *in Sum. cap.* 17. *n.* 153. & est communis.

P. P. R. quod filio dedi, fuit ex bonis acquisitis.

191. C. Quamvis bonorum acquisitorum administratio spectet ad Maritum, opinio tamen probabilis est, quòd uxor habens ex alio Marito filios: aut Parentes egenos, possit his ex ijs succurrere, aut etiam ex bonis dotalibus, si Maritus hoc negligit. Petrus de Navarra, & Corduba apud Lessium *lib.* 2. *de Justit. cap.* 12. *dub.* 14. *sub. num.* 88. Villalobos *ubi supra diffic.* 8. *n.* 6. Et ratio est; quia Maritus nequit esse rationabiliter invitus, quòd uxor adimpleat, cùm possit id, ad quod Lex naturalis ipsam obligat: atqui Lex naturæ obligat ad præbenda alimenta necessaria filijs, & Parentibus egenis: ergo Maritus nequit esse rationabiliter invitus, quòd uxor ijsdem succurrat.

192. P. P. R. ex his bonis acquisitis aliquid etiam uni meæ sorori pauperculæ impertivi.

C. Potuit hoc facere secundùm opinionem probabilem Petri de Navarra *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 151. & aliorum: hoc constat ex Lege Fori *L.* 1. *tit.* 8. *lib.* 3. *For.* Sed ut benè advertit Lessius *ubi supra*, quando postmodum venitur ad partitionem bonorum acquisitorum, uxor in suam partem debet conferre ea, quæ tradidit Parentibus, Filijs, aut Sororibus in egestate constitutis.

193. P. P. R. me accuso, quòd subinde meus maritus soleat domum ferre aliquem agniculum, aut modicum frumenti furtivi præcipiendo, ut pro familia alenda ijs utar.

C. Consentitnè in hoc voluntariè?

P. Non P. R. quinimò aliquoties positivè restiti, ex quo non nisi amaritudinem, & tribulationem reportavi.

C. Cùm ergo illibenter utatur rebus furtivis, sed tantùm præ timore Mariti, non peccat, ut ait Remigius *in Sum. adjunc. tract.* 2. *cap.* 7. §. 6. *n.* 6. Quamvis indubium existimem, quòd *ratione rei acceptæ* tam Maritus, quàm ipsa obligentur ad restitutionem ex bonis communibus, aut acquisitis faciendam.

194. P. P. R. meus Maritus est adeò tenax, ut sicut ignorat, quantùm requiratur pro sustentatione

unius familiæ, ita quoque parcè se gerit in præbendo necessaria, quare pro his clam accipio, ut mihi, & familiæ consulam.

C. licitè hoc agit, quia in hoc Maritus est irrationabiliter invitus. Petrus de Navarra *ubi sup. n.* 89. quod idem dico de ijs, quæ pertinent ad honestas recreationes, decentes eleemosynas, & largitiones juxta consuetudinem aliarum suæ conditionis fœminarum. Lessius *lib.* 2. *de justit. cap.* 12. *dub.* 14. *num.* 85. Molina *disp.* 274. quamvis expressè vetet Maritus, quia in his omnibus est irrationabiliter invitus.

Caput IX.
De *Furtis Famulorum.*

195. P. P. R. me accuso, quòd in domo mei Domini aliqua surripuerim.

C. Sunt ne hæc comestibilia?

P. Ita P. R. sed etiam de non comestibilibus abstuli.

C. Hæc comestibilia pro se, vel pro alijs abstulit?

P. P. R. aliquando pro me, aliquando pro meis amicis.

C. Famuli auferendo à suis Dominis in notabili quantitate tam esculenta, & poculenta, quàm alia mobilia, vel pecuniaria, ut dent alijs, vel ut de ijs eleemosynam faciant, peccant mortaliter peccato furti. Villalobos *p.* 2. *tract.* 13. *diffic.* 10. *num.* 1. & 2. nisi probabilis esset præsumptio de consensu Dominorum, in quo casu ex voluntate præsumpta ablatio similium declinaret à furto. Possunt tamen famuli excusari à mortali, quando minimam quantitatem victualium successivè furrantur, quæ fit notabilis progressu temporis, modò illam convertant in proprium usum; in hoc enim casu Domini non censentur inviti quò ad substantiam rei, sed potiùs quò ad modum accipiendi; modus autem accipiendi contra voluntatem Domini non sufficit per se ad peccatum mortale, ita Navarrus *cap.* 17. *n.* 138. & alij, quos citat clavis Regia *lib.* 9. *cap.* 26. *num.* 20. Dixi, modò convertant in proprium usum; nam si accipiant notabilem quantitatem victualium ad vendendum, vel ludendum, vel consumendum cum exteris, peccant mortaliter peccato furti: Domini enim censentur inviti etiam quò ad substantiam. ita P. Navarrus & Clavis Regia *loco cit.*

196. P. P. R. me accuso, quòd, videndo furto auferri mei Domini vestitum, cùm potuissem impedire, id neglexerim.

C. Fuitnè ipsi commissa cura rerum domesticarum sui Domini? quia hoc posito ex justitia tenebatur eas custodire; secùs faciendo peccavit contra justitiam cum onere restitutionis. Layman. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract* 2. *cap.* 5. *n.* 7. Navarrus *cap.* 14. *num.* 7. & alij, docentes, quòd cui concredita est cura, & custodia alicujus rei? v. g. Oeconomo cura rerum familiarum: si suâ culpâ pereunt, aut

nferuntur, obligetur ad reſtitutio-
em: ergo ſi Dominus comiſit ei
uram rei domeſticæ; obligatur ad
ſtitutionem veſtitûs, cujus furtum
on impedivit.

P. P. R. non fuit mihi commiſſa
ra particularis rem cuſtodiendi.

197. C. Jlli, qui hanc rem abſtu-
unt, erant nè conſamuli in ea-
em domo? quia ſi ita eſſet, quam-
s peccaverit contra charitatem
n impediendo furtum, non pec-
vit tamen contra juſtitiam, nec
ligatur ad reſtitutionem, ſuppoſi-
, quòd ex officio rem domeſti-
m cuſtodire ipſi non incubuerit.
otus, Leſſius, & alij citati à Diana
rt. 4. *tract.* 5. *reſol.* 54.

P. P. R. qui veſtimentum furati
nt, erant fures extranei.

C. In hoc caſu docet Sotus *lib.* 4.
juſt. Q. 7. *art.* 3. Navarrus *lib.* 3.
n. 1. *n.* 224. Pleríque alij, quòd ip-
peccaverit contra juſtitiam cum
ligatione reſtitutionis; quia fa-
ulus, ut famulus, tenetur ex juſti-
cuſtodire domum cum ejus ſub-
ntia: qui non ſatisfacit obligatio-
ex juſtitia, tenetur ad reſtitutio-
em: ergo &c.

Quamvis Machadus *tom.* 6. *lib.* 6.
rt. 2. *tract.* 11. *docum.* 2. & cum
onio, & alijs Trullench in Deca-
. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 3.
m. 5. aſſerant, quòd ſi famulo
n ſit recommendata cuſtodia ali-
jus rei, licèt peccet contra chari-
em non impediendo damna, quæ
r furtum Domino inferuntur, non
tamen contra juſtitiam; & conſe-
quenter non obligatur ad reſtitutio-
nem, ſivè fur ſit domeſticus, ſivè ex-
traneus. Et ratio eſt; quia diſcrimen
aliquod debet aſſignari inter illum,
qui ſpecialem curam habet alicujus
rei in particulari, & alium, qui habet
in communi, prout eſt famulus ille,
qui habet curam in particulari, obli-
gatur *ex officio* cuſtodire rem ſibi con-
creditam: ergo ille, qui habet ſo-
lùm in communi, ut famulus, non
obligatur ex officio ad ejuſdem cu-
ſtodiam, adeóque non peccat con-
tra juſtitiam non impediendo ejus
furtum: ergo &c.

198. P. P. R. me accuſo, quòd è
domo Domini mei deceſſerim non-
dum elapſo anno.

C. Deceſſitnè ſpontaneè, fortè ex
ſpe majus ſtipendium alibi acquiren-
di? quia hæc non eſt cauſa ſufficiens
diſcedendi ante tempus præfixum in
conductione. Petrus de Navarra
ubi ſup. num 205. & eſt peccatum
mortale contra juſtitiam cum onere
reſarciendi damnum inde ſecutum
Domino. Omnis enim contractus
oneroſus validus obligat ex juſtitia ad
ſui adimpletionem: inter famulum,
& Dominum eſt contractus onero-
ſus validus: ex parte quidem famu-
li complendi tempus præſcriptum;
ex parte verò Domini ſolvendi ei-
dem mercedem: ergo ex juſtitia obli-
gat ad ſui adimpletionem.

P. P. R. Spontaneè diſceſſi, quia
tam aſperam vitam ducere debui, ut
amplius ſufferre non potuiſſem.

C. Hæc

C. Hæc igitur fuit causa sufficiens recedendi ante lapsum termini; quia contractus non est validus, quando ignorantur in contrahendo circumstantiæ, quibus prægnitis vir prudens, & constans ad contrahendum non procederet: Conditio nimis aspera Domini, est circumstantia quæ virum quemcùmque prudentem retraheret à contractu ei inserviendi: ergo hic contractus non est validus.

199. Hìc notandum est ex doctrina Villalobos *part.* 2. *tract.* 13. *diffic.* 10. *n.* 4. Asserentis, ordinariè non peccare graviter famulos recedentes à Dominis ante elapsum annum, cùm exhinc leve damnum sequatur Dominis ob facilitatem inveniendi alios famulos defectum abeuntium supplentes.

C. Dicat mihi, percepitnè stipendium ad ratam temporis, in quo suam præstitit operam pretio æstimabilem?

P. Ita P.R.

C. Inivitnè pactum cum Domino, quòd si ante finitum tempus discederet, nulla solutio danda esset.

P. Non P.R.

C. Quamvis famulus discedat à domo sui Domini ante lapsum anni, secluso tamen alio pacto, aut conventione, non est deneganda merces ad ratam temporis in famulatu impensi. Ita Bonacina *tom* 2. *disp.* 3. *de contract. Q.* 7. *punct.* 4. *n.* 12.

CAPUT X.

De Furtis Dominorum.

200 P. P.R. me accuso, quòd propter discessum mei famuli nondum elapso anno constituto denegaverim illi stipendium ad ratam temporis, in quo perseveravit in famulatu.

C. Quamvis in foro externo posset V.D. ab hac solutione eximi: in foro tamen conscientiæ tenetur ex justitia ad solutionem mercedis ad ratam temporis. in quo inservivit, ut paulò ante dixi, quod docet etiam Valderus *in different. utriúsque fori verb. Locatio*, *different.* 4. Rebellus apud Dianam *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 15. Solùm poterit V.D. excusari ab hac solutione concurrentibus sequentibus circumstantijs.

201. Fuitnè aliquo tempore hic famulus infirmus in domo V.D.

P. Ita P.R.

C. Expenditnè pecuniam pro ipsius cura?

P. Ita P.R.

C. Quantùm expendit?

P.P.R. Triginta regales.

C. Quantum de pecunia se daturum promisit?

P.P.R. Viginti Ducatos.

C. Et quanto tempore ipsi inservivit, ut sanus?

P.P.R. Tribus mensibus.

C. Ergo pro his tribus mensibus V. D. tenebatur ei solvere quinque Ducatos; quia tres menses sunt quar-

tr pars anni, & quarta pars ejus stipendij nempe viginti Ducatorum sunt quinque ducati: Ex his quinque Ducatis V. D. detrahat triginta regales consumptos in ipsius cura, & cæterum ipsi solvat.

202. Dicat mihi, propter discessum hujus famuli sustinuitnè V. D. aliquod damnum?

P. Non P. R.; Quia immediatè alium famulum inveni.

C. Si casus hic contigisset tempore, quo ob difficultatem inveniendi alium famulum V. D. alicui detrimento succubuisset: v. g. tempore seminandi, metendi, vindemiandi, tunc ex quinque ducatis posset V. D. detrahere tantundem ad ratam damni passi ex carentia famuli dicto tempore. Valderus *ubi supr.* Rebellus apud Dianam *ibid.*

Ex hinc infertur, quòd famulus, qui in hoc casu nullâ obtinuit mercedem à Domino, possit clam sibi compensare ad æqualitatem debitæ sibi mercedis,

203. P. P. R. me accuso, quòd domo expulerim alium famulum, quia ægrè tuli ipsius famulatum.

C. V. D. præbuitnè ipsi stipendium ad ratam temporis, in quo inservivit?

P. Ita P. R.

C. Dimissus famulus invenit nè illicò alium Dominum, cui posset inservire?

P. P. R. elapsus est aliquis mensis, in quo non potuit præstare suum famulatum.

C. Antequam dimitteret famulum, admonuitne eum, ut alium sibi quæreret Dominum?

P. Non P. R.

C. Dominus, qui dimittit famulum nondum elapso termino constituto, tenetur ad integram mercedis solutionem, nisi fortè ex gravissima causa ducatur ad eum dimittendum. Ita Bonacina *supr. num.* 11. Ratio est; quia conductor tenetur solvere pensionem, quando non est usus re conducta ob culpam, & impedimentum ipsius conductoris. *L. qui operas ff. Locat.* si tamen ex justa causa eum dimittat, ad id non tenetur; Quia sicut famulus potest ex legitima causa deserere Dominum ante lapsum anni; sic pariter Dominus poterit ex rationabili causa eum dimittere, tempestivè tamen debet, si possibile est, hanc suam intentionem famulo manifestare, ad hoc, ut alium sibi quærat Dominum. Quapropter ut benè notat Villalobos *ubi supr.* graviter ut plurimùm peccant Domini expellentes famulos benè se gerentes ante lapsum anni cum onere resarciendi damna, quæ patiuntur; cùm enim famuli ordinariè sint de genere pauperum, & egenorum, si per mensem oblivioni tradantur, quid quid per integrum annum sunt lucrati, absumunt.

204. Hic advertat Confessarius, quam plures dari Dominos fame destruentes famulos: alios, qui volunt, ut benè induti incedant, stipendium tamen ipsis debitum solvere recusant: & alios detinentes mercedem pauperculis mercenarijs non

reflectendo, quòd hujusmodi personæ sint valdè egentes, & quòd ijs majus damnum inferat detentio unius regalis, quàm octo Dominis: hos ergo Confessarius neruosè arguat, exponendo pariter famulis, quòd, quantumvis in domo Dominorum sibi necessaria comestibilia accipiant, aut in compensationem detentæ mercedis, (si hæc à Domino subtrahatur) sibi approprient, non peccent; ad quem casum non extenditur Propositio 37. damnata ab Innocentio XI. ut patebit ex ejusdem explicatione.

Econtra dantur alij famuli, qui recipientes à Dominis congruum victum, & justum stipendium triumphant, ac ultra conditionem sui status lautè vivere contendunt; videmus enim quàm plures famulorum uxores, quæ licèt exiguo, ac tenui salario fruantur, serico tamen aliavè vestium pompâ statui suo penitus incongruâ ornari, quâ Spartâ verò triviales hæ Junones ista sibi adciscant? tu divinaveris.

Caput XI.

De *Decimis*, *Primitijs*, & *Oblationibus*.

205 PRoprius locus tractandi de decimis, & primitijs est quintum Præceptum Ecclesiæ eas præcipiens; sed ut etiam in Decalogo fiat earum mentio, visum est mihi non esse abs re de his in hoc septimo Præcepto differere, in quo de furto, & restitutione agitur, nam ille, qui non solvit decimas, aut primitias, peccat peccato furti cum onere restitutionis. Suppono autem, quòd decimæ juxta definitionem communiter traditam à DD. sint, *Pars decima fructuum Ministris Ecclesiæ ob Spirituale ministerium ipsorum, debita ex omnibus bonis frugiferis.* Et licèt secundùm opinionem communiorem decimæ sint subsidium Sacerdotibus debitum Jure naturali, & Divino propter Ministerium Spiritualium: si tamen considerentur secundùm suam quotam, ut sunt decima Pars fructuum, est debitum Jure Ecclesiastico, ut videri potest apud Machadum *tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 10. *doc.* 1. *num.* 1. Hanc autem quotam seu decimam partem Ecclesia justè taxavit: tum ad imitationem DEI, qui eam in veteri lege taxaverat: etenim Levitici 23. Ex duodecim tribubus, quibus totus Populus Judaicus constabat; unam elegit Dominus, scilicet Leviticam, ex qua sibi Ministros faceret; & quia hi Divino Ministerio occupati agriculturæ vacare non poterant, alijs præcepit tribubus, ut ex terræ fructibus, quos colligebant, decimam partem singuli darent in sustentationem hujus tribus, quæ in Templo Divino Ministerio occupata erat, & hæc quota decima dicebatur: tum quia Ministri Ecclesiæ indigent decimis, non solùm, ut ipsi alantur, verùm

rim etiam, nè contemptibiles alijs existant, si pauperes essent.

206. P. P. R. Me accuso, quòd hoc anno non solverim decimas.

C. Ex quare V. D. omisit decimas solvere?

P. P. R. Ex frumento, & animalibus.

C. Tria genera fructuum distinguunt DD. aliqui enim fructus sunt prædiales, alij personales, alij mixti: ideóque pariter decimæ sumpta distinctione ex his bonis, quibus debentur, & solvendæ sunt, vel sunt personales, quæ solvuntur ex fructibus, quos homo facit suâ industriâ, ut ex mercatura, venatione, piscatione, bello, ludo, & alijs actibus: vel prædiales, quæ ex terræ fructibus proveniunt, ut est Vinum, Oleum, frumentum, olera, rapæ, castaneæ, legumina, poma, pira, fœnum, palea, cauli, lupini, & alij fructus: vel mixtæ, quæ partim ex hominis industria, partim, ex prædijs proveniunt, ut lana, lac, caseus &c. Consuetudo in toto ferè orbe Christiano legitimè præscripta invaluit, ut decimæ personales non solvantur, sed solæ prædiales, & quædam mixtæ sunt in usu, reliquis consuetudine, & tacitâ condonatione Ecclesiæ abolitis. Secundi, & tertij generis decimæ sunt, quas V. D. non solvit, & per hanc omissionem graviter peccavit contra justitiam, & Religionem: contra justitiam quidem, quia inter Ministros Ecclesiæ, & Parochianos est quasi contractus, quo obligantur Ministri ad spiritualia suppeditanda, & Parochiani ad Subministranda temporalia pro congrua eorum sustentatione. Peccavit etiam contra virtutem Religionis; quia decimæ solvuntur in recognitionem Dominij universalis DEI, tanquam Auctoris omnium bonorum temporalium; adeóque talis solutio pertinet ad virtutem Religionis, ejúsque omissio est Sacrilegium. Lessius *lib. 2. de justit. cap. 29. dub. 1. num. 8.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 10. disp. unic. punct. 2. num. 10* quamvis Bonacinæ propriè, & strictè loquendo non videatur Sacrilegium; quia decimæ secundùm se sunt res merè temporales, nec usui sacro, ut sic videtur, destinatæ. *Sic ille tom. 2. de Præceptis Ecclesiæ disp. ult. Q. 5. p. 3.* Ejusdem opinionis est Layman. *lib. 4. tract. 6. cap. 2. num. 3.* ubi ait: *Quodammodo Sacrilegus est erga Deum, qui decimas fraudat*, non dicit, absolutè, & in rigore esse sacrilegium, sed *quodammodo.*

207. P. P. R. meâ culpâ non accidit, quòd non solverim decimam grani, sed quia in agro furto sublatum est.

C. Distulitnè V. D. diù decimam hujus grani solvere?

P. Non P. R. facta enim separatione grani, eadem nocte furto sublatum est.

C. Si V. D. culpabiliter protraxisset solutionem decimæ, quod à Theologis vocatur *esse in mora culpabili solvendi*, teneretur satisfacere Ecclesiæ,

si ex eo, quòd suo tempore non solverit, furto sublatum fuisset. Sic alijs citatis Leander à Sacram. *part.* 3. *tract.* 6. *disp.* 2. *Q.* 17. Quia sua omissio fuisset causa efficax damni Ecclesiæ illati, ille autem, qui est causa efficax damni, obligatur ad restitutionem: ergo &c.

108. V. D. adhibuitnè diligentiam in custodiendo hoc granum?

P. Ad ejus custodiam remanserunt famuli, quibus absque dubio somno occupatis furto sublatum est.

C. Omissâ opinione discussâ à Theologis, id est, an Ecclesia habeat dominium decimarum, antequam separentur à communi massa, ut videri potest in Castro-Palao, *punct.* 2. *per totum*, *ubi supra*. Certum est, quòd Ecclesia habeat jus in re ad quantitatem sibi ex massa debitam. Lessius *ubi supr. dub.* 5. *num.* 15. Et consequenter, si ex omissione culpabili in custodiendis fructibus, hi pereunt, Dominus negligens obligatur ad resarciendam quotam Ecclesiæ debitam.

Certum est pariter, furem teneri ad restitutionem portionis Ecclesiæ debitæ, principaliter tamen tenetur eam restituere Domino, si hic jam satisfecit Ecclesiæ; si verò Dominus hoc ad huc non adimplevit, nec furi sperat ab eo adimplendum, potest idem fur decimam solvere Ecclesiæ, & residuum Domino.

209. P. P. R. me accuso, quòd ex alio seminato, ex quo centum mensuras grani collegi, solùm de septuaginta mensuris decimam solverim, nec mihi visum fuit plus solvendum.

C. Quo fundamento V. D. hoc egit?

P. Quia ex decem mensuris seminatis jam anno elapso solveram decimam, sicque mihi videbatur, quòd hoc anno de nonaginta tantùm solvenda esset decima; de alijs verò viginti mensuris duas non solvi propter expensas in seminando, & colligendo granum.

C. Utrúmque fundamentum est improbabile, & falsum; primum quidem, quia à die, quo seminatur granum, Divinæ Providentiæ committitur, & V. D. non colligit eadem formaliter decem mensuras grani, quas seminavit, cùm illud granum mortuum, & corruptum fuerit, sed benè alias totaliter distinctas, ac proinde licèt antecedenti año solverit decimam de illis decem mensuris, denuò hoc anno decimam de ijsdem solvere debet. Suarez, *cap.* 35. *num.* 7. & est communis, alterum quóque fundamentum est falsum; quia Ecclesiæ solvenda est decima, priusquàm ex illa deducantur expensæ in colendo agro, seminando, metendo &c. Lessius *ubi supr. dub.* 3. *n.* 16.

210. Idem esto judicium de pensionibus debitis, tributis, vel censibus quòd nondum his detractis solvendæ sint decimæ ex integris fructibus. Bonacina *ubi supr. num.* 19. Lessius *ibid.* quamvis, ut advertit Villa-

Villalobos *part. 2. tract. 36. diffic. 3. n. 7.* ubi est consuetudo, quòd Religiosi mendicantes per rura, & campos quærant eleemosynam, possit ipsis tribui de communi massa, antequàm decima extrahatur, cùm rationabiliter præsumatur de pietate Ministrorum Ecclesiæ, quòd non sint in hoc inviti.

211. P. P. R. me etiam accuso, illas mensuras pro decima datas fuisse de deteriori grano à me collecto.

C. Graviter in hoc peccavit, quia, licèt decima non debeat solvi de meliori, nec tamen de deteriori, sed tam de bonis, quàm de mediocribus fructibus decima illis correspondens tribuenda est. Lessius *ubi supr.* Et qui se veros esse catholicos gloriantur, semper de meliori solvere conantur, contrariúmque agere est execrabilis ingratitudo erga DEUM, dum fructus ab ipsomet nobis datos avara manu ejdem offerimus.

212. P. P. R. me accuso, quòd ejus personæ agrum mox metendum destruxerim.

C. Fortè per ignem destruxit hoc seminatum? quia incendiarij incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut dicam *in tract. 12. §. 2. n. 29.*

P. P. R. damnum hoc non intuli per ignem.

C. Fortè absque sua culpa, & tantum ex inexpectato aliquo accidenti hoc contigit?

P. Sumâ malitiâ ductus hoc patravi ex odio habito contra Dominum.

C. V. D. graviter peccavit contra charitatem, & contra justitiam cum onere restituendi Domino fructus, quos ager probabiliter allaturus erat: non est tamen restituenda decima fraudata Ecclesiæ: nec Dominus ad eam obligatur, quamvis V. D. damnum ej illatum resarciret: quia decima debetur de fructibus jam collectis non verò de colligendis. Molina *supr. n. 15. §. verum*; Fructus agri, quem V. D. destruxit, necdum collectus fuerat: ergo de ipso decima non debetur.

Oppositum tenent Covarruvias, Azorjus, Suarez, Fagundez, & alij, quos citat, & sectatur Leander de Sacram. *part. 3. tract. 6. disp. 2. Q. 14.* dicens, injustum destructorem vinearum, seminatorum &c. obligari ad restituendas decimas Ecclesiæ respectivè debitas: sententjam tamen Castri Palai, & Lessij ut probabilem tenet, & solùm ait, suam esse probabiliorem; juxta quam doctrinam V. D. non obligaretur ad restitutionem decimæ Ecclesiæ de agro destructo obtingentis, nequè Dominus illata ej damna resarciret? tum quia, ut dictum est, decimæ debentur ex fructibus collectis, non colligendis; tum etjam, quia, si Dominus venderet, aut consumeret seminatum ante fructuum maturitatem, nullam obligationem haberet de ijs decimam Ecclesiæ solvendi, cùm consuetudo legitima in contrarjum ad-

duci nequeat: etenim si hæc consuetudo legitima solvendi decimas de rebus præmaturè consumptis probari posset, tunc ipsemet etiam Dominus teneretur ad solutionem decimæ de quantitate restituta ob damnum sibi illatum; supposita enim hac consuetudine decima deberetur de fructibus nondum collectis.

Quo nam autem tempore, loco, &c. & ex quibus fructibus solvendæ sint decimæ, standum est consuetudini locorum legitimè introductæ, ut docent communiter Doctores.

213. Quod de decimis dictum est, idem proportionaliter dicendum de Primitijs, Quo ad oblationes solitas fieri à fidelibus in Sacrificio Missæ, nullum extat particulare Præceptum Ecclesiæ ad easdem obligans, ut cum D. Thoma ait Laym. *ubi supr. cap.* 7. *n.* 5. nisi esset consuetudo legitimè introducta cum intentione se obligandi sub peccato mortali, in quo casu consuetudo vim Legis haberet. Sylvester *verb. Decima Q.* 2. & alij.

Certum est, *ex Jure naturali, & Divino* obligari fideles ad alendos Ministros Ecclesiæ, & si *aliàs* sufficientia media pro congrua sustentatione non haberent, fideles oblationibus ipsis subvenire deberent, *Quia qui Altari servit, de Altari vivere debet.*

CAPUT XII.

De Debitis.

214. P. P. R. dico meam culpam, quòd gravatus aliquibus debitis nunquam me expediam ab eorum solutione.

C. Habetnè modum satisfaciendi his obligationibus?

P. P. R. pro omnibus solvendis non habeo modum, sed adhibito aliquo conatu possem aliqua saltem solvere.

C. Emergitnè aliquod damnum, vel cessat aliquod lucrum creditori ex dilatione solutionis. Hæc interrogatio debet fieri, quotiescúnque Pœnitens se accusat de aliqua commissa injustitia, aut de debitis, aliisque obligationibus satisfaciendis, eumdem obligando ad restitutionem, non solùm totius debiti, verùm etiam damnorum, quæ ex omissione solutionis secuta sunt creditori. Si autem debitor *non est in mora culpabili* ex impotentia solvendi, non obligatur ad restitutionem damnorum.

P. P. R. modicum, aut nullum damnum sequitur creditori ex dilatione meæ solutionis.

215. C. Fagundez *super* 7. *præcept. lib.* 7. *cap.* 24. *n.* 16. Sotus *lib.* 4. *de justit. Q.* 7. *art.* 4. & alij sustinent, quòd licèt creditori non sequatur aliud damnum, quàm præcisè privatio suæ pecuniæ, debitor tamen graviter peccet differendo sine causa solutionem; quilibet enim quærit, quod suum est. Et addit, quòd talis Pœnitens non sit absolvendus, si unâ, aut altera vice à confessario admonitus non conatur solvere, si non in integrum, saltem quan-

quantùm potest: multò minus debet absolvi Pœnitens, qui potens solvere in vivis, differt ad diem mortis, obligando hæredes ad solutionem debitorum. D. Thomas 2. 2. Q. 62. *art. ult.* Toletus *in Suma. lib. 5. cap.* 24. & plures alij.

216. Pro majori tamen sublevamine PP. Confessariorum adducam hic doctrinam Sylvestri *verb. Restit.* §. 5. Petri Navarræ *lib.* 4. *cap.* 3. *lib.* II. *n.* 55. *& seq.* & aliorum doctorum, quòd, quando creditori vel nullum, vel valde leve sequitur damnum ex dilatione solutionis, debitori verò eadem dilatio est valde utilis, possit absolvi: Idem agendum concludunt hi. AA., quando Confessarius dubitat, Pœnitentem non simul, sed successivè integrum debitum soluturum. Et consequenter secundùm hos Authores non peccat graviter Pœnitens in hoc casu differendo solutionem; si enim graviter peccaret, esset incapax absolutionis, siquidem non haberet propositum adimplendi suam obligationem.

Ego cum hac limitatione doctrinam hanc approbarem, nempe, si creditor esset consanguineus, amicus, vel Persona taliter constituta, ut à debitore posset prudenter præsumi, eamdem non fore invitam in dilatione solutionis; tunc non esset peccatum eam differre; quia furtum, aut detentio alienæ substantiæ non tantum est culpabilis, in quantum est contra rationabilem Domini voluntatem.

Indubitatum est, multum referre, quòd Confessarius severè agat cum pluribus Personis, quæ per integros annos debita solvere non curant, vel Testamenta sacra, aliásque obligationes negligunt; & cùm aliunde abundent pecuniâ ad fovendam propriam superbiam in convivijs, ludis, aliisque rebus superfluis; solùm pro solvendis debitis modum non inveniant: abstineant hi à tot inutilibus sumptibus, moderamine utantur in vivendo, aliàs sine absolutione dimittantur.

Caput XIII.

Exhortatio ad Fures, & Prædones non satisfacientes.

217 C. Quamvis apud omnes inconfesso sit, nullum peccatum prodesse, sed nocere peccatori; peccatum tamen furti specialiter hoc sibi vendicat, quia obligationem restitutionis inseparabiliter secum affert: & cum restitutio sit necessaria necessitate præcepti, nonnè stultitia, & insania erit furari. Præterea hoc vitium est vile, sordidum, personam honoratam dedecens, ac solis sceleratis proprium. Præcipuè tamen consideranda est offensa DEI, per quam anima privatur ejus amicitiâ, & Jure, quod habet tanquam DEI filia ad gloriam: Quàm deplorabilis ergo error propter modicum temporale lucrum æternam perdere gloriam, & æternæ Beatitudini bona caduca anteponere.

Quid

Quid, quæso, sunt terrena omnia, nisi lutum, stercus, pulvis, & nihil? Aurum, Argentum, Margaritæ, prædia, & aliæ hujusmodi Mundi substantiæ, quibus cor humanum afficitur, sunt vincula, & catenæ illaqueantes animam: sunt carcere vincientes spiritum: pondera sunt gravissima, quæ prosternunt hominem, inquietum reddunt præ anxietate ea acquirendi, timore amittendi, ac cupidine multiplicandi. Si de libertate corporis vulgò dicitur, *non benè pro toto libertas venditur auro*, quantò magis hoc adagium verificatur de libertate animi; & tamen hæc ab homine vinculis avaro traditur, qui nimium sibi addictus, non vivit sed moritur; quia continuam mortem civilem sustinet in servitute, qua ejus cor sordidè auro velut Idolo dicatum est. O quam crudeliter cruciabitur in hora funesta mortis, videndo se expoliari omnibus tantâ curâ, & solicitudine in vita congregatis! Dicito mihi, ô homo, quid aliud tecum ex hac vita, quàm laceram vestem portabis? sperasnè, quòd bona tua temporalia à falce mortis te defendere valeant? Forte putas, quòd, quemadmodum in humanis Tribunalibus justitia pro pecunia venditur; ita pariter tuum aurum in justissimo DEI Tribunali à condemnatoria sententia te eximere queat?

Suspice Cœlum, cogitationes tuas ad altiora eleva, tua desideria, ô Christiane, nobiliora sint; Considera veras divitias in sempiterna gloria reperiri: *Gloria, & divitiæ in domo ejus. Psal.* 111. Ibi aurum magis defœcatum possidetur, ibi argenti lamina solidiora, ibi pretiosiores Margaritæ, ibi denique ærarium, & fodina omnium desiderabilium thesaurorum. Bona, quibus in Cœlesti illa Patria felices habitatores fruuntur, durabilia, firma, permanentia, & æterna sunt: non affligunt, non molestant, non aggravant animam, sed consolationem, gaudium, oblectamentum afferunt: nec velut bona terrena anxietates, timores, sed pacem dulcissimam secum trahunt.

Magna dementia tanti pendere momentaneum hujus vitæ, & tam parvi æternum Paradisi? Deplorabilis error est, tot curis angi, tot labores subire, ad res perituras in hac misera vita congregandas, nil verò cogitare de merito cumulando pro cœlesti Gloria; Ast defiendum est, quòd forum justitiæ per furta, rapinas, prædas, latrocinia violetur, & de restitutione, seu condigna satisfactione nulla habeatur cura, amando potiùs cœlestes divitias perdere, quàm cuilibet suum reddere.

Nimium detrimentum velle perdere amicitiam DEI, (qui æterno igne nos plectere, vel æterna coronâ præmiare potest) nè modicâ substantiâ privemur. Ne, quæso, V.D. cæcitatem hanc incurrat, sed de medio animæ suæ sit solicita, restituendo ablata, & alijs debita solvendo; quod si negliget, cùm possit, crimina sibi à DEO remitti non spe-

ret;

ret; nec differat de die in diem, quia postmodum restitutio ipsi nimis ardua, nè dicam moraliter impossibilis erit, ut ex sequenti casu patebit.

218. Vir fuit in quodam loco ex alienis dives effectus: extrema infirmitas hunc invasit, & nè obligaretur ad restitutionem, à Confessione abhorrebat. Medicus eum curans tanquam vir valdè Christianus, cùm ad restitutionem alieni hortaretur, respondebat infirmus: Et mei Filij, & mea uxor omnibus bonis expoliabuntur. Institit Medicus: & si ibit ad infernum, nunquid filij, & uxor eum inde extrahent? Respondit infirmus: hoc nihil refert. Medicus filios, & uxorem ad se vocavit, dixitque eis: Efficax remedium inveni pro sananda vestro infirmo, sed cùm ad hoc executioni mandandum non modici sumptus necessarij sint, tale remedium applicare ex me non præsumo. Omnes unanimiter responderunt: V.D. de expensis non cogitet, quia licèt ad recuperandam Genitoris sanitatem proprij effusio sanguinis requireretur, libenter consentiemus: ferant ergo (dicit Medicus) candelam accensam cum panno lineo lacero; quibus allatis subjunxit. Modò unus ex ipsis debet digitum ad flammam hujus candelæ apponere, usquedum cute venæ digiti combusta sanguis erumpat, quo deinde cor infirmi perunctum infallibiliter sanabitur. Ad hæc verba se se invicem adspicientes Filij, & uxor, consilium Medici exequi renuerunt, ac nemo digitum super flammam pro salute infirmi apponere tentavit. Tunc Medicus conversus ad infirmum, dixit ei: Non videt V.D. pro cujus amore æternæ damnationis periculo se exponit? Nec sua uxor, nec sui filij pro salute V.D. digitum sibi comburi permittunt, & V.D. pro ijs locupletandis & corpus, & animam æterno gehennæ igni tradere annuit? Hac experientia infirmus in se reversus abjectâ uxore, cum filijs animæ suæ saluti seriò providit.

Jndubium est, plurimos damnari ex neglectione debitæ restitutionis, & inter hos dinumerari non modicos Parentes, qui, ut filios post se divites relinquant, proprias animas pro tenui substantia Diabolo in infernum eas detrudenti dicant, V.D. si salutem animæ quærit, ad restituendum, quod suum non est, quantocyus se determinet, sicque pacificus erit suæ vitæ cursus; magis enim interest, brevem hanc vitam ducere cum buccella panis, quàm in inferno æternis tormentis cruciari.

TRACTATUS VIII.

DE VIII. PRÆCEPTO.

Non falsum Testimonium Dices.

HOc Præceptum imposuit Deus, ut conservationi famæ, & honoris proximi consule-

ret. Et quia læsio famæ extra judiciales actus per suspicionem, & judicium temerarium, detractionem, & contumeliam proximo irrogatur: ideo in sequentibus capitibus de his omnibus agam; nec non de obligatione, ac modo restitutionis faciendæ pro fama ablata: & licèt aliqui DD. hìc soleant agere de ordine judiciali, ac obligationibus Judicis, Advocati, aliorúmque Justitiæ officialium; hanc tamen materiam in Tractatum decimum quintum secundæ partis hujus praxis reservo, ut obligationes his Ministerijs annexas, cum cæteris ad alios status pertinentibus ibi discutiam, ac proponam.

Caput I.

De Suspicionibus, & Judicijs temerarijs.

1. P. P.R. Confiteor: quòd, dum mihi una suppellex domûs deesset, quamdam Personam furto eandem sustulisse judicaverim.

C. Tenuitnè V. D. pro certo, quòd talis Persona eam ipsi surripuerit?

P.PR. Firmiter, & totaliter huic meæ cogitationi non adhæsi.

C. Erat ergo tantùm suspicio, quæ per hoc distinguitur à judicio, quòd judicium cum pleno assensu, & firmâ animi sententia feratur in objectum propositum; suspicio verò licèt inclinet ad id credendum, semper tamen suspicans manet cum aliqua perplexitate, an ita se habeat, vel non, res proposita.

2. Habuitnè V. D. aliquod indicium, vel fundamentum suspicandi, quòd hæc Persona dictam suppellectilem surripuerit? v. g. quia secundùm communem hominum existimationem habetur pro fure, aut quia sola V. D. domum ingrediebatur.

P. P. R. aliquod fundamentum habui licèt leve, nempe, quòd huic personæ omnia latibula meæ domus fuerint nota, eámque frequenter ingrediebatur.

C. Ut suspicio, aut judicium sit temerarium, requiritur, quòd non adsit motivum suspicandi, vel judicandi: ad judicium ferendum requiritur majus fundamentum, quàm ad suspicionem; & posito levi fundamento suspicio non erit temeraria, ac per consequens nec peccatum. Quamvis autem Bannez *Q. 6 art. 3.* & alij asserant, quòd suspicio temeraria, id est, sine ullo fundamento habita sit peccatum mortale: *Alij* tamen sustinent, non excedere limites peccati venialis. Ita Petrus de Navarra *lib. 2. cap. 4. num.* 474. Navarrus, Cajetanus, & alij. Quia suspicio, cùm non sit assensus firmus, seu judicium propriè determinatum, non infert injuriam gravem proximo: sed ubi non est injuria gravis, nec est culpa mortalis: ergo suspicio temeraria non erit peccatum mortale.

3. P. P.R. Confiteor, quòd in quadam

quadam occasione determinatum formaverim judicium, Personam aliquam malam ducere vitam.

C. Quo motivo V.D. ita judicavit?

P. R. P. quia adverti eam frequenter domum aliquam ingredientem.

C. In hac domo eratnè aliqua fœmina effrons, & inverecunda?

P. P.R. murmurabatur de ea ac pro levi, & vana fœmina reputabatur.

C. Persona, quæ domum hanc frequentabat, erat nè ipsi conjuncta sanguine, amicitia, aut honesto alio titulo?

P. P.R. cum Domino domûs habuit aliquam amicitiam.

C. Certum est, judicium temerarium in materia gravi peccatum esse mortale, quia per illud gravis injuria infertur proximo, sæpius tamen excusatur à peccato gravi: primò, quando materia est levis: secundò, quando non adest plena advertentia, & deliberatio: tertiò, quando est sufficiens fundamentum malè judicandi de proximo: quartò, quando fundamentum sufficit ad ferendum judicium probabile, & intellectus progreditur ad ferendum quasi certum; quia à probabilitate ad judicium quasi certum non est talis distantia, ut constituat peccatum mortale: quintò, si quantumvis intellectus advertat se perperam judicare de proximo, non advertit tamen, quòd fundamentum sit insufficiens pro pravo judicio ferendo, nequè pro tunc erit peccatum grave taliter judicare. totum hoc colligitur ex doctrina Lessij *lib. 2. de Justit. cap. 29. dub. 83. num. 28.*

4. Pro directione Confessariorum ponam hic doctrinam Dianæ, qui cum alijs DD, docet 3. *part. tract. 5. resol. 31.* rarò contingere, quòd judicium sit temerarium, & peccatum grave; quia rarò contingit nullam adesse ex prædictis circumstantijs à culpa gravi excusantibus; & ut plurimum in similibus judicijs semper est aliquis timor, seu dubium, quòd res non ita se habeat, sicut putatur de proximo; quare, ut docet. S. Thomas, in nullo judicio *citra certitudinem* culpa gravis intervenit.

Si quis frequentet aliquam domum, in qua mulier infamis habitat, absque vinculo consanguinitatis, vel alterius honesti tituli, est sufficiens motivum judicandi, quòd prava intentio ad id illum moveat. Ex quo infertur, V. D. judicium non fuisse temerarium, nec peccatum mortale.

5. P. P. R. me accuso, quòd de quadam Persona sinistrum formaverim judicium, nec postmodum ab ea veniam petierim.

C. Erat nè in materia gravi?

P. Ita P, R.

C. Et cum plena deliberatione?

P. Ita P.R.

C. Habuitnè V.D. motivum, seu indicium aliquod taliter judicandi?

P. P.R. nullum habui motivum.

C. Præbuitnè rei certù assensum?

P. Ita P.R.

C. Manifestavitnè alicui hoc judicium?

P. Non P. R.

C. V. D. graviter peccavit formando hoc judicium, quod ex carentia sufficientis motivi fuit temerarium: Non tenetur tamen petere veniam ab illa Persona, ut aliqui insipienter putant; quia tunc tantùm est petenda venia, quando proximus læditur in honore: atqui per judicium temerarium non læditur honor proximi, sed fama: ergo de judicio temerario non est petenda venia; quando verò proximns læditur per contumeliam, tunc, quemadmodum læditur in honore, ita venia ab eo petenda est, ut mox dicam *cap. 5. num. 34. & 35.*

Caput II.

De *Murmuratione.*

6. Suppono, quòd Murmuratio, seu detractio sit *injusta famæ denigratio.* Dicitur *injusta*, quia, quando justè aufertur fama alicui Personæ, v. g. quando Justitia per publicam punitionem denigrat alicujus famam: vel quando quis ex motivo Justitiæ, aut charitatis crimen alterius ad Superiorem defert, ut ab eo delinquens corrigatur, cùm ipsemet per suam correctionem nihil efficere possit, non erit detractio; quia hæc & similia ex justa causa fiunt, scilicet pro salute spirituali, & emendatione delinquentis. Dicitur *famæ*, quia murmuratio non opponitur honori, sed famæ, id est, bonæ opinioni, seu conceptui, qui habetur de proximo, ut *cap. 5. in fine* dicam. Murmuratio ex sua natura est peccatum mortale, licèt possit esse veniale ex parvitate materiæ, & alijs causis, ut in sequentibus interrogationibus resolvam.

7. P. P. R. me accuso, quòd murmuraverim de una puella, dicendo, eam esse prægnantem.

C. Loquebantur nè de hoc etiam alij habitatores loci illius?

P. P. R. ab alijs ego hoc audivi.

C. Audivit nè hoc à pluribus?

P. A duobus, vel tribus.

C. Murmuratio de re, quæ jam est nota, & publica, non est peccatum mortale contra justitiam, licèt possit esse contra charitatem, nempe, si dum murmuratur, habetur complacentia de malo proximi. Quia, quando res est publica, proximus jam perdidit Jus ad conservationem suæ famæ: ergo murmuratio de re publica non est contra justitiam. Publicum autem dicitur, quod majori parti Populi notum est.

8. P. P. R. verè nescio, an res fuerit publica, vel non?

C. Eratnè hoc jam notum Personis, coram quibus V. D. murmuravit? hoc enim posito non erat peccatum grave coram ipsis murmurare. Navarrus cum communi.

P. P. R. non erat ipsis notum.

C. Erantnè Personæ taciturnæ, prudentes, quas factum nulli revelaturas præsumere poterat? quia manifestare gravem culpam proxi-

mi

ni uni, aut alteri personæ taciturnæ, de cujus secreto non dubitatur, non est peccatum mortale. Ita docet Cajetanus 2. 2. Q. 73. *art.* 2. *dub.* 1. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 75. Navarrus & alij; quia, dicunt, non cedere in detrimentum notabile proximi, quòd id sciant duæ, vel tres personæ taciturnæ, ac pro certo alijs non revelaturæ. Nihilominus, contraria sententia est communior, & vera, ut cum Leyman. Villalobos, & alijs dicit Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 33. Et ratio est, quia proximus magis ægrè ferret, quòd sua peccata nota fiant uni, aut alteri personæ seriæ, & prudenti, quàm uni, aut alteri inferioris sphæræ. Deinde, non est fidendum, quòd tales personæ sint servaturæ secretum, licèt seriæ, & taciturnæ sint; Etenim si V. D. quæ talem se esse existimat, ad revelationem processit, probabiliter quóque dubitare potest de ijs, quibus revelavit, alijs esse revelaturas hoc titulo, quód sint taciturnæ, & hæ alijs; & sic ex uno ad alium infamia proximi divulgabitur.

P. P. R. parùm potui confidere de silentio illarum personarum, quibus factum revelavi.

9. Hæ personæ erantnè ita constitutæ, ut dictum V. D. verum esse haud dubitarent? quia, quando præsumitur, quòd auditores non facilè fidem sint præstituri dictis, aut narratis, non sequitur gravis injuria proximo, & consequenter non est peccatum mortale. Scotus *dist.* 15. Q. 4. Navarrus *cap.* 18. *num.* 50. & alij plures, quos citat Lessius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 15 *num.* 24.

P. P. R. imaginor, quòd fidem præstiterint.

C. Affirmavitnè V.D. talem rem certam esse?

P. Non P. R. solùm dixi, me ab alijs eam audivisse.

C. Dixitnè V. D. se eandem audivisse à personis fide dignis, vel ab alijs modicæ æstimationis?

P. P. R. primum asserui.

C. Quando affirmatur, quòd infamia Proximi audita, & promulgata fuerit per personas vilis conceptus, non est peccatum mortale, quantumvis audientes ex levitate, & facilitate ad credendum assensum præbeant rei auditæ. Sylvester *verb. Detractio Q.* 4. Cajetanus *Q.* 73. *art.* 3. Navarrus *cap.* 18. *num.* 48. verùm quando affirmatur id auditum fuisse à Personis fide dignis, graviter delinquitur contra justitiam cum obligatione restituendi famam. Sotus *lib.* 4. *de Justit. Q.* 6. *art.* 3. Bonacina *tom.* 2. *de rest. disp.* 2. *Q.* 4. *part.* 5. *n.* 5. & alij. Et ratio est; quia detractio, seu murmuratio in tantum est peccatum grave, in quantum per eam præbetur sufficiens fundamentum auscultantibus ferendi pravum judicium de proximo: atqui quando enarratur res tanquam audita à personis fide dignis habetur sufficiens fundamentum male judicandi de proximo, quod non habetur, quando refertur, ut audita à per-

sona vilis æstimationis: ergo enarrare rem tanquam auditam à personis fide dignis, erit peccatum grave, non verò, quando enarratur, ut audita à personis vilis æstimationis.

10. P. P. R. me pariter accuso, quod in alio loco, ubi nota non erat infamia hujus personæ, id manifestaverim, pro tunc tamen in meo loco factum erat jam publicum.

C. Locus, in quo V. D. hoc manifestavit, eratnè propinquus illi, in quo publicabatur hujus personæ infamia, ita ut, quam primùm ad talem locum perventura fuisset rei notitia?

P. P. R. erat procul; & si ego factum non revelàssam, nullo modo notum fuisset factum.

C. Poteratnè in illo loco haberi notitia Personæ, de qua V. D. murmurabat? quia, si hujus notitia acquiri non potuisset, nec per hanc murmurationem injuria ipsi facta fuisset.

P. P. R. Persona non erat nota, poterat tamen ejus notitia acquiri.

C. Duobus modis potest delictum esse notorium, nempe *Juris* & *facti*: Notorium *Juris*, vel ut aiunt *notorietate Juris*, dicitur id, de quo constat per ipsius rei confessionem in judicio, aut per testium depositionem, aut per Judicis sententiam: Notorium *facti*, vel *notorietate facti* dicitur id, quod plurium hominum conspectui expositum, vel notitia constat ita evidenti, ut nulla tergiversatione celari possit. Glossa *in c. vestra de cohabit. clericorum &* *mulier.* Idquè notorium facti aliquando fit ab ipso criminoso, ut qui crimen admisit publicè coram multis in foro, aut in præsentia plurium. Aliquando fit à fama orta ex aliorum relatione, præsumptionibus, indicijs sufficientibus, &c. Si alterutro ex his modis crimen sit notorium, non est peccatum mortale contra justitiam, nec onus restitutionis, quando manifestatur alibi, ubi nescitur, aut nunquam notum fuisset. Cajetanus, & Navarrus apud Lessium *ubi supra cap.* 11. *dub.* 13. *num.* 75. Etenim, cùm delictum sit notorium, proximus perdit jus naturale ad suam famam: ergo talis murmuratio non est contra justitiam.

Est tamen peccatum mortale contra charitatem, factum publicum in uno loco manifestare in altero, ad quem prudenter supponi poterat nunquam perventuram notitiam. Est opinio communis DD. Sairus *in Clavi Regia lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 25. & 26. Et ratio fundatur in illo principio generali charitatis, *quod tibi non vis fieri, alteri nefeceris*: Quiscúmque enim ægrè ferret suorum defectuum revelationem, ubi non sunt noti, nec facilè nosci possunt: ergo in hoc casu erit contra charitatem eosdem revelare.

11. Quamvis Diana *part.* 2. *tract.* 5. *resol.* 17. Cum Azorio, & alijs dicat, non delinqui graviter contra justitiam, nec contra charitatem revelando in loco distanti factum notorium in altero, sive sit notorium

Juris

juris, sive *facti*, sive brevi tempore ad notitiam deveniatur, sive non: pro hac sua sententia Diana citat Fagundez, quæ tamen citatio non solùm accidentaliter, sine dubio ex errore typi, non est bona, verùm etiam essentialiter; quia Fagundez non docet hoc genericè, prout citatur à Diana, sed solùm ait, quòd, quando delictum est notorium notoreitate *Juris*, aut quando delinquens publicè deliquit, exponendo se periculo publicitatis, non sit grave peccatum contra charitatem, aut justitiam murmurare in alio loco quantumvis spatio, & notitiâ distanti. Ita Fagundez *in* 8. *præcept. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 11. Et expressè *num.* 10. *ejusdem cap.* Reprobat opinionem, quæ tenet, licere, & non esse contra charitatem, quando res in uno loco notoria notoreitate facti revelatur in altero distanti, ad quem non ita facilè notitia pervenisset. Hæc opinio Fagundez est probabilis, non universaliter sumpta, ut eam refert Diana absque distinctione *notoreitatis facti*, nempe quando est notorium, quia hominum conspectui expositum: aut quando est notorium, quia criminosus commisit delictum in loco publico; in hoc enim secundo casu cessit suæ famæ, cùm se exposuerit evidenti periculo eam amittendi, quod non contingit, quando per famam ipsius crimen publicatum est.

12. P. P. R. me accuso, quòd suspicatus fuerim mulierem conjugatam malam ducere vitam, & hanc suspicionem meis amicis patefecerim.

C. Affirmavit ne V. D. rem tanquam certam, vel tantùm tanquam rem suspectam?

P. P. R. dixi tantùm, me habere de re suspicionem.

C. Suppositâ opinione supra relatâ quòd suspicio temeraria non sit peccatum mortale, quod præter jam citatos tuetur Layman. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. & alij, quos citat, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 31. inferri potest, quòd neque manifestare alijs suspicionem esset peccatum mortale. Quandoquidem ideo suspicio non est peccatum mortale, quia non determinatè, & firmiter male judicat de proximo, sed tantùm ad id inclinat: atqui manifestans suam suspicionem non determinatè, & assertivè refert malum de proximo, sed ejus verba ad hoc tantùm inclinant: ergo si suspicio temeraria de proximo non sit peccatum grave, videtur, quod nec ejus manifestatio erit.

13. Ego verò prædictum discursum nec probabilem, nec ad praxim reducibilem puto, nisi cum hac distinctione: aut quòd suspicio manifestetur personis sapientibus, qui sciunt inter suspicionem, & judicium esse differentiam, aut non: si primum, talis manifestatio non erit peccatum grave, quia vi verborum prolatorum poterunt tantùm suspicari malum de proximo, non verò ferre judicium certum: atqui quòd audien-

dientes malam suspicentur, non est culpa gravis: ergo neque erit, dare causam id suspicandi per suspicionis manifestationem.

Si verò dicatur secundum, nempe quòd audientes nesciant distinguere judicium à suspicione, tunc opinor graviter delinqui suspicionem ijs manifestando, attentâ enim modicâ eorum capacitate datur occasio, & fundamentum determinatum ferendi judicium de malo proximi: sed præbere occasionem malè judicandi de proximo, est culpa gravis: ergo etiam manifestare suspicionem personis ineptis ad distinguendam suspicionem à judicio. Etenim experientia docet, plures perdidisse famam ignoto Authore damni, cujus tamen principium fuit sola suspicio ab uno alijs relata, qui ignorantes discrimen inter suspicionem, & judicium id, quòd audierunt tanquam suspectum, postmodum affirmarunt velut certum.

14. Contra hanc doctrinam potest obijci id, quod supra relatum est, nempe, quòd referens alijs audita à personis vilis æstimationis, non peccet mortaliter, quamvis aliàs audientes non quidem ex vi narrationis, sed propria animi levitate sibi persuadeant, ac certum judicium ferant, verum esse, quod ipsis narratur: & præter DD. ante dictos hoc quoque alij affirmant, quos citat, & approbat Diana *part. 2. tract. 5. resol. 28.* Ergo neque grave peccatum erit referre suspicionem personis insipientibus, quæ ut tales sibi persuadent certum esse id, quod audierunt tanquam dubium. Consequentiam probo; in primo casu non est peccatum, licèt attentâ levitate audientium fides ab ipsis præbeatur dictis, & narratis; quia motivum ex se non est sufficiens pro ferendo hoc judicio: atqui suspicio ex se non est sufficiens ad hoc, ut audientes certum præbeant assensum rei auditæ: ergo licèt hi ob modicam capacitatem ferant judicium determinatum, non erit peccatum grave manifestare suspicionem.

15. Respondeo primò, quòd licèt non sit contra justitiam manifestare audita, ut talia reduplicativè, personis levibus, quæ facilè ijs fidem præstabunt, est tamen peccatum contra charitatem ita Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 5. n. 25.* Respondeo secundò: dato, quòd etiam in hoc casu charitas non læderetur, benè verò in altero. Et ratio disparitatis est, quòd audiens relata ab altero tanquam audita à personis modici conceptus, jam percipit, motivum non esse sufficiens pro determinato judicio ferendo de malo proximi, & si præbeat certum assensum quando motivum ipsi propositum non subsistit, suæ malitiæ imputandum est: at insipiens audiens suspicionem non percipit id, quod audit tanquam suspectum (siquidem suppono eum ignorare discrimen inter suspicionem, & judicium) sed solum percipit, & audit tanquam judicium, est-

Atque minor distantia inter judicium, & suspicionem, quàm inter judicium & indicium, seu motivum consurgens ex referente rem, ut audiam; adeóque licèt hic non peccaret referendo audita à personis vilis æstimationis, peccabit tamen manifestans suam suspicionem personis non discernentibus judicium à suspicione, seu judicium, & suspicionem pro eodem sumentibus.

Caput III.

De Audiente Murmurationem.

16 P. P. R. Dico meam culpam, quòd aliquoties audiverim murmurationes, & murmurantes non correxerim.

C. Murmurantes erantnè famuli, filij, aut subditi V. D.? quia hoc posito eorum garrulitatem compescere tenebatur.

P. P. R. non erant sub mea potestate.

C. Fortè erant Superiores V. D. v. g. Parentes, Domini, Judices? quia subditus regulariter loquendo non obligatur ad corrigendum Superiorem.

P. P. R. Murmurantes erant mihi æquales.

C. Materia murmurationis eratnè aliquid pertinens ad honorem, & famam proximi?

P. P. R. interdum erat sermo, utrum N. esset solicitus in suis negotijs. An alter esset hujus naturæ, & conditionis.

C. Manifestare defectus naturales proximi: v. g. quòd sit pauper, iracundus, ignorans; insipiens, audax, non est materia peccati mortalis, & Consequenter nec audire similes defectus graviter delinquitur. Idem estò judicium, quando de altero dicitur, quòd sit Spurius, aut illegitimus. *Clavis Regia lib.* 11. *cap.* 6. *n.* 8. cum alijs. Nec est materia gravis manifestare, aut audire de aliqua persona, quod sit iracunda, ambitiosa, avara, aut superba, sic genericè referendo hos defectus. Petrus de Navarra, & cum alijs Bonacina *tom.* 2. *de restit disp.* 2. *Q.* 4. *part.* 2. *n.* 7.

17. Neque est materia gravis referre, aut audire defectum, de quo gloriantur ipsimet delinquentes: v. g. quòd miles acceptaverit duellum, quòd vivat in concubinatu, aut quòd juvenis laxam gerat vitam. Ita DD. citati. Dicere, quòd N. sit Hebræus, aut ex Hebræis trahat originem, si hoc non esset notorium, peccatum mortale esset. Ita Molina, Azorius, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *loco paulo ante citato num.* 11.

18. Dicat mihi, habuitnè aliquam complacentiam audiendo has murmurationes? quia si hanc habuit, esset peccatum contra charitatem, grave, vel leve pro ratione materiæ, seu mali proximi, de quo erat murmuratio.

P. P. R. licèt ego habuerim complacentiam, non tamen hæc ferebatur directè in malum mei proximi,

sed in modum, & leporem, quo detractor idem malum narrabat.

Quando complacentia non est de malo proximi, sed solùm de gratia, & modo proferendi, aut quando solùm ex curiositate auditur murmuratio, non est peccatum grave. Lessius *ubi supra dub.* 4. *num.* 24. §. *Adverte.* Rebellus, Navarrus, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *ubi supr. part.* 11. *num.* 5. quia complacentia sumit suam bonitatem, vel malitiam ab objecto, ad quod terminatur: atqui malum proximi est objectum prohibitum, non verò gratia proferendi: ergo complacentia de malo proximi erit peccatum, non verò de gratia, & modo proferendi.

19. Dicat mihi, eratnè V. D. conscia de notoreitate rei, ad quam murmuratio tendebat?

P. P. R. hoc prorsus ignoravi.

C. Ordinariè loquendo, quando detractor excusatur à peccato in detrahendo, etiam audiens ita excusabitur. Et pro solatio Confessariorum, & personarum timoratarum ponam hic doctrinam Bonacinæ, Rebelli, & Malderi, quam etiam approbat Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 24. ubi docet, quòd audiens murmurationes etiam in materia gravi, non tamen scit, an id, de quo alter murmurat, sit notorium, vel non, aut justè, vel injustè relatum, non peccet audiendo ipsum, ac ejusdem conversationem non relinquendo.

Et addit Diana *part.* 2. *tract.* 5. *resol.* 35. illum, qui præ verecundia, pusillanimitate, aut negligentia detrahentem non corrigit, venialiter tantùm peccare. Consultum tamen est, quòd Christianus audiens similes discursus, in quibus læditur fama proximi, conetur ex charitate, quantum commodè facere potest, corrigere, & impedire, saltem indirectè, ostendendo suam aversionem, displicentiam, vel non consensum: v. g. discedendo à loco, sermonem alio divertendo aut tacendo, vultum torvum vel tristem ostendendo; nam ut dicitur Proverb. *cap.* 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguas detrahentium.*

Tota fermè doctrina hìc adducta ad correctionem fraternam servata proportione applicari potest.

Caput IV.

De Restitutione Famæ.

20 C. Id, quod V. D. confessa est paulò ante de illa puella, est nè modò publicum, & notorium?

P. Ita P. R.

C. Quòd factum sit notorium provenitnè per medium licitum: v. g. quia delatum est ad Justitiam?

P. P. R. publicitas ortum habuit ex sola fama, & quia murmuratio huc, & illuc devenit.

C. Quando crimen alicujus occultum ab altero injustè evulgatum, postea alijs medijs licitis independenter à prima detractione factum est publicum, seu notorium notoreitate

Juris,

juris, vel facti, tunc omninò cessat obligatio restituendi famam primò læsam; ratio est, quia infamatus per illam publicationem sui occulti criminis amisit jus ad suam famam respectu illius criminis. Bonacina *ubi supr. punct.* 8. *n.* 8. ast quando publicatio procedit ex medijs illicitis, non excusat a restitutione famæ: v. g. quando per non interruptam murmurationem factum est notorium id, quod antecedenter erat occultum, quilibet obligatur ad restituendam famam apud omnes immediatos audientes. Ita Turrianus *disp.* 53. *dub.* 4. *n.* 2. & alij. Et ratio est, quia quando plures cooperantur ad furtum unius vineæ, vel domus, quilibet obligatur ad restitutionem damni Domino illati; ergo pariter quando multi concurrunt ad damnificationem famæ proximi, quilibet tenebitur ad restitutionem damni ipsi illati.

21. Quamvis Sylvester *verb. Detractio* Q. 4. & alij, eximant à restitutione, quando delictum sive justè, sive injustè factum est notorium. Et hæc opinio potest sic probari; quia una ex causis excusantibus à restitutione est impotentia: atqui impossibile videtur, quòd, quando delictum est jam notorium, fiat occultum, ac infamia de memoria hominum deleatur: ergo in hoc casu nulla erit obligatio restituendi famam. Hæc opinio Sylvestri mihi non videtur tuta, licèt enim de facto non sequatur totalis effectus, nec infamia oblivioni tradatur, nihilominus pars aliqua obtinebitur: atqui ille, qui nequit totum resarcire damnum, si possit partem ad hanc tenetur: ergo &c.

22. Dicat mihi, constatnè, personas, quibus V. D. aperuit hoc crimen alijs quoque id aperuisse?

P. Ita P. R. scio enim, quòd postmodùm cum alijs de eodem murmuraverint.

C. Si Personæ, quibus V. D. detexit crimen, fuissent graves, & taciturnæ, ità ut prudenter judicare potuisset, rem ulterius non evulgaturas, licèt postmodùm contra omnem suam opinionem alijs manifestarent, non teneretur restituere famam corâ alijs mediatis audientibus, sed sufficeret, apud ipsos tantùm immediatos audientes retractare; quia tunc respectu V. D. esset per accidens ipsorum revelatio, & infamia ulterior infamati ipsorum malitiæ, vel imprudentiæ imputanda est, Villalobos *part.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 36. *num.* 11. *in fine.*

23. Cùm verò immediati audientes fuerint leves, garruli alijs facilè evulgaturi, omninò tenetur V. D. non Solùm coram immediatis, sed etiam coram illis alijs mediatis auditoribus famam resarcire in defectu immediatorum audientium, & ulterius evulgantium. Petrus de Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 433. Ratio urgentissima est: quia tunc V. D. damnum prævidit, vel prævidere prudenter omninò debuit, ideôque indirectè saltem voluit, atque adeo to-

tum illud damnum, & infamia ulterior subsequens est ex formali injuria detractoris primi: ergo tenetur resarcire apud omnes totum damnum, quippe cujus totius injusta causa fuit. Secundò, manifestare crimen garrulis est exponere evidenti periculo ejusdem promulgationem, quod non contingit, quando manifestatur taciturnis, & prudentibus: sed sic est, quòd exponens se periculo alicujus damni sibi imputare debeat secutum damnum: ergo detrahens coram garrulis, & leviculis auditoribus tenetur restituere famam, non solùm apud hos immediatos, verùm etiam apud alios mediatos audientes; ad quod non obligatur detrahens coram taciturnis, & prudentibus audientibus.

24. Quamvis Philippus Faber cum Ales apud Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 34. sentiat, quòd tantùm apud immediatos, non verò mediatos audientes sit obligatio restituendi famam, nec ullam distinctionem ponit inter audientes taciturnos, & garrulos, hac ratione ductus, quia (inquit) quòd audientes immediati postmodùm alijs, & alijs crimen detexerint, fuit merè per accidens, & fortuitum: atqui non est obligatio resarciendi damna fortuita, & casualia: ergo &c. Hanc opinionem admittit Diana cum distinctione supradicta de audientibus probis, & gravibus, quod eâdem limitatione & ego sentio.

25. Dicat mihi, hoc crimen, quod V. D. propalavit, est nè progressu temporis apud audientes oblivione deletum?

P. P. R. hoc mihi non constat.

C. Audivitnè V. D. aliquem de hoc loquentem?

P. Jam diu de hoc nihil audivi.

C. Si infamia illata oblivione omninò deleta sit, non est ejus renovanda memoria, nec est obligatio resarciendi famam, hoc enim esset renovare plagam jam curatam; sufficiens verò fundamentum dijudicandi, infamiam esse oblivione deletam, est, quando per longum tempus nulla prorsus de ea fit mentio, ut cum alijs DD. sentit Bonacina *ubi supr. part.* 13. *num.* 2. quo casu prudentia maxima desideratur in Confessarijs; quia aliquando, quod adhibetur tanquam medium restituendi famam, est causa excitandi rursus speciem consopitas, ita ut memoria simul cum infamia reviviscat: quapropter diligenter inquirant, singulariter, quando exaudiunt generales Confessiones, in quibus pœnitentes se accusant de infamia illata alicui personæ temporibus elapsis, de qua tamen nulla penitus viget memoria; esset enim magna imprudentia in tali casu obligare ad restitutionem famæ, utpote cum majori detrimento, quàm emolumento infamati.

26. Dicat mihi, ex hac detractione est ne damnum aliquod temporale illi puellæ secutum: v. g. quòd non potuerit honestè nubere, aut propter infamiam contractam opulentiori dote indiguerit?

P. Ita

P. Ita P. R.

C. Crimen evulgatum eratnè verum, vel falsum?

P. P. R. Erat verum.

C. Si crimen fuisset falsum, V. D. obligaretur ad resarcienda omnia damna temporalia, quæ ex hac infamatione passa est puella infamata; quia omnium damnorum esset causa efficax, & injusta. Idem dicunt Navarrus *cap.* 4. *num.* 381. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 19. *num.* 104. plerique alij: & pariter, si crimen est verum, sed occultum; quia dum crimen est occultum, licèt sit verum, persona est in possessione suæ famæ, adeóque qui injustè eam hoc bono sibi debito privat, est causa efficax damnorum, quæ exinde ipsi sequuntur: ergo ea resarcire tenetur.

27. Quam vis Sotus *lib.* 4. *de justit. q.* 7. *art.* 3 *ad* 4. docet, quòd, quando delictum evulgatum est verum, non sit obligatio resarciendi omnia damna fortunæ, quæ ex evulgatione secuta fuêre, sed tantùm aliquam eorum partem arbitrio viri prudentis; quod sic probari potest; quia minus jus habet proximus ad suam famam, quando crimen est verum, quàm haberet, quando est falsum: ergo si imponens alicui crimen falsum obligatur ad resarcienda omnia damna ex falsa imputatione secuta, non obligabitur ad tantum detegens crimen verum.

Nihilominus opinio contraria est communis, & vera. Et ratio est, quia infamans proximum per revelationem criminis occulti, licèt veri, est causa principalis, & efficax damni exinde secuti: Ergo totum damnum secutum compensare debet Confirmatur hac paritate; ille, qui culpabiliter detegens ignem cineribus contectum est causa alicujus incendij, tenetur compensare totum damnum reale inde secutum, eodem modo ille, quj culpabiliter quóque transferret ignem ad locum, ubi antecedenter non dabatur, & incendium causaret: ergo pariter obligabitur ad compensationem omnium damnorum secutorum ille, qui manifestavit crimen, vel defectum occultum verum, ac ille, qui crimen falsum detexit, ex quo patet responsio ad rationem in contrarium,

28. P. P. R. hæc eadem Puella me infamavit, dicendo, me in concubinatu vivere.

C. Quemadmodum in bonis fortunæ est licita compensatio concurrentibus circumstantijs supra dictis, dum sermo fuit de hac materia *in præcepto* 7. *cap.* 4. *p.* 7. ita pariter licita est in infamia: ita ut, si duo vicissim se infament, possint in justam compensationem se continere à mutua famæ restitutione. Sotus, Adrianus, Toletus, & alij, quos citat, & sequitur Lessius *ubi supr. dub.* 25. *per totum.* Ad justam tamen compensationem requiritur, ut servetur æqualitas: si enim Titius graviter infamet Cajum, qui sive antea, sive postea eumdem leviter, vel non ita graviter infamavit, non potest Titius

simpliciter uti compensatione, sed tenetur restituere excessum, seu id, in quo Titius superavit Caij infamiam etiã sibi illatam, ut sic utráque infamatio æqualis reddatur; in nostro ergo casu non est æqualitas inter infamiam, quàm V.D. intulit puellæ, & alteram, quam puella V.D. imposuit; quia majorem famæ jacturam incurrit puella per lapsum carnis, quàm vir.

29. Hìc necessariò notandum est Confessarijs, non licere ita compensare famam per se directè, & præcisè per modum compensationis; ita, ut prior infamatus vicissim infamet alterum, à quo infamatus fuit; quia hæc esset vindicta, & non compensatio: solùm ergo hoc intelligitur, quòd, quando duo postquam se inùicem infamârunt, possit quilibet omittere restitutionem famæ in compensationem, aut magis propriè loquendo tanquam in pignus, usque dum alter restituat famam sibi ablatam: v. g. Petrus dixit de Joanne, quòd sit fur, non licèt Joanni dicere de Petro quid simile, sed casu quo hoc dixerit, potest Joannes differre restitutionem famæ ablatæ Petro, usque dum Petrus eidem Joanni eam restituat.

30. Dixi *id non licere per modum compensationis præcisè*, nam per accidens indirectè, & per modum defensionis id licere, libenter concedo, nempe manifestando defectus infamantis, ex quorum propalatione infamatus potest famam amissam recuperare, quando aliud medium eam recuperandi non obviat. v. g. Petrus vocavit Joannem furem, nec Petrus cogitat de restitutione famæ: potest licitè de Petro dicere, quòd sit mendax, dummodo sit verum, quòd Petrus in hoc casu mentiatur, ad enervandum, & extenuandum ejus fidem circa calumniam qua ipsum infamavit, & propriam famam recuperandam.

Dixi *dummodo sit verum, quòd Petrus mentiatur*, quia aliàs non licèt Joanni hoc dicere pro sua fama recuperanda, & contrarium damnatur tanquam scandalosum ab Innocentio XI. in Propos. 44. in cujus explicatione *tract.* 10. ponam conditiones requisitas ad hoc licitè faciendum.

Caput V.

De varijs modis assignatis à DD. restituendi famam.

31. Si crimen proximo impositum est falsum, modus restituendi famam est, apertè illud retractare apud audientes v. g. dicendo; in tali occasione dixi hoc, & illud de Paulo, sciant omnes hoc esse falsum, cùm viri probi, sapientes nullo modo defectum à me propagatum in eo deprehendant; quòd si audientes nollent credere simpliciter retractanti suum dictum, tenebitur detractor etiam adhibere juramentum: Ita Clavis Regia *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 27. Molina, Filliucius, & est communis.

32. Si

32. Si crimen est quidem verum, sed occultum, modus restituendi famam est, laudare infamatum, honorem ei deferre, de eo honorificè loqui, vel cum eo honorificè agere coram alijs, apud quos diffamatus fuerat. Hunc modum docent Sotus, *lib. 4. de restit. Q. 9. num. 3. ad 4.* Navarrus *in Sum. cap. 28.* & alij, quos citat, & approbat Villalobos *part. 2. tract. 11. diffic. 37. n. 5. §. Alter modus.* Hoc idem cum Valentia, & alijs sentit Diana *part. 3. tract. 5. Miscellan. resol. 30. & in part 11. tract. 6. Miscellan. resol. 56.* ac plurimùm comendat Confessarijs hunc modum reparandi famam, tanquam faciliorem, & suaviorem.

33. Alium modum assignat Magister Canus, Salon, & alij DD. citati à Villalobos *ubi supr.* nempe, si infamator dicat, se non rectè advertisse, errâsse, deceptum esse. &c. quamvis realiter vera esset res relata, nec erit mendacium hoc modo restituere famam. Duplex enim est veritas, una speculativa, altera practica: veritas speculativa consistit in conformitate verborum cum mente; veritas practica in conformitate operum cum dictamine rationis practico, & consequenter falsitas speculativa consistit in deformitate verborum cum mente,; & falsitas practica in deformitate operum ad dictamen rationis practicum. Ex quo infertur, illum, qui alium infamavit, verum illius occultum crimen evulgando, quando postmodum resarciendo famam dicit, se esse deceptum, non contradicere veritati practicæ; cùm ejus verba sint conformia dictamini rationis practico, & omnis peccans reverà erret, vel decipiatur deceptione practica.

34. P. P. R. me, accuso, quòd ex ordinatione Confessarij debuissem rogare veniam uni Personæ, de qua murmuravi, nec unquam habuerim animum hoc adimplendi.

C. Putabatnè V. D. se graviter peccare non rogando veniam illi personæ?

P. Et quomodo poteram non peccare non adimplendo id, quòd Confessarius mihi imposuerat?

C. V. D. non obligabatur ad petendam veniam ab illa persona, & Confessarius multùm erravit hoc ei præcipiendo, licèt V. D. ex conscientia erronea graviter peccaverit hoc omittendo. Obligatio V. D. solùm extendebatur ad restituendam famam illi personæ coram immediatis, vel etiam mediatis audientibus juxta supradicta.

35. Magnam ignorantiam in hoc genere adverti in aliquibus imperitis, & inexpertis opinantibus pœnitentem propter suspicionem aliquam, aut juducium temerarium, vel detractionem proximi obligari ad petendam veniam. Error valde pernicioſus: primò quia, si proximum latet, me hoc cogitâsse, aut detraxisse de ipso, nonnè insania est, quòd ego ipsemet id ei revelem rogando veniam, per quod in eodem odium aliquod,

aliquod, aut malam voluntatem contra me excitem; secundò, quia pœnitentes animum non habent hoc exequendi; adeóque ex conscientia erronea dictante se peccaturos, nisi id adimpleant, multa peccata committunt. Et ultimò, quia petitio veniæ solum requiritur in restitutione honoris, & non famæ: atqui nec judicium temerarium, nec detractio damnificant honorem, sed benè famam: ergo nec propter judicium temerarium, nec propter detractionem petenda est venia. Minor est certa; quia fama est bona opinio, quæ habetur de proximo, honor verò est externa veneratio, & reverentia, quæ exhibetur proximo: judicium temerarium, & detractio opponuntur tantùm bonæ opinioni, seu existimationi habendæ de proximo, non verò externæ reverentiæ eidem exhibendæ: ergo judicium temerarium, & detractio solùm opponuntur famæ, & non honori. Contumelia est, quæ opponitur honori, & de hac in sequenti capite agam.

Caput VI.

De Contumelia.

36 P. P.R. me accuso, quòd repetitis vicibus dixerim de aliquo, eum esse furem, Judæum; & alia injuriosa verba.

C. Dixit nè hoc in ejus præsentia?

P. Ita P.R.

C. Est igitur hoc peccatum contumeliæ, mortale *ex genere suo*, oppositum virtuti Justitiæ, inducitque obligationem restituendi honorem, & specie distinguitur à detractione, & murmuratione, sicut rapina à furto; quia sicut furtum committitur clam, insciò Domino, sic detractio fit in absentia personæ diffamatæ; & sicut rapina fit apertè, & in præsentia Domini rei, ita pariter contumelia.

37. Necesse non erat, quòd V.D. explicaret verba contumeliosa, quibus proximo injuriam intulit, dicendo: ipsum appellâsse furem, Judæum, &c. sed sat erat solùm dicere, se protulisse verba injuriosa, & contumeliosa contra proximum; quia contumeliæ, licèt in genere physico distinguantur, seu differant specie, non tamen *in genere moris*, ut affirmant Cajetanus, Sotus, Sanchez, Molina, & alij, quos citat, & sequitur Trüllench *in Decalog. lib. 8. dub. 2. num. 2.*

38. Idem dicendum de detractionibus, & judicijs temerarijs, quòd non distinguantur specie *in genere moris*. Et ratio est; quia omnia judicia temeraria, & detractiones conveniunt in una, eadémque ratione formali infamandi proximum, sicut omnes contumeliæ conveniunt in una eâdémque ratione formali inhonorandi: atqui motivum formale est id, quod specificat actus *in ordine ad mores*: ergo detractiones, & judicia temeraria non distinguuntur inter se specie ex diversitate defectuum, qui censurantur; sicut nec contu-

contumeliæ distinguuntur inter se specie propter diversitatem injuriarum contra proximum prolatarum.

39. Dicat mihi V. D. protulit nè sæpius has injurias contra proximum?

P. Ita P.R.

C. Contigitnè hoc in unica tantum occasione, vel in pluribus?

P. P. R. in unica.

C. Unum ergo numero peccatum commisit in hac occasione, quamvis plures protulerit contumelias, ut affirmant Castrus Palaus *tom.* 1. *de peccatis tract.* 2. *disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 6. *vers. Nihilominus*, Trüllench. *ubi supr. num.* 3. & alij, quia interruptio moralis, & non physica multiplicat numerum peccatorum: atqui, quando ex unico impetu iræ proferuntur contra proximum plures contumeliæ, licèt fit interruptio physica, non est tamen moralis: ergo etiam non, nisi unum numero peccatum.

40. Hic necessariò notandum, quòd vulgus soleat confundere verbum *interdum*, cum verbo *occasio*, ac si unum, & idem essent: quapropter necessarium est, quòd Confessarius ad ferendum judicium de numero peccatorum, quando pœnitens confitetur se interdum detraxisse, aut contumelias protulisse contra proximum, eundem interroget, an hoc contigerit in unica, aut pluribus occasionibus; quia si fuit in unica, licèt in hac sæpius verba injuriosa protulerit absque interruptione morali, unum erit numero peccatum. Idem advertendum, quando pœnitens se accusat de repetitis osculis, amplexibus, aut verbis obscœnis, nempe, quòd debeat interrogari ad ferendum judicium de numero peccatorum, an in unica, vel pluribus occasionibus id acciderit. Excipe tamen, quando actus sunt perfecti in suo genere, ut copula, mollities, &c. Pro tunc enim, licèt in eadem occasione compleantur, quilibet actus est distinctum ab altero numero peccatum.

41. P.P.R. Verba contumeliosa contra hanc personam à me prolata omnibus nota erant.

C. Quamvis in detractione publicitas, seu notoreitas rei excuset à peccato gravi, non tamen in contumelia; quia cum publicitate persona perdidit jus tantùm ad famam, non verò ad honorem, ut ait Bonacina *tom.* 2. *de restit. disp.* 2. *Q.* 4. *punct.* 2. *in fine*: Atqui contumelia opponitur honori: ergo licèt res sit publica, peccatum mortale erit per eamdem afficere contumelijs proximum.

Caput VII.

De Restitutione honoris.

42 P. P.R. quomodò me gerere debeo in restituendo honorem huic personæ?

C. Dicat mihi, hæc persona, quam V.D. contumelijs affecit, est nè filius, famulus, &c. V.D.? quia si talis est,

lis est, sufficit pro satisfactione injuriæ, quòd V. D. familiariter eum alloquatur, honorificè salutet, ac extraordinariam ostendat benevolentiam. Hic modus satisfaciendi pro Superiore afficiente injuriâ, aut contumeliâ subditum videtur sufficiens Cajetano *Q. 73. num.* 3. & Lessio *lib. 2. de justit. cap.* 11. *dub.* 27. *num.* 114. & alijs.

Ægidius Trullench *ubi supr. n.* 7. Vallentia, Filiucius, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *loco. cit. Q.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. Ajunt, non peccare graviter Parentes, Maritos, Dominos, dum corrigendo, & reprehendendo filios, uxores, famulos eximpatientia contumelijs afficiunt.

43. P. P. R. non est filius, nec subditus meus, cui contumeliam irrogavi.

C. Estnè fortè ejus Genitor, aut Superior? quia si esset Genitor, contumelia præter malitiam contra justitiam aliam specie distinctam contra pietatem includeret; ut *in* 4. *præcept. tract.* 4. *cap.* 1. dixi; & si esset Superior, duas pariter contineret malitias, nempè, contra justitiam, & contra virtutem observantiæ, seu obsequij, ut pariter *loco cit.* dixi. Modus autem, quo inferior satisfacere debet Superiori pro contumelia, debet esse petendo humiliter veniam. Ita Lessius *ubi supr.* §. 2.

44. P. P. R. hæc persona non est meus Superior, sed æqualis.

C. Inter æquales modus magis efficax, & tutus restituendi honorem est petitio veniæ. Villalobos *p.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 42 *n.* 6. quia per hunc actum sufficienter ostendit læsor, sibi displicere injuriam factam læso, & quòd, si antecedenter eum per contumeliam inhonoravit, dein per petitionem veniæ honoret, & revereatur.

Lessio tamen *ubi supr. num.* 144. §. 2. videtur inter æquales sufficere interdum pro restitutione honoris, ut offendens locum magis honorificum tribuat offenso, invitet ad convivium, aut ei propinet. Quia injuria illata per contumeliam consistit in omissione, vel potiùs negatione obsequij extrinseci, quo proximus honorandus est: atqui dando locum magis honorificum, &c. Exhibetur ipsi hoc obsequium extrinsecum, in quo antecedenter damnificatus fuit: Ergo per similia obsequia contumeliæ damnum ad æqualitatem resarcitur.

Si autem contumelia fuisset gravis, nec læsus his exterioribus signis contentus esset, sed insuper petitionem veniæ prætenderet, ait Lessius *ibi* in hoc casu petendam esse veniam.

45. P. P. R. obligabornè ad restituendum honorem ablatum, non solùm apud ipsum dehonoratum, verùm etiam apud alios, apud quos honor illius per meam contumeliam imminutus est?

C. Si læsus satisfactione privatâ contentus non est, V. D. obligabitur ad hanc præstandam, etiam coram illis, apud quos eundem dehonorat-

vit,

rit, alioquin non esset æqualitas inter offensam, & satisfactionem.

46. Notandum primò, contumeliam non solùm committi verbis, sed etiam factis: v. g. percutiendo aliquem baculo: & hæc contumelia est gravior, majorémque satisfactionem requirit.

Notandum secundò pro Confessariorum solatio ex doctrina Ægidij Trullench *super* 8. *præcept. Decal. lib.* 8. *cap.* 8. *dub.* 2. *n.* 7. & Bonacinæ *de restit. disp.* 2. *Q.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. §. 3. excusari à mortali contumelias, & convitia, quibus mulierculæ, pueri, & homines infimæ sortis se se solent aspergere ex animi irati promptitudine; nisi ex gravi odio procederent, quod esset mortale contra charitatem,

Et consequenter non obligari ad mutuam veniæ petitionem, saltem sub gravi culpa: primò, quia injuria non est gravis: secundò, quia se se invicem contumelijs afficiunt, adeóque in justam compensationem possunt restitutionem omittere: & tertiò, licèt alij audiant, nihil de eorum fama perditur, quia noscunt ex motibus primò primis iræ convitia illa jacere.

47. In hoc præcepto differui tantum de detractione, & contumelia, qua talibus, nempè, ut malitiam injustitiæ præcisè continent, non verò de ijs, ut malitiam odij frequenter eisdem annexam includunt; quare Confessarij de hac pœnitentes interrogent, cùm sit malitia specie distincta contra charitatem. Et quamvis subinde materia detractionis, aut contumeliæ sit levis, posset tamen graviter delinqui si nimirum ex odio, & intentione graviter lædendi proveniant, ut patet in parvo furto, in quo licèt materia sit levis, si tamé adsit intentio notabilem quantitatem auferendi, peccatum mortale committitur.

CAPUT VIII.

Exhortatio ad Detractores,

48 C. Non adeò facilè est explicare damna, mala, quæ à lingua detrahente derivantur. S. Jacobus Apostolus ait: linguam esse compendium universale omnium malorum, & quòd infernus eam inflammet ad comburendam alienam famam, súoque igne accendendam non refrenantis animam. Propheta David dicit, quòd vir detractor non prosperabitur super terram: *vir linguosus non dirigetur in terra.* Dominus DEUS noster Israëlitas contra Moysem murmurantes severè punivit, Aaronis sororem Mariam eâdem de causa leprâ mulctavit, plerásque alias pœnas vindex Justitia DEI hoc detractionis vitio laborantibus inflixit. De quadam fœmina refertur, quòd morti proxima linguam spectantibus omnibus circumstantibus extraxerit, ac magno dolore has effuderit voces: *Hæc lingua mea damnationis origo est.*

Eadem animadversione plecti formidandum est V. D. nisi ab hoc vitio abstinere per veram emendationem conetur; adeóque si amat animam suam, seriò id faciat; siquidem ex detractione nullus percipitur quæstus. Et quandocúmque in colloquiis famam proximi denigrari adverterit, illinc abeat, similes conversationes fugiat; etsi abire nequit, displicentiam suam, vel non consensum ostendat, sermonem aliò divertat, & hoc modo detrahentes corriget.

Non dubito, quin V. D. ægrè ferret aliorum detractiones de se, suisque actionibus: si ergo intendit DEI, & charitatis observare legem, coërceat linguam suam à detractionibus, quas nollet super se cadere. Advertat Fili mi, plures moderno tempore bonum nomen amisisse linguis nequam ad hoc cooperantibus, ac semper vigere onus restituendi famam proximo ablatam, quòd valde difficilè est, cùm homines, ut plurimum, inclinent ad credendum potiùs malum, quàm bonum; propterea à detestabili hoc vitio abhorreat, & sic charitatis obligationem adimplebit, DEI legem observabit, pacem cum proximo habebit, acâ Dæmonis unguibus se liberabit.

Caput Ultimum.

De nono, & decimo Præcepto.

49 NOnum, & decimum Præceptum, ad sextum, & septimum reducuntur, hæc duo ultima imposuit DEUS, ut indicaret non solùm opere per contrectationem rei, aut uxoris alienæ delinqui, verùm etiam per earum concupiscentiam: Et licèt in omnibus quóque alijs præceptis rei ab ipsis vetitæ desiderium sit peccatum; hæc duo tamen prava desideria prohibentia expressè fuêre posita, tum quia per hæc sufficienter instrui possumus quo ad alia præcepta, tum quia etiam in hæc objecta magis fertur appetitus hominis.

50 In hac materia notandum est, desideria bonorum fortunæ, si per media illicita, aut ex pravo fine, vel ex avaritia non procedant, non esse peccata saltem mortalia; & si hæc bona propter aliquem bonum finem intendantur: v. g. pro solvendis debitis, faciendâ eleemosynâ cum animo ab omni avaritia alieno, nullum est peccatum; quamvis laudabilius sit, Christianum esse conformem voluntati Divinæ, nec ultra ejus placitum quidquam desiderare: Etenim, si hæc bona temporalia nobis necessaria essent, indubium est, à Divina Majestate nobis fore tribuenda, & quando ea denegat, signum est, non nobis profutura; Idcirco nos, & omnia nostra Divinæ suæ Providentiæ dispositioni remittamus, quæ si ipsamet volatilia nutrit, terram incultam vestit, à fortiori creaturas suas rationabiles alere non desinet; utinam nos ita soliciti essemus in eo amando, & serviendo, quemadmodum ipsi de nobis continua est cura.

TRA-

TRACTATUS IX.

De Consequentibus Confessionem.

1. PRæcipua cura, & solicitudo Confessarij debet esse in excitando Pœnitentem ad dolorem, & detestationem peccatorum; siquidem integritas materialis Confessionis non semper sit necessaria ad percipiendum Sacramenti fructum, qui absque supernaturali dolore obtineri non potest. Quare advertat Confessarius, quam plures accedere ad Confessionem sine dolore, & non paucos, qualisnam ad eandem dolor requiratur ignorare; adeóque explicandum est Pœnitenti, quid sit contritio, & attritio, & quód attritio cum confessione sufficiat, ad validitatem Sacramenti, ac peccatorum veniam impetrandam. Pro Confessarijs autem, qui rationes ad detestationem peccatorum impulsivas in promptu non habent, hìc motiva aliqua efficacia ponam, ad hoc, ut DEI Spiritu, & Zelo terminatâ Confessione Pœnitenti ea suggerant, modo sequenti.

CAPUT I.

De *Exhortatione à Confessario facienda Pœnitenti finita Confessione.*

2. C. Non sufficit Fili mi pro impetranda venia suarum culparum contra Divinam Bonitatem patratarum, easdem oretenus confessum fuisse, ulterius requiritur, quòd ipsum verè pœniteat, & doleat Divinam Majestatem suam offendisse cum proposito eandem amplius non offendendi.

Non dubito, quin, si V. D. ad amabilem Bonitatem DEI à se offensam reflectet, magnam quòque sit habitura displicentiam, & tristitiam de peccatis, quibus non hominem, non Angelum, sed ipsummet DEUM, qui eam, creavit, pretioso suo sanguine redemit, ad fidem catholicam constituit, ac innumerabilia alia præstitit beneficia, contempsit, & offendit. Et si per leges positivas, & mundanas meritò adeò practicatur, & commendatur lex gratitudinis, ac quilibet vir sapiens pro accepto beneficio muneribus Benefactori se gratum exhibere enititur, qua ratione DEUS demerebitur id, quod infimus homo meretur? aut beneficia collata V. D. ingratitudine, & offensis persolvet?

3. Si V. D. in carceribus existens pro suis delictis extremum supplicium sustinere deberet, nec ullus daretur, qui eam ab hac sententia liberare posset, & ex Indiarum remotis confinijs Rex compareret, qui nullo præsuppositio servitutis officio sibi præstito, V. D. redimeret, se se ad mortem super patibulum subeundá offerret, & de facto vitam cum sanguine funderet, quam mercedem pro tam eximio favore rependeret? quam magnam obligationem huic

Regi profiteretur ? Et si V. D. tam crudelis, & inhumana esset, quòd post beneficium adeò singulare perceptum Regiam Personam alapâ cæderet, nonne execranda impietas, & delictum horrendum esset ? Hoc idem, quod contra hominem peractum summam sævitiam saperet, est rectè in terminis id quod V. D. contra DEUM suum patravit.

V. D. in antro carceris suorum scelerum condemnata erat, ad patibulum inferni, à quo nullus præter DEUM eam liberare poterat: infinita ejus Bonitas, & immensa Pietas cum detrimento (ut ita dicam) suæ Gloriæ è regione cœlesti venit in terram, humanitatis carcerem intravit, mortem ignominiosam Crucis subijt: ut liberaret eam à sententia, & supplicio suis delictis debito. Beneficia hæc multiplicia DEI; quibus gratiarum laudibus, & operibus persolvet, & defacto quomodo persolvit ? ah horrendum dictu! tot colaphis eum percussit, quot crimina, & scelera patravit.

4. Hæc ingratitudo eò abominabilior, quo vilior est res, propter quam irritavit, & offendit DEUM suum, nempè propter turpem voluptatem, propter sordidum interesse, &c. Magis æstimando contemptibilia hujus mundi, quàm immensam magnitudinem Creatoris, & potius obtemperando Dœmoni suggerenti peccatum, quàm DEO ad virtutem excitanti. Super cordis sui trutinam, seu bilancem positus fuit ex una parte DEUS gratiam, filiationem, & gloriam suam offerens, ex altera Dœmon in peccato suam amicitiam, captivitatem, ac æternum infernum exhibens, & tamen V. D. potiùs Diaboli servitutem, quàm DEI filiationem elegit, amicitiam Dœmonis gratiæ Creatoris præposuit.

5. Ad summam peccati turpitudinem, & malitiam reflectat, quæ tanta est, ut, si omnes homines & Angeli aspera quæquè, & ardua sufferrent pro unico tantum peccato mortali, satisfacere non valerent; adeóque pro condigna satisfactione præstanda necessariũ fuit DEUM incarnari, pati, & mori.

6. Tam ingens est malitia peccati, ut, quandocúnque homo peccat, Filium DEI spernat, parcutiat, colaphizet, crucifigat diriùs, & crudeliùs. quàm ipsimet Judæi; hi enim, si crucifixerunt eum, nescierunt esse DEUM: *Lucæ cap. 23. Nesciunt, quid faciunt*; & semel tantùm hoc fecerunt; V. D. autem, licèt noverit & DEUM, & suum esse crediderit, toties tamen crucifixit, & occidit, quoties in eum peccavit.

Dicat Fili mi, fortè DEUS malum aliquod, aut injuriam ipsi intulit? verè non, quinimo mille beneficia contulit, & majorem conferre desiderat; quare ergo DEUM tam bonum persequitur? Nonne satis pro sua redemptione afflictus, & vulneratus est Redemptor, cur ergo addit afflictionem afflicto, & vulnera vulnerato.

7. Et si amor DEI omni amore digni

gni eam non, movet ad sua scelera defienda, ac vitam suam emendandam, Justitiæ ejus timor mores suos corrigat, & coërceat.

Recogitet Fili, multas in inferno animas cruciari, propter minora quàm V. D. commserit, peccata; & quòd absque ulla injustitiæ nota, postquam peccavit, immediatè vitam auferre, & in infernum detrudere poterat. Et quid modo de V. D. esset, si misera hæc sors ei obtigisset? si hic digitum super candelam accensam brevi temporis intervallo sufferre non potest, quomodo V. D. habitare poterit in caverna illa obscura, catenis alligata, flammis undequáque circumdata, fame tabescens, siti exæstuans, doloribus intensissimis afflicta, super carbones ardentes volutata, & quod plus est, visione DEI in æternum privata, absque spe per totam æternitatem eo fruendi. Omnes has pœnas V. D. promeruit pro suis peccatis, & tamen DEUS concessit ipsi tempus pœnitentiæ, quod tot alijs denegavit; quinimo eò magis hac gratiâ indignum se reddiderat, quo plura, & graviora erant ejus scelera, & flagitia.

8. Nonne summa erit dementia, se rursùm damnationis periculo exponere, & gratiam acceptam contemnere? sciat Fili, statutum esse numerum determinatum peccatorum, & DEUM signâsse, ad quot peccata permissivè se habere velit, quo numero completo, sicut voluntas DEI est irrevocabilis, & decreta ejus immutabilia, ita infallibiliter sententiam damnationis exequitur. Ignotum est V. D. quot sua peccata DEUS velit adhuc permittere, præfixum numerum ignorat, unicum potest deesse pro complemento sui numeri, & si hunc complet, ô infelix ipsius anima propter infallibilem æternam damnationem secuturam.

9. Dicat, quæso, quid prodest ipsi offendere DEUM? Reflectat ad vitam suam præteritam, ad voluptates, gaudia, delectationes habitas, & fateatur, quale nam lucrum exinde perceperit? ubi nunc omnia sua oblectamenta? transierunt, avolarunt in momento, & vitamquoque, qua adhuc vivet, finiet, sicut vitam qua vixit, finivit. Nonne magna cæcitas est propter momentanea, vilia, transitoria, & inconstantia hujus sæculi bona animam in æternum perdere? Et pro brevi duratura voluptate flammis inextinguibilibus cruciari non per unum, decem, mille, vel millionem annorum, sed per integram æternitatem.

Comparet summam terrenarum voluptatum, ac temporalium deliciarum brevitatem cum infinita æternitatis duratione, & cogitet, an sit justum, & rationabile propter bona adeò frivola æternitatem omnium malorum incurrere.

Perpendat Fili mea dicta, consideret certam esse veritatem, & de fide, quòd vita hæc semel sit transitura, & tandem ventura dies, ac hora ultima

ultima suæ vitæ, in qua summe amara erit animæ culpa nunc à Dœmone dulcedine operta.

Quando V. D. appropinquabit horæ mortis, ô quantum se non peccâsse optabit? ecce nunc tempus se ad bonam mortem disponendi, quo neglecto potest contingere adeò acceptabile non amplius venturum, licèt summopere id desiderabit.

10. Reflectat præsentem vitam instabilem esse, & quòd, si modo est inter vivos, cras possit esse inter mortuos. Multos haud dubiè audivit morte improvisâ absque confessione obijsse: idem accidere potest V. D., cùm de opposito nullam à Domino DEO securitatem habeat; & licet de perceptione Sacramentorum esset certus, de multis tamen scimus, prævia etiam confessione, & communione defunctos in æternum perijsse; qui enim malè vivit, DEO fortè sic permittente nec benè confidebitur in morte in pœnam suorum peccatorum.

Si hoc solium esset vitreum, & subtus fornax profunda ignea, auderet nè V. D. deambulare super hoc vitrum? non profecto, quia prudenter argueret vitrum fore frangendum, & in flammas illas se præcipitem dandum.

11. Vitrum tam fragile non datur, sicut vita hominis, sub hac est ignea inferni profunditas: quomodo ergo V. D. audebit hoc fragile vitæ vitrum transmeare cum pondere culparum sine timore fractionis vitæ, & cadendi in profundum inferni? Fili mi, chara sit ipsi salus animæ, se emendare studeat; & sic vitam tranquillam ducet. Qui vivit DEO ejus mandata servando, nec timor mortis torquet eum, nec res aliqua hujus vitæ eum affligit; at qui in peccatis vivit, quomodo est possibile, quòd cordis lætitiam habeat, cùm sit certus, inter se, & infernum nihil aliud quâm respiramen mediare? quomodo placidum somnum capere potest, qui procumbit culpâ lethali gravatus, vi cujus forsitan non nisi in inferno se à somno excitabit.

12. P. P. R. cupio emendare, quod feci, hócque pro certo promitto, solùm propter gravitatem mearum culparum timeo, ne DEUS mihi parcat.

C. Et hoc Fili ex ore suo prodire sinit? licèt plura haberet peccata, quàm Mare habeat arenas, cœlum stellas, & aër atomos, veritas catholica est certior certitudine existentiæ hujus diei, quòd DEUS omnium peccatorum indulgentiam tribuat animæ verâ cordis contritione eadem confitenti; cùm DEUS verbi sui pignora dederit, quod, quotiescúmque peccator contritus veniam petet, Divina sua Majestas annuet, quamvis enormia sint ejus crimina.

Respiciat V. D. in David, Manassem, in Petrum, & Paulum, Magdalenam, Matthæum, aliósque quam plures peccatores, quibus DEUS adeò liberaliter pepercit perspectâ

eorum

eorum cordis compunctione, ita ut postmodum ad excelsam sanctitatem, & DEI amicitiam pervenerint: Idemmet est DEUS modò, qui antea erat, pro peccatore optante se alterum esse ab illo, qui antea fuit.

Sequatur V.D. hos sanctos Pœnitentes, qui post conversionem ad DEUM ad priora scelera non sunt reversi; quinimo ea continuò ponderantes amaris lacrymis detestabantur. Non aliter V.D. se gerere debet nunquam oblivioni tradendo sua crimina ad ea lugenda, & defienda, ac pane quotidiano planctûs, & compunctionis se reficiendo.

In immensam DEI Pietatem ac infinitam ejus Misericordiam confidat, & speret, qui est Pater adeò amabilis, ut peccatorem prodigum ad se conversum benignè recipiat, nec unquam cor contritum, & humiliatum despiciat; præterea tanquam bonus Pastor ovem, quæ perierat, quærit, & si tali anxietate amissam, & errantem oviculam ad ovile reducere nititur, qua cordis sui exultatione spontè ad se venientè recipiet? Et si immensus ejus amor non recusat itineris laborem pro impertienda gratia Samaritanæ in vitiorum cœno volutatæ, quantò magis V.D. confidere debet, dum voluntariè ad Divinos ejus pedes procumbit pro obtinenda peccatorum venia.

13. P. P. R. Nunc me accuso de peccato omisso in confessione.

C. Quale est hoc peccatum?

P. P. R. est peccatum valde grave.

C. Tantum dicat Fili, non deterreatur, nec pudore tardetur; me enim nihil omninò terret, aut scandalum parit; non permittat se à Dœmone decipi; si, quod plus est, fecit, etiam minus adimpleat, de nulla re est ipsi formidandum, nec ego mirabor, quamvis V.D. ipsummet Crucifixum ferijsiet.

P. P. R. est peccatum Inquisitionis, & Hæresis.

C. Tantum dicat Fili, quale nam peccatum est? est fortassis peccatum Bestialitatis?

P. Ita P. R.

C. Et hanc Bestialitatem confiteri erubescit? eia ergo, siquidem absque recursu ad Inquisitionem ab hoc casu ipsum absolvam.

Dicat mihi, quoties peccatum hoc commisit, forsan centies millies?

P. Non P. R.

C. Bis millies?

P. Non tot vicibus P. R.

C. Quot vicibus ergo, parum plus, vel minus?

P. P. R. ter, vel quater.

C. In decursu hujus Confessionis, vel ante Confessionem habuitnè intentionem confitendi hoc peccatum?

P. P. R. ex mero pudore non fui ausus, cogitando, quòd ad manus Inquisitionis me tradere deberem.

C. Sciat se fefelliisse, quia confessarius, licèt hæreses à pœnitente audiret, Inquisitioni eum tradere nequit, cùm sigillum strictissimè obliget

ad nihil de auditis in Confessione revelandum : nec peccatum, quod modò V. D. confitetur, est hæresis, sed tantùm solet reservari ab ordinarijs in aliquibus Diœcesibus, & quilibet Confessarius approbatus in virtute Bullæ potest ab eo absolvere: Accusat se nè modo de voluntate, & intentione reticendi hoc peccatum, & percipiendi indignè hoc Sacramentum Pœnitentiæ in quo sacrilegium patrabat?

P. Ita P. R. de hoc pariter me accuso.

C. Et V. D. accessissetnè ad sacram communionem retento hoc peccato?

P. Ita P. R.

C. Accusatnè se quóque de hac voluntate communicandi in malo statu, in quo novum sacrilegium committebat?

P. Ita P. R. de omnibus me accuso.

C. Noviter etiam se accusat de omnibus antecedenter confessis?

P. Ita P. R,

C. Et de omnibus modò, & antea confessis iterum ex toto corde dolet, ac firmiter proponit emendationem?

P. Ita P. R.

C. Habetnè aliquid aliud ad dicendum?

P. Non P. R., nihil aliud habeo.

C. Non erubescat, amore DEI dicat, si quid remanet? non sinat se à Diabolo vinci: novit enim, quòd per humaniter, & non asperè secum egerim.

P. Hoc me induxit ad aperiendum nefas adeò turpe, & credat V. P., quòd si aliquid aliud conscientia dictaret, simpliciter faterer.

15. Hoc peccatum paulo ante confessum in alia quóque occasione fui confessus, & quia Confessarius dixit, necessarium esse, Romam adire, non fui ausus id amplius confiteri.

C. Non Fili, non est opus pergere Romam, ego ab hoc peccato ipsum absolvere possum. Advertat, quæso Confessarius circa hoc punctum; cùm plures adinvenerim animas diù reticentes peccata in Confessione ex eo, quòd Confessarius dixerit, non posse eas absolvi à peccato Bestialitatis, aut Sodomiæ, nisi Romam proficiscerentur; ignorantia nimium crassa, & culpabilis in uno Confessario; Etenim in Hispania quilibet Confessarius approbatus ab Ordinario potest virtute Bullæ absolvere ab omnibus censuris, & casibus reservatis, excepta Hæresi externa, à qua Tribunal Inquisitionis in Hispania absolvit, & cuicúmque Confessario à S. Tribunali authoritatem petenti concedetur facultas absolvendi ab Hæresi. Sed, sicut dixi, Bestialitas non est reservata Papæ, nec Inquisitioni.

Et quando Pœnitens accedit cum similibus peccatis, necesse est eundem animare, interrogando, utrumnam multoties & excessivè: v.g. centies millies ea commiserit, ut sic pœnitens sumat animum, & putet,

Con-

Confessarium non terreri, aut obstupescere de suis culpis.

16 Quod enixè commendo PP. Confessarijs, est, ut benignè, & clementer agant cum pauperculis pœnitentibus, non asperè eos arguant, aut severè excipiant, nec eorum culpas mirari ostendant, sed summam fragilitatem miseræ naturæ humanæ perpendant, & quòd, si DEUS nos sua protectione non fulciret, Dœmonibus deteriores omnes evaderemus: Consideret Confessarius, quòd, si ipsemet in statu pœnitentis constitutus esset, optaret à Confessario benignè excipi: ergo, si hoc secum practicari vellet, idem cum proximo suo practicet, cùm proximum tanquam se ipsum DEUS amari præcipiat.

Consideret pariter Confessarius, quòd in sacro Confessionis Tribunali DEI Personam repræsentet; & si Divina Bonitas in suo Tribunali magis ad pietatem, quàm ad severitatem prona est, id pariter Confessarius imitari debet, aliàs non erit vices gerens, ac DEI substitutus.

Potest quidem, & debet Pœnitenti repræsentari turpitudo culpæ, proponi gravitas peccati, & horror DEI offensæ; sed in hoc verba dulcia, & penetrantia sunt adhibenda, suaviter admonendo; non cum clamore reprehendendo: ostendat Pœnitenti suam deceptionem, sed non verbis exasperantibus: hortetur rationibus validis, sed non deterreat nimio rigore: illuminet luce eum colluſtrante, non obumbret tenebris, aut tonitruis perturbet: animam ejus sanæ, & Sanctæ doctrinæ rore uberet, & fœcundet, non grandinem jaciat eandem sterilem reddentem.

Demum fasciâ prudentiæ vulnera pœnitentis ligare studeat, miscendo vinum reprehensionis cum oleo amoris, & benignitatis, & sic legem charitatis erga proximum adimplebit, Zelum Ministro DEI debitum exercebit, finem emendationis Pœnitentis obtinebit; & DEUS sapientiâ ad cognoscendum verum, prudentiâ ad dirigendos peccatores illum replebit.

17. Frequenter contingit, quòd pœnitens sit habituatus in peccato, & in occasione proxima voluntaria constitutus; in quibus casibus deneganda est absolutio juxta declarationem Innocentij XI. In Propositione 60. damnata. Nihilominus sæpiùs potest absolvi concurrentibus circumstantijs in ejusdem Propositionis explicatione signatis. Sed pro tunc necessariò admonendus est, quòd per relapsum incapax fiet absolutionis, ut dixi in præambulo *num.* 10. & pro tunc Confessarius cum Pœnitente se gerere debet modo sequenti.

C. Consideret statum miserabilem, in quo jacet anima ejus propter hos relapsus, qui talis est, ut incapacem reddat recipiendi absolutionem; cùm ex nulla emendatione à tanto tempore arguatur ipsum accedere ad Confessionem absque requi-

sito dolore, & efficaci emendationis proposito, qua dispositione secluſa est incapax absolutionis juxta præscripta Confessarijs à Sanctitate Innocentij XI. Dicentis, à longo tempore recidivis in qualibet specie peccati non posse tribui absolutionem. Ratio fundamentalis hujus Decreti est; quia Confessario cor pœnitentis patere non potest. Nec ejus actus interni, nec, utrùm verè proponat emendationem, & solùm *à posteriori* ex effectibus infertur causa latens in corde; effectus veræ pœnitentiæ sunt emendatio morum: pœnitens post tot confessiones nunquam mores suos emendavit: ergo ipsum non verè pœnituit, nec de facto pœnitere rationabiliter præsumitur, & consequenter est incapax recipiendi absolutionem, & hujus Sancti Sacramenti fructum.

18. P. P. R. firmiter promitto me imposterum emendaturum.

C. Fili, modicam his verbis præsto fidem, quia quotiescúnque fuit confessus, hoc idem promisit, nec unquam servavit; quo fundamento igitur debeo credere, quòd deinceps sit adimpleturus?

Volo, ut ipsemet sit judex in sua causa. Dicat mihi, si rem aliquam faciendam mihi imponeret, & ego in verbo viri id promitterem, promissis autem meis non starem, repetitis postmodum vicibus me rogaret, & ego semper renovarem promissa, nunquam verò in ijs manerem, nunquid præstaret fidem cæteris omnibus posterioribus meis promissis? Non profectò, & rationabiliter. V. D. accedit ad confessionem semel, bis, & ultra decursu temporis, à quo laborat hoc vitio, semper promissa emendationis confessario dedit, nunquam verò ea executioni mandavit; quomodo autem nunc credam executuram?

19. P. P. R. quid dicam? fragiles, & miseri sumus lutea vasa portantes; licèt in confitendo habuerim propositum non amplius DEUM offendendi, postmodum velut fragilis lapsus fui in eadem peccata.

C. Certus sum de inconstantia conditionis humanæ naturæ, quæ est ipsamet fragilitas, hæc verò fragilitas aliqualiter est reparanda, quod debet fieri per negationem absolutionis; cùm enim plaga sit adeò inveterata, ut medicinæ suaves non sufficiant ad eam curandam, necesse est uti combustione pro lethali hoc ulcere curando.

Non ignoro pariter, quòd physicè loquendo sit compossibile verum propositum in confessione cum posteriori ejusdem replicata fractione, moraliter tamen sunt incompossibiles tot relapsus cum efficaci, & vero proposito; nósque Confessarij regulare debemus non juxta id, quod physicè evenire potest, sed secundùm id, quod moraliter contingit, & communiter contingere solet.

Physicè possibile est, in occasione proxima constitutum non cadere; & hoc non obstante obsolutio ei impertienda

pertienda non est; quia in judicio morali, seu moraliter incompossibilis est emendatio constituto in proxima occasione, licèt in hoc non adsit repugnantia physica; itáque eat in Nomine Domini, quia nequeo eum absolvere.

20. P.P.R. per amorem DEI obsecro, me absolvat, protestor enim me emendaturum.

C. Forsitan putat, me differre absolutionem ex mera mea voluntate? sciat, hoc mihi plus, quam ipsi displicere, sed cùm sit incapax, quid prodest eam absolvere? nec V.D. percipiet fructum Sacramenti, nec ego meæ obligationi satisfaciam, impertiendo ei absolutionem.

P. P. R. quid, quæso, tota gens præsens dicet, videndo, quòd me non absolvat?

C. Hoc impedietur per ceremoniam quæ fit in absolvendo, & modò à me fiet impertiendo ei solùm benedictionem.

P. P.R. sincero corde protestor, & promitto emendationem.

C. Caveat; quia si putat me decipere, se ipsum decipit, si ex toto corde non se determinat ad emendationem, & depositionem veteris hominis cum omnibus actibus, & habitibus vitiosis.

P. P.R. sit certa, quòd ex toto corde prædicta confirmem, & quòd omnem possibilem conatum velim adhibere pro hac promissione adimplenda.

C. In verbo suo absolutionem ei impertiar, sciat tamen, hanc fore ultimam, nisi verè resipiscat, & redeat ad cor; & quòd, si relabetur in idem peccatum, nemo poterit eam absolvere. Et licèt aliquis hoc faceret, V.D. non percipiet fructum absolutionis, cùm ejus proposita sint meræ velleitates, verbúmque suum non mihi, sed DEO dat, méque tanquam hominem deludere quidem valet, non verò DEUM., qui abscondita sui cordis noscit, & an verè proponat emendationem,

21. V. D. non aliter faciat, si amat animam suam; quia, si insulsum, & vile est, verbum homini datum non adimplere, quale dedecus erit, verbum DEO omnipotenti datum transgredi? Quia semel tantùm Ananias, & Saphira ejus uxor mentiti sunt D. Petro *Actorum cap.* 5. improvisa morte obierunt, dixitque ei D. Petrus: *Non es mentitus hominibus sed DEO*, non me DEI Ministrum, sed DEUM ipsum decipere voluisti.

Hæc eadem punitio est ipsi formidanda, si fraudulenter, & non cordicitus asserit, se emendationem proponere; etenim non mihi, sed DEO., qui non poterit decipi., mentietur, si vitam, & mores verè corrigere non statuit. Fiat ergo, quod promittit, & DEUS ter optimus parcet peccatis suis., à quibus omnibus mox eam absolvam.

Caput II.

De modo, quo Confessarius gerere se debet cum Panitente, qui jam diù non est Confessus, & cum illis, qui doctrinam Christianam ignorant.

22. QUamplures Christiani, sine ullo amore DEI, ac propriæ salutis obliti, SS. Sacramenta negligenter frequentant per annos integros interdum ea non recipiendo; & aliqui (sine timore DEI) adhuc diutius; nec desunt pluribus ex his excusationes, & prætextus ad colorandam, & obtegendam hanc adeo reprehensibilem negligentiam: hos Zelosus Confessarius efficacibus rationibus à tali sopore excitare, ac frivola eorum fundamenta convellere debet. Hoc tamen non est faciendum ab initio, sed in fine confessionis, quinimo, quando Pœnitens ab initio dicit, *ab anno, & ultra non fui confessus*, Confessarius prudenter, & patienter pro tunc dissimulet, nec reprehendat, aut scandalum propter hoc pati ostendat, sed silentio prætereat; ne peccator confundatur, & peccata confiteri vereatur: postquam verò totum è conscientia evomuerit venenum, objiciat ipsi, quàm periculosum, & pernicioſum sit tam notabiliter differre, & procrastinare accessum ad Sacramentam, eúmque ad eorundem frequentiam rationibus sequentibus ad hunc finem positis animet.

C. Fili mi, non negligat impostetrum frequentare Sacramenta, quæ sunt cibus animæ, antidotum suarum infirmitatum remedium vulnerum, solatium pœnarum, levamen tribulationum, medium vincendi tentationes, arma suam fragilitatem à Dœmone defendentia, & spes æternæ Gloriæ. Modicùm DEUM suum amat Christianus, qui negligit eum in corde suo recipere, cùm tamen summum illud bonum sub speciebus Panis apud nos manere dignatum fuerit ex abundantia amoris, & desiderij inhabitandi in cordibus nostris; ô quam magna ingratitudo animæ rationalis DEO suo nolle uniri, eique in corde suo hospitium parare.

Evidens quóque signum est modici amoris erga animam suam, dum ab hoc cœlesti alimento eam jejunare sinit. Dicat Fili, si sex, vel octo mensium, aut unius anni intervallo à quolibet cibo abstineret, nonnè fame periret? Modò, si tanto tempore relinquit animam suam absque hujus Divini panis refectione, debilitari, infirmari, extenuari necessarium erit. Si per sex, aut octo menses indusium non mutaret, nonnè fuligine, & carbonibus obscurius, & deformius appareret? si per tantundem tempus non abluit indusium suæ conscientiæ in aqua confessionis, quomodo puritas animæ suæ se habebit? turpissima, fœdissima, & luridissima erit. Videtur ipsi rationabile tantâ diligentiâ uti pro nutriendo corpore, & tam modica in alenda

lenda anima? Justum nè est, tanta solicitudine mundare vestem tegentem hoc corruptibile corpus, & tam modicâ applicatione sordibus abstergere vestimenta pretiosa Spiritûs? Tanta diligentia adhibetur pro conservatione, & decentia hujus corporis, futuri pabuli vermium, in cineres, & pulveres convertendi, & quasi nihilum pro conservatione animæ suæ, quæ est gemma pretiosissima fabricata à Supremo Artifice, facta ad suam imaginem, & similitudinem immortalis, incorruptibilis, capax visionis, fruitionis DEI & æternæ Gloriæ?

23. Si Hospes aliquis in platea compareret auri maximâ copiam habens nuntiaretque universaliter omnibus pecuniæ cupidis eandem ad libitum argiendam absque obligatione restitutionis; daretur nè aliquis, qui reputeret adesse ad percipiendum aurum gratis datum? Dives in omnes DEUS in Sanctis Sacramentis deposuit thesauros inæstimabiles sui amoris, suæ gratiæ, suæ Misericordiæ, pretiosiores auro, argento, margaritis, ac divitijs hujus Mundi, eósque gratis omnibus indifferenter offert: quàm magna ergo dementia, & insania nec oblatas opes appetere, nec eas à summa liberalitate Domini acceptare? Si quispiam Christianus mortifero morbo laboraret, ac Medicus peritus se spontè, & gratis ad eum curandum offerret, nunquid oblationem factam respueret, aut sanitatem ex boni Medici industriâ recuperare recusaret? Anima ejusdem gravi culpæ infirmitate cruciatur, Divinus Medicus salutem per suavissima Sacramentorum pharmaca infallibiliter obtinendam exhibet, & ingratissimus Christianus potiùs in infirmitate jacere, quàm curari decernit?

Reflectat pariter, memoriam hominis labilem esse, & oblivioni obnoxiam, & consequenter per longam Confessionis dilationem quomodo poterit recordari speciei, numeri, ac circumstantiarum suorum peccatorum? præterea se exponit innumeris scrupulis, quòd confessiones debito examine, & integritate, vel materiali, vel formali careant. Perpendat præsentem vitam ad instar vitri fragilem, & instabilem esse, improviso infortunio finibilem: quod, sicut pluribus accidit, ita V. D. accidere potest. Si mors adveniet, dum per confessionem erit benè disposita, felix ipsius sors erit; si autem ex dilatione confessionis absque hac Christiana præventione obibit, væ ipsi! Propter hæc, & alia motiva rogo, hòrtor, admoneo, obsecro per DEI & sui ipsius amorem, ut deinceps magis sit solicita in frequentando Sacramenta: salutem animæ suæ quæro, negotium suæ salutis ago, quod magis sua, quam mea interest; Eia Fili consilium meum ei placeat, & sic V. D. vitâ vivet pacificâ, corde tranquillo, & sereno, eâque securitate, quam secum affert bona conscientia: è contra verò faciendo angustias, turba-

turbationes, ac animæ inquietudines experietur, præcipuè tempore mortis, in quo consilium meum neglexisse summè pœnitebit.

24. Alios Pœnitentes comperiet Confessarius doctrinam Christianâ, ac necessaria ad salutem ignorantes; hi & alij in quibus prudenter supponitur adesse talis ignorantia, de summa credendorum interrogandi sunt, ut supradixi *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 1. Nec est consultum, quòd Confessarius semper ab initio confessionis de prædictis interroget, quia dantur plures personæ, quæ per has immediatas interrogationes turbantur, ac non rectè respondendo erubescunt, cui verecundiæ additâ alterâ de revelatione peccatorum facile ad aliquod reticendum inclinabunt: completâ ergo confessione omnium peccatorum poterit Confessarius eos interrogare de Doctrina Christiana, compertóque peccatore ignorante ad absolutionem non procedat absque prævia notitia Mysteriorum SS. Trinitatis, & Incarnationis, cùm eorum fides explicita sit necessaria necessitate medij ad justificationem, & salutem, & consequenter ad recipiendam absolutionem, ut constat ex Propositione 64. damnata ab Innocentio XI. ut videri potest in ejus explicatione *tract.* 10. *sequenti.* Unde Confessarius suppositâ ignorantiâ Pœnitentis ante absolutionem tenetur eum instruere quo ad Mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ mox sumendæ, imponendo pariter, ut addiscat alia, quæ sunt necessaria necessitate præcepti: quòd si post trinam, aut quartam admonitionem ea non didicerit, differre debet absolutionem, usquè dum ea calleat, ut dixi *tract.* 1. *cit.* & pariter dicam *tract.* 10. *seq. in explicat. Propos.* 64. *damnatæ.*

Ut autem Pœnitens non turbetur ex interrogatione rerum fidei, quæ aliquibus videtur impropria, ac pueris, non adultis facienda: Confessarius hos prudenter admoneat, non ex curiositate, aut verecundia causanda se hoc interrogare, sed quia talis notitia ad salutem Pœnitentis est necessaria, nec magis ad eam obligari pueros, quàm adultos, suæque conscientiæ teneri satisfacere, antequam ad absolutionem procedat, aliisque motivis suadeat Pœnitenti passivam, & voluntariam instructionem: & si Pœnitens erit Pater, aut Mater familiæ, interroget pariter, utrum nam liberos, aut famulos erudierit ad Mysteria nostræ sanctæ Fidei, vel an erudiri in scholis, aliovè modò tentaverit.

25. Alios etiam adinveniet Confessarius pœnitentiam in prioribus Confessionibus impositam non adimpleviisse, vel tantùm ejusdem partem; tunc exactè interroget, quidnam desit ad eam complendam; etsi fortè pœnitentia esset indiscretè imposita, alleviare, vel commutare in aliam magis congruam pulchrè studeat absquè murmuratione aliqua Confessarij præcedentis, vel aspera repre-

reprehensione Pœnitentis negligentiis; sed pro tunc dissimulet, in finem confessionis reservando admonitionem de hoc peccato omissionis, ut in decursu operis sæpiùs dixi.

Dantur alij Pœnitentes negligentes in exequendis votis, & promissionibus; quapropter super secundum Præceptum eos interroget; & comperto aliquo defectu, omissione, vel negligentiâ, discutiat, utrum possit, vel expediat ab hoc onere Pœnitentem liberare per dispensationem, irritationem, aut commutationem voti, juxta principia tradita *tract. 2. cap. 4. per totum.*

Caput III.

Remedia præservativa pro habituatis in peccato, & occasionibus involuntarijs.

26. UNum ex principalioribus muneribus Confessarij est officium Medici spiritualis, vi cujus diligenter debet perquirere infirmitatem Pœnitentium; pulsum animæ sensim tangere; passiones animi inordinatas investigare; ac cognitâ infirmitate remedia opportuna applicare.

Remedium valdè proficuum, & efficax ad emendationem Peccatoris in aliquo vitio habituati est renitentia, & difficultas Confessarij in eo absolvendo, modo, & formâ in antecedenti capite præscriptâ: cùm quilibet Christianus advertens propter sua peccata sibi claves cœli denegari posse, ita terrefiat, ut ad proposita valdè efficacia exinde progrediatur.

Caveat tamen Confessarius, nè hanc difficultatem absolvendi ostendat cum clamoribus, verbis asperis, & acerbis, sed dulciter, & suaviter Pœnitenti repræsentet causam, propter quam renuit eum absolvere; nempè propter ejus inefficacia, & frivola proposita. Hoc remedio potest uti cum quolibet peccatore habituato; eadem enim ratio militat in omnibus habitibus vitiosis, quos omnes complectitur Propositio 60. damnata à Sanctitate Innocentij XI. Frequentiores habitus peccandi sunt sequentes.

27. Primus, est vitium ebrietatis, quòd difficilè à subjecto corrigi potest, ut experientia patet.

Secundus, Juramentum falsum, maledictiones, & imprecationes voluntariæ.

Tertius, non solvendi debita, aut malè acquisita non restituendi.

Quartus, pijs legatis non satisfaciendi.

Quintus, injurias non remittendi, & non amandi proximum amore præcepto.

Sextus, non adimplendi promissa, aut vota DEO, & Sanctis præstita.

Septimus, est vitium turpe lasciviæ tam in propria, quàm in aliena persona, sive cogitationibus, sive verbis, sive operibus.

Octavus, non restituendi honorem, aut famam ablatam per detra-

ctiones coram personis audientibus easdem retractando, & in contumelia petendo veniam â persona inhonorata.

Nonus, Est ignorantia culpabilis, & vincibilis doctrinæ, & Mysteriorum Fidei, de qua supra egi *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 1. *& cap. præc. n.* 24. & adhuc agam *tract.* 10. *seq.* in explicatione Propositionis 64. damnatæ ab Innocentio XI.

Decimus, Inobedientia, arrogantia, & contemptus Parentum.

Undecimus, omissiones particularium personarum in officijs, & ministerijs sibi commissis, de quo fusè, & ex professo in secunda parte hujus operis ago.

Quotiescunque Pœnitens de his, & similibus consuetudinibus, seu habitibus vitiosis se accusabit, gerat se Confessarius modo supra dicto in præced. cap. interrogando pariter, utrum nam ab alijs Confessarijs fuerit admonitus de incapacitate exinde absolutionis; & si bis, vel ter fuerit admonitus, nec se emendaverit, nullo modo eum absolvat, nisi concurrentibus circumstantijs in explicatione Propositionis 60. positis.

28. Secundum remedium est objectio gravitatis peccati, juxta dicta cap. 1. hujus tractatus. 9. Certum est enim in multis Pœnitentibus, quibus turpitudinem peccati objeci, extraordinarios effectus, ac mirabiles conversiones me deprehendisse; qui postmodum solent ita fateri: P. R. si cæteri Confessarij ita illuminâssent oculos mei intellectus, nunquam obdormivissem in morte, nec vitam præteritam duxissem. Quod absquè dubio credo, cùm voluntas hominis sit potentia cœca, & intellectus à bonis terrenis facilè se falli permittat; quare nisi Confessarius solidis, & evidentibus rationibus proponat motiva apta ad convincendum intellectum Pœnitentis, ejùsque voluntatem movendam ad vera bona amplectenda, & falsa detestanda difficulter relictâ lubricâ viâ vitij semitam virtutis ingredietur.

29. Tertium remedium est imponere Pœnitenti, ut singulis diebus per unum vel medium horæ quadrantem motiva, & rationes supra *cap.* 1. positas discutiat, singulariter verò æternitatem pœnarum inferni matùrè, ac vera fide ponderet. Et si Persona sit à curis, & negotijs immunis, maximè Ecclesiastica, injungat, ut bis in die mane, & vesperi orationi mentali incumbat, in qua fragilitatem, & brevitatem vitæ, mortis certitudinem, terribilitatem Divini Judicij, pœnas inferni horribiles sibi præparatas, nisi resipuerit, aliáque similia seriò perpendat.

Hæc tria remedia sunt utilissima, & efficacissima; teste enim Hieremia *cap.* 12. tot mala mundi ex defectu considerationis proveniunt: *Quia nullus est, qui recogitet corde*; ipsemet quóque Spiritus S. ait, unicum remedium peccati esse novissima meditari: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl.* 7. &

&Moyses summoperè optabat, ut homines in eorum contemplatione exercerentur: *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Deut. cap. 23.* Hoc nobis Confessarijs debet esse in praxi familiare; quia intellectus Pœnitentis objurgationibus, & increpationibus non captivatur in obsequium fidei, & Divinæ Legis; sed solidarum rationum pondere, & virtute.

30. Quartum remedium est frequentia SS. Sacramentorum plus, aut minus imponenda juxta majores, vel minores occupationes Pœnitentis, quem rationibus supradictis cap. 2. num. 2. ad eandem hortari poterit.

31. Si relapsus procedant ex occasione vitanda: v. g. ex frequentia alicujus domûs, vel ex transitu per talem viam, imponendum est, ut domum illam amplius non ingrediatur, vel fores ejus non circumeat, per talem viam non transeat: & si occasio est proximior, nempe in eodem habitaculo, sed involuntaria: v.g. Filiusfamilias habet illicitam correspondentiam cum aliqua persona domestica, quam expellere non potest, nec ipsemet de eâdem egredi, & de similibus; præcipiat Confessarius, ut ad posse à conversatione cum tali persona abstineat, nunquam cum ea solitariè agat, ab ejusdem aspectu caveat eâ diligentiâ, qua stramen, seu palea ab igne alienatur, cùm faciliùs sensuales flammæ accendantur in corde lascivo, quàm ignis in palea.

32. Si habitus non proveniat à causa extrinseca, sed intrinseca Pœnitenti: v. g. quòd *se polluat voluntariè*, remedium est difficilius, cùm nemo possit fugere inimicum intrinsecum, & sibi annexum, magis tamen efficax antidotum est incensum aromaticum considerationis; & quando adversarius hac viâ eum aggreditur, muniat se miles Christianus clypeo meditationis, ponderando, quòd voluptas à carne oblata illicò sit transitura, & quòd in ipso actu commissionis possit à DEO puniri morte temporali, & æternâ; comparet momentaneam delectationem cum infinita duratione æternitatis culpæ debitâ: & moraliter impossibile erit, quòd supposità horum attentâ consideratione ad peccandum se determinet.

33. Suadeat pariter, ut interdum solitarius in cubiculo mortui figuram repræsentet, reflectendo, quòd tandem semel realiter in sepulchro mortuus jacebit; ut subinde digitum ad ignem, vel ad candelam accensam apponat tamdiù, quamdiù sufferre potest, & mente revolvat, quod si impossibile est sustinere digitum propinquum flammæ unius candelæ per unum, vel alterum momentum, quomodo dein corpore, & anima habitare poterit cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis?

Si compotationibus est deditus, præcipiat, ut vinum abundanter cum aqua mixtum bibat, aut totaliter abstineat, si absque nota, vel

detrimento salutis fieri possit: *Quia venter vino æstuans citò despumat in libidines:* ait Apostolus *ad Ephes. cap. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Ut pravas conversationes evitet, & honestis, ac timoratis personis se associet, à fœminarum consortio pro posse declinet, ad choreas, ac vana mundi oblectamenta non tendat.

Ut nunquam otio indulgeat, quia otium est fons, & scaturigo vitiorum; cùm verò intellectus, & aliæ potentiæ hominis non quiescant, sed quasi semper sint in actu secundò; nisi honestis vacent occupationibus, tentationibus Diaboli subjiciuntur.

Ut singulari devotionis affectu B. Virginem MARIAM Dominam nostram prosequatur, humiliter deprecando, ut tanquam Mater puritatis omnem impurum affectum è corde suo eradicet; ut Rosarium Marianum devotè recitare non desinat, & quando tentationes impetunt, sub tam piæ Matris præsidium confugiat, recitando Salve Regina, vel salutationem Angelicam; Etenim si humili, & reverenti corde adeò amabilis, & potentis Reginæ auxilium implorabit, securè confidere potest de secuturo suæ orationis effectu.

CAPUT IV.

De Pœnitentia satisfactoria Pœnitenti imponenda.

34 AD tria reducunt Theologi Pœnitentiam satisfactoriam Sacramentalem. Primum est jejunium, in quo comprehenduntur omnia opera pœnalia. Secundùm est eleemosyna, ad quam reducuntur omnia opera Misericordiæ. Tertium est Oratio, ad quam revocatur totum id, quod fit ad DEI Domini nostri honorem, gloriam, & obsequium.

Certum est, quòd Confessarius regulariter loquendo teneatur imponere aliquam pœnitentiam satisfactoriam Pœnitenti, & quidem ejusdem peccatis moraliter proportionatam. Ita sancit Sacrum Concil. Trident. *Sess. 14. cap. 8.*

Dixi *moraliter*, quia impossibile est metaphysicè, seu arithmeticè ad æqualitatem mensurare satisfactionem cuicúmque culpæ debitam: adeóque tantùm requiritur prudens, & rationabilis decisio absque nimia hæsitatione, vel scrupulo, an sit excessus, vel defectus in justa mensura.

35. Ut verò Confessarij absque scrupulis possint in hac materia procedere, adducam opinionem communem Theologorum apud de Lugo *de Pœnit. disp. 27. sect. 3. num. 22.* docentem, quòd, quando Pœnitens potest consequi aliquam indulgentiam plenariam, in hoc casu possit Confessarius dimittere Pœnitentem absque pœnitentia precibus ipsis Indulgentiæ pro pœnitentia inservientibus. Idem de Lugo *disp. 8. sect. 4. num. 48.* Caspensis *tom. 2. tract. 24. disp. 8. sect. 4. n. 28. in fine.*

Ex quo infertur primò, quòd tempore Missionis, in quo Missionarij solent

solent publicare Jubilæum, possint Confessarij absolvere absque Pœnitentiæ impositione, vel aliquam levem tantùm imponendo, præcipiendo nimirum Pœnitenti, ut diligenter adimpleat requisita ad Jubilæum. Idem dicendum pro diebus primæ Dominicæ Mensis, in quibus multæ Ecclesiæ Jubilæo potiuntur, & universaliter pro quolibet festo anni, in quo habentur similes Indulgentiæ plenariæ.

36. Infertur secundò, qualibet die, in qua est statio Romæ, posse Pœnitentem absolvi absque ulla pœnitentia, dummodo suppositâ Bullâ visitet quinque Altaria; sic enim Indulgentiam plenariam consequetur. Diebus verò, in quibus non sunt stationes Romæ, poterit ei injungi jejunium unius diei, quod non sit de præcepto; & si non potest jejunare, ut aliud bonum opus perficiat ad arbitrium Confessarij, per quod stante Privilegio Bullæ quindecim annos, & 600. dies Indulgentiæ lucrabitur, id est, remissionem pœnæ Purgatorij, quam consequeretur Pœnitens, si toto hoc tempore pœnitentias à sacris Canonibus assignatas persolveret. Et si Pœnitens multis peccatis sit irretitus, nec detur tempore suæ Confessionis ulla Statio Romæ, aut aliud Jubilæum, potest Confessarius ei applicare Indulgentiâ plenariam Bullæ, quæ annuatim semel in vita conceditur, sicque onus pœnitentiæ alleviare.

37. Si vera est opinio Remigij *in Sum. tract. 7. cap. 1. §. 4. num. 2.* dicentis, singulis anni diebus acquiri Indulgentiam plenariam per Privilegium Bullæ visitando quinque Altaria, quæ opinio fuit etiam alterius Doctoris, quem omisso nomine citat, & refutat Trullench *in Bullam lib. 1. §. 6. dub. 1. n. 7.* Sequeretur enim, quòd in quacumque anni die, in qua Pœnitens confiteretur, dummodo orationes solitas ad quinquè Altaria persolveret, pœnitentia ei debita posset imminui.

Censeo tamen, solùm diebus, in quibus est statio Romæ, dictam Indulgentiam plenariam acquiri, ut constat ex verbis Bullæ quæ dicit, *In singulis diebus Stationum Almæ Urbis.* Hoc non obstante probabile mihi videtur, quòd singulis diebus in virtute Bullæ possit acquiri Indulgentia plenaria; quia arbitror, singulis quóque diebus dari stationes Romæ, ut infertur ex verbis additis in fine Bullæ Cruciatæ quæ sic sonat, singulis alijs diebus anni acquiruntur Indulgentiæ Romæ, quia quotidie in ea datur Statio. Nec huic obstat Decretum reformationis Indulgentiarum à Sacra Congregatione Romæ emanatum 7. Martij, Anno 1688. quod refert P. Magister Lumbier *tom. 2. num. 976. pag. 741.* ut patebit ex dicendis *in 2. part. Praxis. tract. 16. in explicatione Propositionis 37. damnatæ ab Alexandro VII.*

38. Est pariter doctrina multorum Theologorum apud Dianam *part. 3. tract. 4. resol. 96. & part. 6.*

tract. 7. resol. 5. Confessarium non peccare imponendo pro gravibus culpis leves pœnitentias additis in fine absolutionis illis verbis: *Quid quid boni feceris, & mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum.* Dummodo admoneat Pœnitentem, quòd hac de causa modicam pœnitentiam ei injungat; cùm vi horum verborum bona opera facienda à Pœnitente induant rationem satisfactionis Sacramentalis, & partis integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

39. Ex alio capite de Lugo excusat Confessarios imponentes leves Pœnitentias pro gravibus culpis, *disp. 2. de Pœnit. sect. 4. num. 47. & num. 60.* Nempe, ut fragilitati naturæ humanæ corruptæ fiat adaptatio: si enim gravis pœnitentia imponatur Pœnitenti, aut eam omittit, aut illibenter eam adimplendo modicum per ipsam satisfacit. Et ratio harum resolutionum est; quia Pœnitentia Sacramentalis debet esse salutaris Pœnitenti: atqui attenta fragilitate humana non est salutiferum pœnitentijs gravibus eum gravare: ergo &c. Minor probatur; quia pœnitentia salutaris non est, quæ laqueum parat Pœnitenti ad novas culpas incurrendas: sed homini fragili pœnitentiam gravem omittenti hæc eadem pœnitentia esset laqueus ad novum peccatum: ergo non erit salutaris

Hæc doctrina est necessaria quampluribus Confessarijs innumeris Rosarijs, alijsque pœnitentijs sine discretione gravantibus pœnitentes, qui postmodum aut tardè satisfaciunt, aut interdum eas omittunt, per quod ipsamet medicina in veneum transfertur.

40. Opera magis meritoria, & satisfactoria sunt eleemosyna, quæ communiter cuilibet debet imponi secundùm ejus possibilitatem. Auditio Sacri, Visitatio Sacrosanct. Sacramenti, jejunium personis robustis à negotijs liberis, non verò ordinariè laborantibus, ut imprudenter quidam Confessarius practicavit, qui pauperculo mercenario singulis diebus laboranti, & sub aratro agonizanti imposuit multa jejunia cùm præcisa obligatione, aut abstinendi à labore, à quo suæ familiæ sustentatio dependebat; aut à pœnitentia exequenda, utrùmque inconveniens magnæ consequentiæ.

In hoc capite solùm egimus de pœnitentia satisfactoria, non de medicinali semper imponenda juxta exigentiam infirmitatis Pœnitentis, à qua nec Jubilæum, nec Indulgentiæ eximunt. Videatur caput præcedens, ubi de his medicinis est sermo.

TRACTA-

TRACTATUS X.

Compendiosa Notitia, & Explicatio 65. Propositionum ab Innocentio XI. damnatarum Anno 1679. die 2. Martij.

Ne volumen nimiùm excrescat, & ut sit magis manuale, has Propositiones brevi explicatione perstringere conabor, procurando, omnia nec ssaria pro legentium intelligentia succinctè tangere; & hac de causa omitto hìc explicationem Propositionum ab Alexandro VII. damnatarum, quæ aliunde in secunda parte tractatu 17. ponentur.

Generalis advertentia circa præsens Decretum Innocentij XI.

ADvertendũ est primò, quod, quicúmque docet, vel defendit aliquam ex his 65. Propositionibus damnatis in hoc Decreto, incurrat *ipso facto* Excommunicationem majorem *latæ sententiæ* reservatam summo Pontifici; hanc censuram incurrunt etiam illi, qui eas prædicant, imprimunt, vel disputant, nisi forsan tales oppugnando.

2. Advertendum est secundò, quòd nullam ex prædictis Propositionibus in praxim deducere liceat; tum quia sunt damnatæ tanquam scandalosæ, & improbabiles, & practicè falsæ; tum quia Summus Pontifex præcipit sub formali obedientiæ præcepto, ut nullus tales in praxim deducere præsumat.

3. Advertendum est tertiò, quòd, qui tali aliqua Propositione damnatâ usus fuerit, non committat duo peccata; nimirum unum contra obedientiam Suæ Sanctitatis violando hujus præceptum; alterum contra illam virtutem, cui opponitur opinionis materia, quæ practicatur: sed solùm committit unum peccatum contra illam virtutem, cui opponitur opinio damnata: v. g. qui usus fuerit opinione docente, quòd non sit illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiori, solùm committit unum peccatum sacrilegij. Et ratio est; quia multiplicitas præceptorum præcisè non multiplicat peccata, prout docet communis sententia Doctorum in materia *de peccatis, ubi de eorum distinctione feci mentionem in meis conferentijs moral. tract. 2. sect. 5. confer. 2. num 2. & seq.* Sed solùm, quando finis Legislatoris est diversus, vel materia distincta: atqui Summus Pontifex in tantum hanc opinionem practicari prohibet, in qnantum materia opinionis non excusat eos à peccato, qui eam tuentur: ergo tam Pontificis in hoc præcepto, quàm ipsius Propositionis damnatæ est unus idémque finis, & materia: ergo transgressio hujus non erit duplex peccatum.

4. Ad-

4. Advertendum est Quartò, quod, quicúmque aliqua ex his 65. Propositionibus damnatis usus fuerit, debeat denuntiari ad Tribunal S. Inquisitionis; pariter qui scit talem transgressorem, & non denuntiat, incurrit excommunicationem majorem *latæ sententiæ* fulminatam à Supremo Inquisitionis Tribunali in suo Decreto edito die 24. Julij Anno 1679.

5. Advertendum est Quintò, quòd, quamvis hoc Decretum sit odiosum, debeat tamen strictè interpretari, ita ut in sua interpretatione non admittatur nimia relaxatio; quia hoc esset agere contra mentem suæ Sanctitatis, quæ mediante hoc Decreto voluit reformare nimiam in interpretando libertatem, quam Propositiones damnatæ continebant.

6. Advertendum est Sextò, quòd in aliquibus opinionibus, quas in explicatione Propositionum refero, dum dico, *quòd non sint condemnatæ*; per hoc tamen non dico, quòd sint probabiles; siquidem possunt non esse condemnatæ per hoc Decretum Innocentij XI. Possunt tamen aliàs esse improbabiles ex alia ratione.

7. Advertendum est Septimò quòd in aliquibus Propositionibus damnatis soleant adhiberi hæ sequentes voces, *Non est illicitum*, *vel est permissum*; vel aliæ his similes; & quamvis sit verum, quòd quando sensus Propositionis in toto accipitur rigore, videatur solùm esse peccatum veniale vi hujus Decreti Innocentij XI. sequi, aut practicari Propositionem damnatam; quandoquidem, qui eâ utitur, cogitando esse peccatum veniale judicat eandem non esse licitam: Ego verò existimo, talem se debere regulare secundùm materiam in Propositione damnata contentam; quare, si materia sit gravis, dicendum est, quòd per illud *non est illicitum*, *&c.* Damnetur tanquam res gravis; si verò sit levis materia, tanquam res levis; Et si sit capax levis, vel gravis culpæ, declarandum est ex transgressione gravi, vel levi: v. g. in prima Propositione dicitur: *Non est illicitum in Conferendis Sacramentis*, *&c.* Cùm hæc materia sit gravis, de illo, qui utitur probabili opinione relictâ tutiore, & probabiliori in materia Sacramentorum, dicendum est, quòd vi hujus Decreti peccet mortaliter. Id ipsum accidit in Propositione 30. dicente: *fas est viro honorato occidere invasorem*, *&c.* Hoc præcipitur sub peccato mortali, quia ejus materia est gravis. Idem dicitur in Propositione 34. de abortu, & in alijs.

Sunt etiam aliæ Propositiones continentes materiam peccati venialis, ut est Propositio 8. quæ loquitur de voluptate in comedendo, & bibendo, & 9. quæ tractat de usu Matrimonij ob solam voluptatem exercitij; dicendo, *opus conjugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ.* Totum hoc salvatur affirmando

mando fore peccatum veniale. Sunt etiam aliæ Propositiones capaces materiæ gravis, & levis, ut est Propositio 24. loquens de juramento facto sine animo jurandi? Propositio 36. tractans de furto in gravi necessitate: & Propositio 37. de compensatione servorum: has enim materias dico esse graves, & leves juxta parvam, vel magnam rei ablatæ quantitatem; & in his, si materia furto accepta sit gravis, furtum factum in gravi necessitate declaratur esse peccatum mortale; si verò materia sit levis, veniale.

Et ratio hujus est; quia, uti dicit Lex Civilis, *Legis mens magis est attendenda, quam verba, L. Scire leges ff. de legibus, L. Non aliter ff. de legat.*, quia lex, & ejus mens pro eodem sumuntur: *Lex enim. & legis mens idem sunt. Surd. decis. 43. num. 90.* Ergo, quando materia Propositionis damnatæ est gravis, tunc sua Sanctitas eam damnat ut gravem; siquidem Legislatores secundùm materiam Legis obligationem aggravant, vel minuunt: ergo, cùm mens Legislatoris, & Legis sit damnandi materiam gravem, ut talem; licèt in rigore verborum aliæ possint accipi interpretationes, illis tamen attendendum non est. Deinde, quia Lex non dicitur disponere id, quod præsupponit. *Leg. ex facto in 1. ff. de hared. inst.* Surd. *decis.* 195. *num.* 8. Ergo supponendo transgressionem unius materiæ gravis esse peccatum mortale, licèt sua Sanctitas non exprimat pro tali, cùm jam illud supponat, dicendum est, quòd illam transgressionem sub peccato mortali damnet: Hinc, ne similibus hujus decreti interpretationibus detur locus, ita ut successivè iterum omnes res quasi ad terminum redeant priorem; hic notare volui.

Propositio I.

Damnata.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

NOta, quòd secundam partem hujus Propositionis, quæ dicit: *Hinc sententia probabili tantùm utendum non est, &c.* R.P. Fr. Emanuel à Conceptione *tract. de Pœnit. disp. 2. Q. 5. num.* 101. nimiâ scrutetur diligentia, cui magis placet, ut dicatur sic: *Hinc jòlùm eâ uti omittendum est, &c.* Attamen nostrum modum loquendi approbant Licentiatus Prado, & doctus Filgueira, cùm verò hæc res parvi momenti sit illam hic omitto; non tamen deinde in suis proprijs locis aliquibus objectionibus à prædicta P. Fr. Emannele mihi factis satisfacere omittam; nescio autem, an omnes sint cum sufficienti justificatione in substantia, & modo: *Sed tempus loquendi nondum venit.*

8. Suppono, alia esse Sacramenta vivorum, & alia mortuorum: Sacramenta vivorum sunt hæc sequentia: Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Extrema unctio, & Matrimonium: ideo vocantur vivorum, quia, qui ea recipit, debet esse vivus in gratia, ut eadem dignè recipiat. Sacramenta verò mortuorum sunt Baptismus, & Pœnitentia: vocantur mortuorum ideo; quia ex sua natura sunt instituta ad conferendam vitam Spiritualem animæ per peccatum mortuæ. Quomodo Sacramenta mortuorum possint causare secundam gratiam *per accidens*, & quomodo illa vivorum causent primam gratiam, explicabo in secunda parte conferentiarum *tract. 4. de Sacramentis in genere.* Dantur etiam Sacramenta ad salutem necessaria necessitate medij, uti est Baptismus ad delendum peccatum originale, & Pœnitentia ad auferendum peccatum mortale actuale. Alia verò sunt necessaria necessitate Præcepti, ut est Eucharistia, Extrema unctio in periculo mortis, & confirmatio secundùm opinionem communem. Alia residua non sunt necessitate medij, nec præcepti, sed solùm sunt per modum consilij, ut est Ordo, & Matrimonium.

Suppono secundò, hanc damnationem de omnibus loqui Sacramentis, tam vivorum, quàm mortuorum; & tam de ijs, quæ sunt necessitate medij, quàm de cæteris, & id, quod circa prædicta Sacramenta hìc damnatur, in sequentibus conclusionibus explicabo.

9. Dico primò, solùm in materia, & forma Sacramentorum, & intentione Ministri damnatur usus opinionis probabilis relictâ tutiore; quia ab istis tribus valor Sacramentorum pendet, ita essentialiter, quòd aliter suppleri non possit.

Hinc infertur, quamvis sit opinio probabilis, lixivium, & aquam rosaceam esse legitimam materiam Sacramenti Baptismatis, nihilominus hæc opinio non potest practicari, quia est materia, à quâ essentialiter dependet valor Sacramenti: sed in casu necessitatis, quando aquâ naturalis haberi non potest, & infans sine Baptismo mori deberet, nisi baptizetur lixivio, vel aqua rosacea, potest hoc casu alterutro baptizari, prout advertit R. P. Fr. Martinus de Torrecilla in explicatione hujus Propositionis, *tract. 1. concl. 2. num. 67.* quia in casu necessitatis cedit Sacramentum reverentiam sibi debitam ob bonum proximi, ad quod fuit institutum, ita noster Caspensis *tract. 11. de conscientia disp. 3. sect. 5. n. 42.*

10. Dico secundò, sequi opinionem probabilem circa integritatem materialem confessionis, in præsenti non damnatur, prout R. P. Magister Lumbier dicit in sua editione latina, exponendo hanc Propositionem *observ. 3. §. 1. num. 26.* Ratio est, quia integritas materialis non requiritur essentialiter pro valore Sacramenti.

Hinc

Hinc infertur primò, posse uti opinione probabili docente, circumstantias aggravantes non necessariò esse in confessione explicandas. Secundò, opiniones probabiles circa dimidiationem confessionis, & circa peccata dubia non esse damnatas in hac Propositione.

11. Dico tertiò, Nec damnatur opinio Thomistica concedens Sacramentum validum, & informe, ita Lumbier *in Sum. n.* 1200. *& in observationibus Theologicis. observ.* 3. §. 3. *n.* 25. *& observ.* 25. §. 3. *num.* 524. Et ratio est, quia Sacramentum informe non tangit valorem Sacramenti, sed solùm fructum ejusdem: atqui solùm illud, quod tangit valorem Sacramenti, hic damnatur: ergo non damnatur opinio de Sacramento valido: & informi.

12. Addo, in hoc decreto non damnatur sententia: quòd Sacramenta cum opinione probabili reflexâ tutiore facta sint valida, sed solum, quòd hoc sit licitum; ut clarè exprimit hujus Propositionis textus: *Non est illicitum, &c.* Hinc est, quamvis damnetur, licitum fore cum sola intentione habituali confici Sacramenta, non tamen damnatur, Sacramenta cum intentione habituali facta fore valida, cujus opinionis erant Sotus, Navarrus, Henriquez, & alij, quos citat Macadus *tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 1. *tract.* 1. *docum.* 5. *n.* 4.

13. Ex dictis infertur, quòd, qui multo tempore in aliquo habitu, vel occasione peccandi fuit, & semper in bona fide confitebatur, non sit obligatus confessiones illius præteriti temporis reiterare, quo confessiones fuerunt validæ, & informes. Secundò, qui ex ignorantia quamvis vincibili omisit in confessione aliquod peccatum, credendo erroneè, non esse peccatum, vel non esse mortale, non obligatur reiterare confessiones præteritas, in quibus illud omisit, sed sufficit, ut se accuset de illo omisso peccato, ita cum Navarro, Vasquez, & alijs Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 108.

14. Doctrinam hujus secundæ illationis voluit reprobare R. P. Fr. Emanuel de conceptione *in suo tract. de Pœnit. disp.* 2. *Q.* 23. *num.* 295. *pag.* 123. dicendo, me malè citâsse supradictos Authores in favorem doctrinæ in conclusione præcedenti relatæ, quod falsum esse demonstrabo referendo ipsa verba à Diana loco citato relata, quæ sunt sequentia: *Cùm quis per ignorantiam aliquod peccatum mortale omisit in confessione, eò quòd erroneè putaret ipsum non esse tale, etiamsi error vincibilis fuerit, nec à mortali perpetrantem excusaret, excusaret tamen ab iteratione totius confessionis; ita ut sufficeret Pœnitenti ipsum in sequenti confessione peccatum omissum declarare.* Hæc Diana. Id ipsum tenet Navarrus *in cap. Fratres de Pœnit. disp.* 5. *n.* 82. his verbis *Infertur tertiò, aliquando excusari aliquem à confitendo peccatum ob ignorantiam, qua putat id non esse peccatum, qui tamen ob eandem à peccando non fuit excusatus.*

ita Navarrus, quod etiam affirmat *in Manuali cap. 9. num. 15.* his verbis: *Néque etiam tenebitur confessionem iterare, si omisit aliquod confiteri nesciens illud esse lethale. Nam quamvis ignorantia legis aliquando non excusset à peccato, excusat tamen, ne peccet, id non confitendo.* Id ipsum replicat in manuali idiomate Castilliano impresso, *cap. 9. n. 12.* & quod Navarrus de vincibili loquatur ignorantia, clarum est, cùm loquatur de illa, quæ à peccato non excusat, *à peccato non fuit excusatus.*

Hoc etiam docet Sylvester *verb. Confessio 1. Q. 3.* ubi dicit *similiter qui ex ignorantia, puta, quia non credit esse peccatum, excusatur* (à reiteratione confessionis) *quia licèt aliquando non excusset hoc, quin talis peccet, dum talia agit contra Legem DEI, aut naturæ: excusat tamen, ne peccet non pœnitendo, vel non confitendo.* Ponderet nunc P. Fr. Emanuel hæc verba ab Authoribus relatis originaliter accepta, utrum hæc meis sint conformia, & videbit, an Authores in meæ doctrinæ favorem benè citem.

Addit P. Fr. Emanuel, prædictos Authores duas ponere ignorantias, unam circa peccatum, alteram circa obligationem illud confitendi; licèt enim dicant, ignorantiam peccati esse vincibilem, attamen de ignorantia circa obligationem tale peccatum confitendi non dicunt, quamvis sit vincibilis, & me attribuere huic ignorantiæ id, quod ipsi de errore culpæ dicunt. Sed P. Fr. Emanuel mea verba non considerat, quibus dico hoc modo: *credendo erroneè, non esse peccatum, aut non esse mortale.* Estne hoc dicere de errore sivè ignorantia super peccatum, vel super confessionem?

Deinde dicat P. Fr. Emanuel, an in verbis prædictorum Authorum fiat distinctio inter ignorantiam peccati, & ignorantiam obligationis illud confitendi? Navarrus hoc non dicit, benè verò apertè contrarium in illis verbis: *ob eandem (ignorantiam) à peccando non fuit excusatus,* ubi æqualiter de utráque ignorantia loquitur. Diana, & Sylvester hoc non dicunt, nec exprimunt. Qui expressit, fuit Vasquez *in 3. part. tom. 4. Q. 92 art. 3. dub. 1.* ubi *in num. 7.* expresse asserit, quòd Navarrus excuset eum, qui ob ignorantiam culpabilem peccatum confiteri omisit, ex ignorantia quóque culpabili commissum, explicat se postmodum *in num. 8. & 9.* dum loquitur de ignorantia culpabili in omissione peccati, & invincibili circa confessionis obligationem. Quicumque enim desiderat ferre judicium de veritate, quam dilucidare exopto, quæso, videat Authores à me relatos, & cognoscet, qua fidelitate eos citem, & quàm malè. P. Fr. Emanuel eos obliget.

Ulterius dicit P. Fr. Emanuel *ibi, quòd eò ipsò, quòd ignorantia sit vincibilis, non excuset à mortali omittentem confiteri peccatum.* Hæc enim propositio sic in confuso est falsa; quia

quia potest esse vincibilis *venialiter, vel mortaliter*, uti dicit Valenzia, *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 3. §. *Sequitur ex his*, his verbis : *Ignorantiam vincibilem posse magis, vel minus minuere gravitatem peccati. . quo circa, si ignorantia sit tantùm venialiter, & imperfectè voluntaria, minuit etiam peccatum adeò, ut non sit mortale.* Id ipsum dicit Thomas Sanchez *in Sum. lib.* 1. *cap.* 17. his verbis Et *quidem quando ignorantia, seu negligentia est tantùm venialiter culpabilis, constat ita minuere, ut reddat opus veniale.* Ergo falsum est dicere, quòd eò ipso, quòd sit culpabilis ignorantia, qua peccatum confiteri omittitur, sit etiam mortalis omissio, siquidem venialis esse potest; cùm ignorantia non sit graviter culpabilis.

15. Dico quartò, in hac damnatione opiniones, quæ sunt in favorem poenitentium non comprehenduntur expressè, licèt virtualiter contineantur. nec fit mentio de ipsis, sed solùm de Ministris. Hanc conclusionem etiam affert cum Magistro Hozes, R.P. Torrecilla *in hac Prop. fol.* 12. *num.* 95. Id ipsum etiam tenet R. P. Fr. Emanuel de Conceptione *in suo tractatu de Poenit. disp.* 2. *q.* 6. *num.* 123. quia opinio damnata dicit: *in conferendis Sacramentis*: quod solùm ad Ministrum, & non ad Poenitentem spectat,

Unde infert Torrecilla, quòd Poenitens, qui ad confessionem cum sola attritione venit existimata pro tali, vel ille, qui pro materia unum peccatum vitæ præteritæ sine speciei explicatione, & individui in confessione voluntaria deponit, non peccet, nec contra damnatam operetur sententiam; Hanc verò opinionem improbabilem judico.

16. Ex quo & ego infero, quòd expresse non damnetur licèt sit improbabilis opinio Tamburini *in Methodo expedit confess. lib.* 1. *cap.* 13. §. 1. Sylvestri *verb. confessio q.* 11. Suarez *de Pœnit. disp.* 12. *n.* 9. & aliorum, quos citat P. Moya *tract.* 3. *disp.* 5. *q.* 5. §. 2. Qui dicunt, quando confessio solùm est de peccatis venialibus, sufficere solùm dolorem virtualem inclusum in voluntate recipiendi Sacramentum, tam pro valore, quàm fructu Sacramenti sine alio expresso doloris actu. Et ratio est, quia se tenet ex parte Pœnitentis, & non ex parte Ministri, quod pro valore sufficiat, est absque dubio secundùm opinionem admittentem Sacramentum validum informe, quòd autem pro fructu sufficiat, probatur; quia posito Sacramento valido, necessariò requiritur ejus effectus, quando in recipiente non est obex ad gratiam: sed peccatum veniale non est obex ad gratiam: ergo &c.

17. Infero secundò, neque damnari opinionem Joannis de Cruce, & Ledesmæ citatorum à Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 116. docentium, quòd, si Pœnitens alicujus peccati mortalis obliviscatur, & illicò secunda vice illud confessioni submittit, non sit necessarium novum do-

loris actum elicere; quia dolor confessionis præteritæ adhuc virtualiter perseverat. Nec damnantur aliæ doctrinæ, quas circa confessionem docebo *in 2. part. hujus praxis tract* 17. in explicatione Propositionum 11. 38. & 39. damnatarum ab Alexandro VII.

18. Dico quintò, neque damnari usum opinionis probabilis circa jurisdictionem Confessarij relicta tutiori, ita Lumbier *ubi supr.* §. 2. *num.* 30. Quia licèt valor Sacramenti à jurisdictione Ministri dependeat, non tamen ita essentialiter, ut non sit supplebilis jurisdictio in Sacerdote, & defacto eam Ecclesia supplet.

19. Ex quo infertur, quòd non damnetur opinio, quòd Sacerdos approbatus in uno Episcopatu possit tempore Jubilæi, vel per Privilegium cruciatæ esse electus in Confessarium in quocúmque alio Episcopatu absque nova approbatione, uti docent Henriquez, Valerus, & alij multi apud Dianam *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 7. Neque damnatur opinio aliorum Doctorum quos citat, & sequitur Diana *ubi supr. num.* 9. Dicentium, Confessarium cum limitatione approbatum solum excipiendi confessiones virorum, posse etiam vi Bullæ excipere confessiones fœminarum.

20. Ex dictis pariter infertur, quòd æquè non damnetur opinio Villalobos 1. *p. tract.* 9. *diffic.* 53. *n.* 2. & R.P. Leandri à Murcia *in exp. Regulæ S. P. Francisci, in* 7. *cap. q.* 8. §. 1. *num.* 17. quæ dicit, Episcopos non posse Regularibus limitare approbationem non excipiendi confessiones fœminarum solummodo propter ætatem. Ratio hujus illationis est; quia omnes hæ opiniones loquuntur de jurisdictione, de qua supra dictum est, quòd sit ab Ecclesia supplebilis. Et ob eandem rationem per hoc decretum non damnatur opinio in favorem Regularium absolvendi à casibus reservatis, in virtute Cruciatæ, licèt hæc opinio sufficienter sit damnata per Bullam Clementis 8. & Urbani 8. prout videri potest *in meis conferen. Moral part.* 1. *tract.* 1. *num.* 5. *& in 2 part. hujus praxis tract.* 14. *cap.* 2. *n.* 14 ubi hanc opinionem ex Proposito tangam.

21. Dico tandem, quòd non damnetur sequi, quòd est certum relicto securiori, & tutiori: v.g securior est intentio actualis, quàm virtualis pro Sacramento. Securior contritio, quàm attritio pro confessione: sed sicut est certum, quòd sufficiat intentio virtualis ad conficiendum Sacramentum, & attritio ad confessionem, poterit agens licitè sequi doctrinam asserentem, intentionem virtualem, & attritionem esse sufficientem. Ratio est; quia opinio damnata dicit, esse licitum opinionem probabilem sequi, at verò nostra loquitur de doctrina certa.

PRO-

PROPOSITIO II.

Damnata.

Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

12. DIco primò, Non est damnatum, quòd Judex possit secundùm unam opinionem probabilem relinquendo alteram æque probabilem judicare, quæ opinio fuit Valentiæ 2. 2. *disp.* 5. *q.* 7. *part.* 4. *lib.* 3. Rodriquez *tom.* 1. *Sum. cap.* 6. *num.* 1. *concl.* 1. quia damnatio tantùm loquitur, quando opinio est magis, vel minùs probabilis, non autem, quando sunt opiniones æqualiter probabiles.

23. Dico secundò, hæc damnatio se extendit tam ad Judicem Superiorem quàm inferiorem, & ad Judicem arbitrum nec non ad omnem tam facti quàm Juris probabilitatem; quia in omnibus Judicibus, & probabilitatibus eadem ratio pro fine damnationis verificatur.

24. Dico tertiò, in causis criminalibus potest Judex sequi opinionem, quæ est reo favorabilis licèt sit minùs probabilis, ita Lumbier, Filgueira, Torrecilla supra hanc Propositionem.

25. Dico quartò, hæc damnatio non loquitur, de Procuratoribus, & Advocatis, qui possunt patrocinari sequendo etiam opinionem minùs probabilem, ita Lumbier *observ.* 4. *n.* 96. Torrecilla *ubi supr. concl.* 8. *n.* 161. *fol.* 21. Quia Advocati, & Procuratores non definiunt causas, nec sententiam ferunt: ergo non intelligitur de Procuratoribus, & Advocatis: De reliquo, quod pertinet ad officium Judicum, Advocatorum, & aliorum Ministrorum Justitiæ faciam mentionem tangendo hanc materiam *in* 2. *part. praxis tract.* 15. *cap.* 1. 2. *& seq.*

PROPOSITIO III.

Damnata.

Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, consisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

SUppono, quòd detur probabilitas intrinseca, & extrinseca; intrinseca est fundamentum, vel ratio, in qua fundatur opinio: extrinseca verò est authoritas Doctoris, quæ patrocinatur opinioni, dum ambæ sunt tenues, damnantur.

26. Dico primò, illam opinionem fore tenuem, quæ solùm est *probabiliter* probabilis, & hæc est damnata: illa verò solidæ probabilitatis est, quæ certò est probabilis, & talis non damnatur, ita Lumbier in hac Propositione *observ.* 5. *num.* 202. *& seq.* Filgueira *hìc.* Et probatur; quia ut licitè operemur, requiritur, ut habeamus certitudinem subjectivam moralem de operatione licita, id est, quòd hunc Syllogismum formare possimus: qui operatur probabiliter securè operatur: sed ego hic, & nunc operor

operor probabiliter: ergo hic, & nunc ſecurè operor. Eſt doctrina Armilli, Navarri, & aliorum, quos citat, & ſequitur Murcia *tom. 8. diſq. Moral. lib. 1. diſp. 1. reſol. 5. num. 3. cap. 8.* Sed ſic eſt, quòd ſequendo opinionem ſolùm *probabiliter* probabilem non poſſimus operari cum certitudine morali ſubjectiva: ergo non erit licitum ſequi opinionem ſolùm *probabiliter* probabilem. Minor probatur; quia conſequentia non poteſt eſſe màgis certa, quàm præmiſſæ, & ſequitur præmiſſæ debilioris naturâ: ergo ſi una ex præmiſſis ſolùm eſt *probabiliter* probabilis, conſequentia non poterit eſſe dictamen ſecurum, quòd operatio ſit licita.

27. Si autem quæratur, quæ opinio erit ſolùm *probabiliter* probabilis? Reſpondeo, eam eſſe, cujus fundamentum, & authoritas ſunt ita levia, ut non reddant conſcientiã operantis ſecuram, & quietam. Ita Lumbier *ubi. ſupr.* Pariter opinio ſolùm *probabiliter* probabilis eſt illa, quam Doctores communiter cenſurant. & de ejus probabilitate dubitant: ita Filgueira in hac *propoſit. fol. 36.* licèt unus, vel alter Author teneat ut probabilem: & hujuſmodi probabilitas opinionis erit, ſi aliqua datur, quæ dicit, quòd Bulla pro abſolutione caſuum reſervatorum juvet Regulares, cùm tamen multi, & graves Doctores cenſeant improbabilem, damnatam, & falſam eſſe talem opinionem. Sed notandum eſt, quòd Confeſſarij, qui ex profeſſo materijs modo ſcholaſtico traditis non ſtuduerunt, nec ponderare poſſunt, nùm fundamentum opinionis ſit grave, vel tenue, nec cognoſcere valent, an ejus Author ſit Claſſicus, vel non, poſſint ſequi opiniones, quæ in Summis caſuum conſcientiæ currunt ut probabiles, & quæ non ſunt ab aliquo Decreto Pontificio damnatæ.

28. Dico ſecundò in caſu alicuius urgentis neceſſitatis poſſumus uti opinione, licèt ejus probabilitas ſit tenuis. Ita ex Sanchez, Soto, & alijs tradit Torrecilla *tract. 8. concl. 2. num. 7. fol. 427.* & ſic poteſt moribundo abſolutio dari, qui in Confeſſarij abſentia ſignum doloris dedit; poteſt etiam dari abſolutio moribundo *ſub Conditione*, qui chriſtianè vixit, licèt non dederit aliquod doloris ſignum, uti docent Homobonus, & alij 16. Doctores citati à Diana *part. 3. tract. 3. reſol. 8.* de quo fuſius ex profeſſo tradam *in 2. part. Praxis tract. 13. cap. 5. n. 1. & ſeq.*

Propositio IV.

damnata.

Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

29. Hæc Propoſitio loquitur de omnibus quibuscumque infidelibus tam Gentilibus, quàm Hæreticis, & quòd in præſenti damnatur, eſt, quòd Gentilis, vel Hæreticus judicando magis probabilem eſſe veram catholicam Religionem,

rem, & minùs probabile esse veram suam sectam, possit permanere in sua secta, & non credere veritatem Catholicam, quam judicat esse magis probabiliter veram; quia, quamvis in alijs operationibus moralibus (exceptis Sacramentis) possimus sequi opinionem certo probabilem relicta probabiliori, non tamen in materia fidei; cùm hæc sit nostræ justificationis principium, & porta cœli.

PROPOSITIO V.
Damnata.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

PROPOSITIO VI.
Damnata.

Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga DEUM.

PROPOSITIO VII.
Damnata.

Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

30. NOn possumus dubitare de existentia præcepti Divini *per se* obligantis ad faciendum actum amoris DEI; licèt tempus hujus obligationis nec DEUS, nec Ecclesia determinaverint. Hoc præceptum etiam obligat *per accidens*: v. g. quando est medium vincendi aliquam tentationem odij DEI, Blasphemiæ, &c. Vel quando Sacerdos culpa mortali aggravatus, & non habens copiam Confessarij celebrare necessitatur.

31. Dico primò, non satisfacit præcepto amoris DEI, qui una vice in vita sua tantùm eliceret actum amoris DEI; quia hoc est expressè damnatum, sicut etiam tenere, ac dicere: quòd neque obliget omni quinquennio.

Hinc infertur, quòd accipiendo in omni rigorosa proprietate damnationem hujus Propositionis, qui à quinquennio in quinquennium eliceret unum actum amoris DEI, non esset in hac damnatione comprehensus; quia opinio hìc damnata dicit, neque à quinquennio in quinquennium obligare, extendendo ultra quinquennium hujus præcepti executionem: ergo non damnatur, quòd satisfiat eliciendo omni quinquennio actum amoris DEI.

Hoc non obstante dicendum est, hoc præceptum singulis annis semel obligare, ita P. Hurtadus à Mendoza 2. 2. *disp.* 174 *sect.* 6. §. 26. Petrus à Ledesma *in Sum. tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 5. Sicut præceptum Confessionis etiam semel in anno obligat, vide circa hoc secundam partem hujus praxis tract. 17. Propos. 1. damnata.

32. Dico secundò, quamvis homo non se sentiat aggravatum in conscientia aliquâ culpâ mortali, vel habitâ tali culpâ sit confessus, se justificando cum sola attritione, & Pœnitentiæ Sacramento, per hoc tamen non adimplevit hoc præceptum

amoris DEI, sed semper obligatur ad eliciendum actum amoris. Ratio est; quia in septima Propositione damnatur hæc sententia, quòd Præceptum amoris DEI solùm obliget tunc, *quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus*: quod idem est, ac dicere, quòd solùm *per accidens* obliget actus amoris DEI, & non *per se*: atqui, quando non adest aliqua culpa gravis, vel si est, deletur per attritionem cum confessione, non obligat hoc præceptum, obligatio esset solùm *per accidens*: ergo &c.

33. Dico tertiò, Præceptum amoris DEI sæpius *per accidens* obligat, primò semper, quando aliquod Sacramentum est administrandum, & Minister est in peccato mortali; si non confiteatur, quia non potest, debet elicere actum amoris DEI, vel contritionem. Secundò, in articulo mortis obligat *per accidens*, quando infirmus non potest confiteri: sic Azorius, & Sanchez apud Palaum *tom* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *part.* 4. §. 5. *num.* 9. & alij, quos omisso nomine citat caspensis *tom.* 2. *tract.* 17. *disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 34. *in fine.* Tertiò, obligat *per accidens*, quando est aliquod Sacramentum vivorum recipiendum, & recipiens non confitetur, debet ad minimùm elicere actum amoris DEI, vel contritionem, si est in peccato mortali, excepto Sacramento Eucharistiæ, ante quod debet præcedere confessio, si in recipiente sit peccatum mortale, & habeat copiam Confessarij.

Propositio VIII.

Damnata.

Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

34. Dico primò, Si ex comestione, vel potu saluti notabile damnum resultaret, esset peccatum mortale, si verò resultaret leve damnum, esset peccatum veniale; quia nemo est Dominus suæ salutis, nec suæ vitæ; propria charitas enim obligat ad sui conservationem: ergo, qui eam cum sua gula destruit, verè peccabit, vel leviter, vel graviter secundùm gravitatem, vel levitatem damni, quòd inde resultat.

Dico secundò, comedere; & bibere úsque ad satietatem, si nullum causat damnum saluti, erit peccatum veniale; in præsenti enim Propositione damnatur, nec fore peccatum veniale comedere, & bibere usque ad satietatem, sic Torrecilla *tract.* 8. *in hac Propos. concl.* 1. Non est tamen peccatum mortale; quia vitium gulæ ex genere suo non est grave: erit ergo veniale; cùm talis actio magis bestiæ, quàm homini conveniat.

35. Objcies. Saltem modò se saturare, etiamsi non causet grave damnum, erit peccatum mortale; quia est transgressio Præcepti formalis Sanctæ obedientiæ, quo sua Sanctitas præcipit, ut nulla damnata-

rum

rum Propositionum practicetur; cùm etiam hæc una sit ex illis damnatis. Respondeo, negando reassumptum: quia prout communis Theologorum sententia in materia de Legibus docet, Legislatorem in materia levi nunquam obligare sua lege ad culpam mortalem. Respondeo secundò, quòd duobus modis hæc Propositio practicari possit: primò, credendo, quòd adhuc sit probabilis, & se saturare non sit peccatum veniale: & hoc esset peccatum mortale, & actus ad Hæresim proximus: esset enim credere, Pontificem non fuisse benè operatum in damnatione hujus Propositionis: secundo modo potest practicari, credendo, non esse peccatum veniale se saturare, & opinionem contrariam esse improbabilem, & hoc non obstante passione ductus faceret aliquem excessum; in hoc enim casu dico fore solùm peccatum veniale. Ita ex Lumbier tradit Torrecilla in proemio *diffic.* 5. *n.* 5. 6. *&* 7. id ipsum dicendum est in sequenti Propositione, & alijs, quæ de materia peccati venialis agunt.

Propositio IX.

Damnata.

Opus Conjugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali.

36. Dico primò, hujus Propositionis damnatio non dicit, uti matrimonio ob solam voluptatem esse peccatum mortale; sed de veniali tantùm loquitur, quod constat ex ipsa damnata Propositione.

37. Dico secundò, si cum fine voluptatis simul etiam alius finis honestus adsit: v. g. procreatio prolium, sedatio concupiscentiæ, salus, vel demonstratio affectûs erga consortem, vel mutua novi amoris, & unionis animorum reconciliatio, non est peccatum veniale. Sic Torrecilla *hìc*; quia opinio damnata dicit de solo matrimonij usu ob voluptatem: ergo, quando non utitur ob solam voluptatem, sed ob prædictos honestos fines, non erit peccatum veniale. Quomodo verò, & quando sit illicitus usus matrimonij; & quando quis teneatur reddere debitum, exposui jam superius in Dialogo *tract.* 6. *cap.* 8. *part.* 11. *num.* 127. *pag.* 180.

Propositio X.

Damnata.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

Propositio XI.

Damnata.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

38. Suppono primò, quòd in amore proximi duo distincta includantur præcepta; unum positivum, nempe desiderare illi bonum, & eum amare; alterum negativum, scilicet, non abhorrere illum, nec illi desiderare malum, vel de suo bono non ægrè ferrè: hoc obligat *semper*, *& pro semper*, illud verò temporibus determinatis.

39. Suppono secundò, quòd præceptum positivum amandi proximum duo includat, unum est, actus interior amoris, quo ipsi desideratur bonum; alterum est, actus exterior, quo illi subvenitur in suis necessitatibus.

40. Dico primò, in his duabus Propositionibus damnatur, quòd solùm per succursum exteriorem in proximi necessitatibus, vel per solam cum eo conversationem, etiamsi nunquàm aliquis actus internus ipsi desiderandi bonum fieret, præcepto amandi proximum satisfiat; hoc constat ex ipso textu Propositionum damnatarum.

41. Dico secundò, hìc non determinari, quando talis amor erga proximum obliget; quare non damnatur hic, quòd solùm semel in vita, vel semel omni quinquennio amor proximi obliget; quia hoc solùm damnatur loquendo de amore DEI. Hoc non obstante dicendum est, quòd ad minimum omni biennio, vel ad plurimum omni triennio præceptum positivum amandi proximum obliget, ita Torrecilla *hìc concl. 3. num. 6.*

42. Dico tertiò, nos non obligari ad amandum positivè unumquemque proximum per se; sed sufficit ad satisfaciendum huic præcepto, amare omnes in genere, & desiderare illis omne bonum, ita ex Villalobos docet Torrecilla, *ibid. num. 7.*

43. Dico quartò, amor proximi obligat *per accidens* semper, quando aliqua occasio, vel tentatio exponit hominem periculo eum odio habendi, & nec habet aliud medium ad evitandum odium, nisi exercitium actus amoris erga proximum; quia actus omnium virtutum *per accidens* obligant semper, quando sunt necessarium remedium ad evitandum peccatum illis oppositum: ergo idem dicendum est de amore proximi. Sed notandum est, quòd nomine proximi intelligatur omnis homo, tam infidelis, quàm Catholicus, tam amicus, quàm inimicus.

PROPOSITIO XII.
damnata.

Vix in sæcularibus invenies, etjam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

44. DIco primò, in hac Propositione unum supponi, & alterum damnari. damnatur, vix in sæcularibus inveniri aliquid eorum statui superfluum, hoc est falsissimum; quia plurimi multa habent suppellectilia, ornamenta superflua, & multum de pecunia, quam malè expendunt, nimirum in lusu, convivijs, vanis Ostentationibus, superbiâ, & fastu, & hæc, ut superflua, pauperibus fuissent dispensanda: quare manet damnata opinio Dianæ *part. 1. tract. 16. resol. 18. & part. 5. tract. 8. resol. 20.* Caietani, Navarri, &

& aliorum, quos citat, sed non sequitur Moya *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 6. *q.* 4. §. 4. *num.* 7. Dicentium, illud non posse dici superfluum statui, quod est necessarium, & reservatur pro ulteriori augmentatione statûs, & familiæ, vel etiam ad pertingendam sphæram, & statum Superiorem sibi à DEO assignatum: ex qua opinione evidenter infertur, quòd nullus habeat superfluum suo statui (hoc enim est damnatum) quia quilibet posset dicere: illud esse ei necessarium, quod possidet, ad magnificandum, ampliandum, & extollendum suum statum.

45. In opinione damnata supponitur, quòd de superfluo statui debeat fieri eleemosyna, & indubium est, quòd de superfluo statui debeat fieri eleemosyna, non solùm in extrema proximi necessitate, sed etiam in necessitate gravi, est communis: videatur P. Moya *ubi supr.* §. 2. *n.* 5.

46. Dico secundò, hìc non damnari opinionem asserentem: nullam esse obligationem dandi eleemosynam etiam in necessitate extrema ex necessarijs ad statum, quando talis status ob dictam eleemosynam totaliter destrui deberet: v. g. si ad redimendum captivum in extrema necessitate constitutum esset necessarium dare mille Imperiales, ex quorum largitione largitori totaliter destrueretur ejus status, talis non tenetur dare hos mille Imperiales. Ita plures, quos citat Leander à S. S. *tom.* 6. *tract.* 5. *disp.* 1. *q.* 17. & alij, quos citat, & approbat Moya *ubi supra* §. 5. *num.* 24. & 25. & cum alijs Caspensis *tom.* 2. *tractat.* 17. *disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 14. Et ratio est; quia sententia damnata dicit: vix in sæcularibus aliquid statui superfluum inveniri; hæc verò solùm dicit, quòd de necessario ad statum non sit obligatio dandi eleemosynam etiam in extrema necessitate, quando dictus status destrueretur: quæ sunt valde diversa.

47. Dico tertiò, neque damnari opinionem Vasquez *opusculo de Eleemos. cap.* 3. Ledesmæ, Navarri, & aliorum apud Moyam *ubi supr.* §. 2. *num.* 5. & 6. Qui docent, quòd de necessario ad suum statum non sit obligatio faciendi eleemosynam in gravi necessitate; Benè verò censerem damnatam opinionem S. Antonini. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 24. ubi docet, quòd in communibus pauperum mendicorum necessitatibus non sit obligatio dandi eleemosynam etiam de superfluo suo statui. Nec damnatur opinio Caspensis *ubi supr. num.* 17. quæ dicit, quòd nullus (exceptis Prælatis, & Magistratibus) teneatur inquirere, & investigare, an dentur pauperes, qui gravem, vel extremam patiuntur necessitatem, sed quòd sufficiat, aliquem ita esse dispositum, quòd, si sciret tales adesse, paratus sit eis succurrere. Minùs damnatur opinio Lessij *lib.* 2. *de Just. cap.* 19. *dub.* 1. quæ asserit, quando quis obligatur ad eleemosynam faciendam, eum satisfacere dando

mutuum illi pauperi indigenti, ut ei in suâ necessitate succurrat. Et ratio est; quia omnes istæ opiniones, ut patet, sunt valdè diversæ à casu Propositionis damnatæ.

Propositio XIII. Damnata.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Propositio XIV. Damnata.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris; non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

48. Suppono desiderium distingui â complacentia, vel gustu; quia hæc duo versantur circa obiectum præsens, & jam possessum, desiderium verò circa obiectum absens.

49. Suppono secundò, quòd desiderium mortis possit esse directum, vel indirectum; directum erit, quando primariò mors desideratur, & secundariò utile ex illa sequendum: indirectum verò erit, quando primariò desideratur utile proprium, & secundariò mors, quæ est medium ad proprium emolumentum consequendum. Tam unum, quàm aliud desiderium in his duabus Propositionibus damnatur.

50. Suppono tertiò, quòd detur desiderium efficax, & inefficax; desiderium efficax est, quando non tantùm mors desideratur, verùm & per aliquod medium procuratur: inefficax verò, licèt habeat pro objecto mortem, illam tamen non procurat, nec utitur medijs, ut succedat. Desiderium efficax nunquam est licitum, nisi quando *sit in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ*, vel quando mors per publicam imponitur authoritatem.

51. Suppono quartò, quòd desiderare inefficaciter mortem cuicumque nostro proximo sit peccatum mortale; eam verò desiderare Parenti sit duplicatum peccatum; unum contra charitatem, cùm sit proximus, & aliud contra pietatem, cùm sit Parens. sic Lumbier *observ. 7. num. 194.*

52. Dico primò, in his propositionibus damnatur desiderium inefficax, vel complacentia mortis proximi, vel Parentis ob aliquod emolumentum temporale, quale est inferioris æstimationis vitâ. Ita Torrecilla *tract. 8. concl. 1. num. 2. fol. 439.* constat ex ipso Propositionum textu.

53. Dico secundò, hic non damnari, esse licitum desiderare, vel complacere de morte propria, vel proximi ob motivum, quale est æqualis, vel maioris æstimationis vitâ: v. g. desiderare sibi, vel proximo

simo mortem, ut liberetur ab una longa, & mortali infirmitate. sic Lumbier *ubi supra num.* 190. & cum aliis Torrecilla *ubi supr. concl.* 2. & 3. *n.* 8. 11. *& seq.* quia vita non est digna tanto dolore.

Ex quo infero cum Torrecilla *ibi*, quòd sit licitum desiderare, vel sibi complacere, ut Iustitia ad patibulum condemnet, aut castiget malefactores, dummodò non fiat ex odio, vel vindicta. Licitum est etjam desiderare mortem scandalosorum, ad hoc, ut non sint causa ruinæ animarum. Licitum pariter est Parenti scienti, filium ejus debere à Iustitia ignominiosè puniri, desiderare, & petere à Deo, ut eum in carcere vitâ privet. demum etjam licitum est desiderare mortem proximi, de cujus damnatione, si viveret, timetur: quapropter à Deo peti potest, *ut rapiat eum, ne malitia mutet intellectum ejus.* Hoc idem dicit Lumbier *ubi supra* de Matre, quæ desiderare potest mortem filiæ periclitantis in honore ex eo, quòd eam non possit ad statum aliquem reducere.

54. Dico tertiò, etjam loquendo de emolumento temporali v. g. de hæreditate, licitum est hæreditatem desiderare, & hâc consecutâ sibi in ea complacere absque respectu ad mortem proximi, quando talis hæreditas vel emolumentum poterat sine morte obtineri: v. g. Pater in vivis facit filio illjus rei donationem, quam hæreditare debet. Hanc conclusionem quantum ad complacentiam tenet cum Navarro, & Trüllench, Torrecilla *loco cit. concl.* 4. *num.* 21. & Filgueira *fol.* 71. §. *Quod perinde in fine.* Ego quoquè judico, etjam extendi posse ad desiderium inefficax; & probo; quia, quando est licitum sibi complacere de objecto, etjam est licitum illud inefficaciter desiderare: v. g. quia licitum est pro salute sibi complacere de pollutione naturaliter in somnis proveniente; etjam licitum est eam antecedenter desiderio inefficaci desiderare; ut docet Layman, Filiucius, Villalobos, & alij, quos citat, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 87. & alij viginti duo Doctores, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 18. sed sic est, quòd, quando utile temporale alio modo evenire potest, quam per mortem, sit licitum sibi complacere de tali effectu *non habito respectu ad mortem*: ergo in hoc casu erit etjam licitum talem effectum inefficaciter desiderare *sine respectu ad* mortem. Deinde, quia desiderium inefficax, & complacentia habent idem obiectum, & solùm distinguuntur respectu præsentis, vel absentis: atqui hæc differentia *quo ad mores*, nihil, obest: ergo &c.

55. Ex quo infero, si effectus, vel utile temporale non possit obtineri per aliam viam, quàm per mortem proximi: v. g. Coadiutor non potest consequi officium, nisi moriatur officialis; aut Clericus non potest obtinere beneficium, nisi moriatur aliquis

aliquis beneficiatus, in hoc casu non est licitum, nec inefficaciter desiderare, nec sibi complacere de tali effectu; quia est necessarium, ut tale desiderium, vel complacentia saltem indirectè habeat pro objecto mortem proximi; siquidem finis desiderari non potest, nec haberi de eo complacentia absque medijs necessarijs ad eum consequendum. Attamen adhuc in hoc casu, si mors intellectui non occurrat, sed solùm utile temporale, non erit peccatum desiderare tale utile, vel in eo sibi complacere. Ratio est; quia omne peccatum debet esse voluntarium; & voluntarium *est à principio intrinseco singula cognoscente*, id est, debet esse cum cognitione *Juris & facti*: *Juris* cognoscendo illud esse malum, quod committitur: & *facti* cognoscendo malitiam, vel circumstantiam vitiantem objectum: atqui in casu, de quo loquor, deest cognitio mortis, quæ est circumstantia, quæque vitiare debebat hoc desiderium, vel complacentiam: ergo hoc desiderium non erit voluntarium: consequenter nec peccatum.

56. Dico quartò, Neque damnatur opinio, quam cum Navarro tenet Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 2. num.* 30. quòd non sit peccatum desiderare mortem proximi, si erit voluntas DEI, ut moriatur, quando nostræ voluntati voluntas Dei anteponitur, prout accidit, quando non desideratur, ut Deus mortem proximi velit, sed casu, quo Deus illam vellet, monstratur affectus conformis cum voluntate Divina. Et ratio, cur hæc opinio non sit damnata, est, quia casus damnatæ sententiæ non loquitur de desiderio conditionato, qualis est iste. Ita Torrecilla citando me in sua secunda impressione *fol.* 446. *concl.* 5.

Ex quo infero. nec damnari opinionem Vasquez, Sayri, Rodriquez, & aliorum apud Sanchez *ubi supr. num.* 22. qui dicunt, esse licitum desiderare obiectum malum *sub conditione*, si esset licitum: v. g. ego desiderarem, ut Petrus moreretur, si hoc non esset malum. Ratio est eadem, quæ supra. verum quidem est, omnia hæc desideria esse valdè periculosa; quia facilè charitatem destruunt.

PROPOSITIO XV.

damnata.

Licitum est Filio graudere de patricidio Parentis á se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

57. Dico primò, hæc damnatio non loquitur de prævisione patricidij ante ebrietatem tanquam in causa, nec de omissione reparationis mediorum, quæ in tale patricidium influere poterant, quia hoc erat intrinsecè malum, ideoque non erat necessarium illud damnare. Solùm enim loquitur de patricidio casualiter, & inculpabiliter in ebrietate patrato; quare damnatur, quòd, postquam filius fuerit â vini lethargo liberatus,

liberatus, possit sibi complacere, & gaudere de patricidio ob emolumentum temporale hæreditatis per illud consecutæ.

Ex quo infertur, quòd, si complacentia patricidij non esset ob hæreditatem, sed ob aliud motivum ita æstimabile, quantum vita Patris; uti in casibus relatis in Propositione antecedenti, conclusione secundâ dictum est; non esset peccatum: nec simile quid damnatur.

Infertur secundò, quòd gaudere de morte in ebrietate, vel somno inculpabiliter causatâ quando mortuus non est Pater, non damnatur in hac Propositione; licet sufficienter in Propositione 13. damnetur.

58. Dico secundò, non damnatur opinio, quam cum Paludano, & alijs tenet Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 1. n. 16.* Quòd sibi complacere de transgressione præcepti humani, quæ est immunis à culpa ob inadvertentiam, vel ignorantiam, non sit peccatum: v. g. qui immemor diei Veneris comedit perdicem, non peccat, licèt postea advertens, fuisse diem prohibitum, gaudeat de comestione perdicis, non in quantum ab Ecclesia est prohibita, sed in quantum est utile pro corpore; quia opinio damnata de hoc casu non loquitur, nec per identitatem rationis huc extendi potest.

Propositio XVI.

Damnata.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

Propositio XVII.

Damnata.

Satis est, actum Fidei semel in vita elicere.

59. Dico primò, in his duabus opinionibus, licèt damnetur, quòd præceptum Fidei non obliget *per se*, vel quòd solùm obliget semel in vita, non tamen determinatur, quando obliget hoc præceptum: quapropter hæ opiniones adhuc manent cum sua præcedenti probabilitate circa tempus obligationis hujus præcepti.

60. Dicendum igitur est, quòd obliget *per se* omni anno semel, ut dixi de actu amoris DEI *in explicatione Propos. 5. c. 6. supr.* sic sentit M. Lumbier *observ. 6. n. 132.*

Actus Fidei obligat etiam *per se*, quando infideli sufficienter proponitur; pariter & Christianum, dum pervenit ad usum rationis, & ei Mysteria fidei explicantur. Sic Torrecilla *tract. 8. sub concl. 2. num. 9. & 10. fol.* 441. Optimè etiam advertit dictus P. Torrecilla *n.* 17. quòd communiter, qui recipit Sacramenta, vel exercet aliquam virtutem supernaturalem, sufficienter huic præcepto satisfaciat.

61. Dico secundò, licèt hæc damnatio non loquatur, an sit necessarium elicere actum fidei, vel non, quando recipitur Sacramentum Pœnitentiæ; hoc non obstante est necessarium, ut actus fidei tunc temporis eliciatur; quia nullus potest

accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ absque dolore de peccatis, sed hic dolor non est possibilis, nisi præcedat actus fidei, ut dicit Torrecilla *ubi supr. num.* 4. ergo non potest dignè recipi Sacramentum Pœnitentiæ sine actu fidei, quo creditur, DEUM posse peccata condonare; verum enim est, quòd actus fidei includatur in attritione, vel contritione; uti dicetur in fine hujus tractatûs n. 253.

PROPOSITIO XVIII.

Damnata.

Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut DEI & Fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

62. SUppono, quòd præceptum Fidei affirmativum non solùm obliget ad credenda sua Mysteria internè, sed etiam ad ea confitenda externè, quando esset necessarium; & quòd præceptum negativum non solùm obliget ad non credendum aliquid contra fidem internè, sed etiam ad eam non negandam externè, hoc tanquam negativum obligat *semper*, & *pro semper*; aliud verò non.

Dico primò, in hac opinione damnatur, quòd, si Catholicus à Judice, Magistratu, vel alia persona publica interrogetur, an sit Catholicus, vel non, an nostra Religio sit vera, possit tacere; quia tunc tenetur confiteri, & externè profiteri fidem, licèt sit cum periculo vitæ. Sed si interrogans est homo privatus, licèt non possit negare fidem, potest tamen tacere, vel respondere dicendo, quis ipsi hanc authoritatem tribuit? vel quid sua interest hoc scire? quia Propositio damnata, *ut ex ea patet*, non loquitur, quando interrogans est persona privata, sed publica.

63. Dico secundò, non damnatur opinio dicens: esse licitum Catholico se abscondere, & fugere, ne à Judice tyranno de fide interrogetur. Sic Torrecilla *fol.* 442. *concl.* 5. *num.* 9. quia Propositio damnata loquitur suppositâ jam interrogatione: & fugiens non supponitur interrogatus. Deinde, quia per suam fugam sufficienter confitetur se esse Christianum; si quidem non fugeret, nisi talis esset.

PROPOSITIO XIX.

Damnata.

Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

PROPOSITIO XX.

Damnata.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.

64. SUppono, quòd, ut homo actum supernaturalem eliciat, requiratur gratia excitans, & cooperans. Constat ex Concil. Trident. *Sess.* 6. *Can.* 3. & 4. & ex Conc. Arausicano 2. *Can.* 9. quale dicit: *Quoties bona*

bona agimus, DEUS in nobis, atque nobiscum, ut operemur, cooperatur: Et est communis Theologorum. Suppono secundò, quòd hæc gratia excitans, & adjuvans non solùm reperiatur in intellectu mediante illustratione, lumine, vel inspiratione; sed etiam in voluntate mediante aliqua pia affectione, cum qua voluntas ad bonum movetur supernaturaliter.

65. Ex hoc infertur falsitas harum duarum Propositionum; quia decima nona piam affectionem voluntati denegat, & omnem ejus motionem attribuit rationibus intellectus: & vigesima supponit, quòd motivum assensûs supernaturalis sit fallibile. Hoc est falsissimum quia hoc motivum est revelatio Divina, quæ certissima, & infallibilis est.

PROPOSITIO XXI.

Damnata.

Assensus Fidei Supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

66. HUjus opinionis falsitas facilè demonstratur; quia assensus supernaturalis, & utilis ad salutem debet esse certissimus: atqui non potest esse certissimus cum notitia solùm probabili, vel formidine revelationis Divinæ: ergo requiritur certa notitia illius, quod DEUS revelavit. Major est certa; quia assensus fidei supernaturalis fundatur in veracitate Divina, *qua quid certius?* Minor est etiam firmissima; quia certitudo assensûs fundatur in certitudine objecti motivi: ergo si hoc est probabile, non poterit illud esse certum.

PROPOSITIO XXII.

Damnata.

Non nisi fides unius DEI necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

67. HÆc opinio expressè opponitur illi textui S. Pauli: *Accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se Remunerator sit: ad Hebræos cap.* 11. Per quod S. Paulus declarat, quòd, qui in hac vita ad DEUM per gratiam, & in futura per gloriam vult accedere, debeat credere, quòd sit unus DEUS, qui ipsi servientes remunerat.

68. Hic tamen non damnantur opiniones, quæ dicunt, fidem explicitam Mysterij SS. Trinitatis, & Incarnationis non esse necessariam *necessitate medij:* neque illæ, quæ loquuntur de fide implicita, nec de necessitate præcepti, videatur id, quod in Dialogo dixi *tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 1.

PROPOSITIO XXIII.

Damnata.

Fides latè dicta ex testimonio Creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficit.

69. HUjus Propositionis falsitas facilè demonstratur; quia fi-

des necessaria ad justificationem debet esse supernaturalis : atqui illa, quæ in motivo creaturarum fundatur, non potest esse supernaturalis: ergo nec sufficiens ad justificationem. Major est certa : quia inter dispositionem ad gratiam, & ipsam gratiam debet esse proportio : sed gratia est supernaturalis : ergo &c. Minor est clara ; quia actus specificatur ab objecto formali : ergo si testimonium creatum erit motivum fidei : cùm illud sit naturale, non potest hæc esse supernaturalis. Quapropter error Manicheorum manet damnatus, qui dicebant, sufficere ad justificationem fidem naturalem, ut testatur S. Augustinus *lib. de utilitate credendi cap.* 1. remanet etiam damnata, ut benè probat Filgueira *fol.* 108. §. *Num. verò*, opinio Ripaldæ *de Fide disp.* 17. *sect.* 10. *&c.* Affirmantis, dari unam fidem latam, quæ non sit fides Theologica; licet dixerit, quòd sit supernaturalis, sed quòd procedat ex motivo creaturarum. Videatur etiam R. P. Torrecilla *supra hanc Propositionem num.* 24. *& seq.*

PROPOSITIO XXIV.

Damnata.

Vocare DEUM in testem mendacij levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

70. PEccatum *ex genere suo* mortale potest fieri *ex accidenti* veniale in tribus casibus, quos explico in conferentijs moralibus *tract.* 2. *sect.* 4. *conf.* 1. §. 2. *num.* 9. Inter quos unus casus, quo peccatum ex sua natura mortale *ex accidenti* fit veniale, est parvitas materiæ, quæ regulariter admittitur in præceptis naturalibus, Divinis, & humanis; dantur tamen aliqua præcepta, quæ non habent parvitatem excusantem à culpa gravi ejus transgressionem; ut est præceptum sigilli confessionis, & alia, quæ refero in loco citato conferentiarum §. 4. *num.* 33. videantur ibi.

71. Unum non excusans ob parvitatem à culpa gravi est juramentum falsum ; quia in illo non attenditur tantum ad materiam juratam, quantum ad reverentiam Veritati infallibili DEI debitam : atqui est gravis irreverentia vacare in testem rei falsæ eum, qui est suprema veritas: ergo licèt materia sit levis, & juramentum sit per modum risus, erit semper peccatum mortale jurare falsè. Imo ut dicit S. Thomas 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *ad* 2. Major est irreverentia Nominis Divini, & consequenter majus peccatum falsum jurare in materia levi, quàm in materia gravi.

PROPOSITIO XXV.

Damnata.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

72. SUppono, quòd jurare sine animo jurandi sit dicere talia verba,

verba, quæ in communi acceptione sumuntur ut juratoria absque animo jurandi: v.g. per Crucem, per animam meam hæc res ita se habet. Ex quo infertur, quòd si quis sine intentione jurandi dicat verba, quæ non sumuntur pro juratorijs: v.g. per fidē meam, per vitam meam, non peccet, si dicat verum etiam secluſa necessitate; si enim dicat mendacium leve, erit peccatum veniale, si verò mentiatur in re gravi, erit peccatum mortale, non contra juramentum, quia tale nec verbis, nec intentione fecit, sed quia materia est ex se graviter mala. Vide Sanchez *ubi supr. num.* 11.

73. Dico primò, si ille, qui jurat sine intentione jurandi, mentiatur, peccat mortaliter. Hæc assertio est certa, ut benè dicit Leander à S.S. *part.* 2. *tract.* 18. *disp.* 45. *ubi de juram. amphibologico*, & contrarium damnatur in hac Propositione. Et ratio est; quia est gravis irreverentia invocare Nomen Domini, licèt fiat solùm verbaliter, ad confirmandum aliquod mendacium, licèt etiam sit in materia levi.

74. Dico secundò, in hac Propositione non damnatur opinio Soti, Aragonij, Petri Ledesmæ, & aliorum, quos citat Thomas Sanchez *in Sum. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 9. Qui dicunt, quòd jurare absque animo jurandi solùm sit peccatum veniale, non mortale, quando juramentum est cum veritate, & necessitate. Ratio est; quia opinio damnata dicebat, hoc esse licitum: atqui opinio horum Authorum non dicit, esse licitum, siquidem dicit, esse peccatum veniale: ergo hæc opinio non damnatur. Ratio, ob quam est peccatum veniale, est, quia jurare absque animo jurandi est mentiri, quia, qui talia verba profert, videtur jurare, ipsius intentio tamen non est jurandi: ergo mentitur; quia mentiri *est contra mentem ire.*

75. Dico tertiò, nec damnatur opinio, quam cum Suarez, Lessio, & alijs tenet R. P. Leander à Murcia *tom.* 2. *disq. Moral. lib.* 4. *disp.* 4. *resol.* 2. *num.* 8. quæ dicit, quòd, qui jurat absque intentione jurandi, si in veritate jurat, solùm peccet venialiter, quamvis secluſa necessitate: & ratio est eadem, quæ supra. Confirmatur; quia, ut docet communis Doctorum, quando juramento solum modò deest necessitas, est tantùm peccatum veniale. Hæc, & antecedens conclusio limitantur, quando nimirum juramentum juridicè exigitur, vel fit ad formandum aliquem contractum, tunc enim, licèt juretur verum, erit peccatum mortale jurare absque animo jurandi: non contra Religionem, sed contra justitiam ob injuriam Judici, vel comparti contractûs illatam non jurando verè, dum ex justitia id debuisset. Est communis inter Doctores

76. Dico quartò, remanet quoque damnata opinio Valentiæ, Sanchez, quos citat, & sequitur Murcia *ubi supr. num.* 7. asserens, quòd, qui

jurat sine animo jurandi, & sine animo verbis significandi id, quod jurat, sed solùm indicandi aliam rem disparatam, non peccet, venialiter. Quia Pontifex damnat, esse licitum, verba juramenti proferre absque animo jurandi: hoc idem dicit præsens opinio: ergo est damnata.

77. Dico quintò, non est damnata opinio Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 10. num. 8.* Fagundez *in Decalog. tom. 1. præcept. 2. lib. 2. cap. 9. num. 9.* Dianæ *p. 9. tract. 8. resol. 17.* Qui docent, quòd, qui jurat cum animo jurandi absque intentione tamen se obligandi ad juramentum, ad illud non teneatur; quia opinio damnata loquitur de eo, qui jurat sine intentione jurandi, hæc verò solùm de intentione obligationis. Attamen, licèt hoc juramentum non obliget, erit saltem peccatum veniale; & mortale, si est juridicum, ut supra dictum est.

78. Dico sextò, juramentum promissorium sine intentione jurandi factum, erit peccatum mortale, si desit veritas de præsenti; si verò hæc adsit, erit peccatum veniale (excepto semper juramento de Contractibus) tale juramentum tamen non obligat etiam post damnationem sic sentit cum S. Thoma, Cajetano, & alijs R. P. Fr. Martinus à Torrecilla *fol. 366. num. 261.* Et ratio est; quia juramentum sine intentione jurandi non est juramentum: ergo non potest aliquam obligationem inducere; nihilominus, si ex hoc juramento sequi deberet aliquod scandalum, vel damnum tertij; obligaret in conscientia, ac etiam in foro externo ad illius executionem, ut dicit Lumbier *observ. 8. num. 209.*

Propositio XXVI.

Damnata.

Si quis vel solus, vel coram alijs sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

Propositio XXVII.

damnata.

Causa justa utendi his amphibologijs est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

79. Suppono primò pro meliori intelligentia harum Propositionum (quæ magnam in hominibus doctioribus explicandi difficultatem causarunt) quòd restrictiones mentales, seu amphibologiæ tanquam mendacia damnentur; & si addatur juramentum, pro perjurijs habeantur. Ita dicit Propositio 26. damnata.

nata: *Non mentitur, nec est perjurus*; Et consequenter in nullo casu, nec pro vita, nec pro honore, nec pro bono temporali, aut alio quocúmque fine licitum est dictis amphibologijs, aut restrictionibus uti: colligitur ex Propositione 27. damnata. Probatur; quia mendacium in nullo casu est licitum; atqui amphibologiæ habentur pro mendacijs: ergo in nullo casu licitæ erunt.

80. Suppono secundò, quòd, si quis amphibologiâ sine juramento utatur, solùm committat peccatum veniale non interveniente proximi damno, sicut est mendacium. Si verò amphibologia fiat cum juramento, erit peccatum mortale: atqui amphibologia est mendacium: ergo si fiat cum juramento, semper erit peccatum mortale, sive materia sit levis, sive gravis. Tota difficultas, quòd non sit peccatum, consistit in cognoscendo, & decidendo, quales nam amphibologiæ habeantur pro mendacijs, & ut tales damnentur, & quales non, quod pro majori intelligentia in sequentibus conclusionibus resolvam.

Prima Conclusio.

81. DIco primò, in his Propositionibus solùm damnantur restrictiones purè mentales: ita tenet M. Lumbier, Filgueira, Hozes, & Torrecilla supra hanc Propositionem. Et probatur ex eodem textu Propositionis damnatæ, qui dicit: *si quis intra*, si quis intra se, vel interè restrictionibus uteretur: ergo sola restrictio interna, vel mentalis damnatur. Restrictio mentalis dicitur tunc, quando nec verbis æquivocis, nec alijs circumstantijs exterioribus significatur, sed solùm restrictio mentis habetur: v. g. sum interrogatus, an hodie viderim Petrum, quem revera vidi; quia autem eum manifestare nolo, dico: non vidi eum hodie, intelligendo intra me, non vidi, ut tibi eum manifestarem: hæc vocatur amphibologia, & restrictio purè mentalis, & interna; hæc enim est illa, quæ ut mendacium damnatur.

Secunda Conclusio.

82. DIco secundò restrictiones, vel amphibologiæ sensibiles, & externæ non damnantur in hac Propositione, sic sentiunt DD. citati in conclusione præcedenti. Ratio est; quia multoties est licitum occultare veritatem, imò etiam ex obligatione. v. g. quando Confessarius interrogatur de aliquo peccato in Confessione audito: atqui mendacium nunquam est licitum: ergo debet dari aliquis modus pro occultanda veritate in multis casibus. Subsumo, sed sic est, quod non possit fieri cum amphibologia mentali, cum sit mendacium: ergo debet fieri cum externâ.

83. Et si à me quæratur, quæ nam dicatur amphibologia sensibilis, vel externa? Respondeo, quòd sit illa, quæ in ipsis verbis, vel circumstantijs tempo-

temporis, loci, aut personæ dicentis reperitur.

Pro clariori intelligentia harum restrictionum externarum advertendum est, dari verba *ex se* æquivoca, hoc est, diversas res significantia: v. g. hæc vox, *Canis*, est æquivoca, per quam intelligi potest canis terrestris, marinus, & cœlestis: hæc vox, *Gallus*, est æquivoca. quæ significat unum in Gallia natum, & Gallum Gallinaceum: hæc vox. *Libra*, est æquivoca, quæ significat libram, vel bilancem, qua res ponderantur, & signum cœleste: & hæc vox, *proprium*, significat id, quod est proprium unius personæ, & etiam ipsam personam: v. g. Religiosus interrogatur, an Breviarium, quod habet, sit illud idem, quod ipsi fuit datum? Respondet, non est proprium; hæc responsio est æquivoca; quia potest significare, quòd non sit idem, quod ipsi fuit antea datum, potestque significare, quòd non habeat supra illud dominium, vel proprietatem.

Aliæ voces sunt æquivocæ ex parte personæ eas pronunciantis: v. g. Confessarius, qui interrogatur, an sciat, quòd Petrus fuerit furatus octo regales Joanni, & hoc scit ex confessione. Respondet, nescio: Hæc responsio *secundum se* significat, quòd nullo modo sciat: sed circumstantia interrogationis eam facit æquivocam, & quòd significat, nescio eo modo, quo tibi dicere possem. Alia verba facit æquivoca Politica, Ironia, Eutropelia &c. Alia verò modus interrogandi, de quibus loquar in quinta, & sexta conclusione.

Tertia Conclusio.

84. DIco tertiò, uti amphibologiâ: dum verba sunt æquivoca, & habent duplicem sensum, non est mendacium, nec pro tali damnatur, sic Hozes, & cum ipso Torrecilla *hic*, & alij, quos iste citat *fol.* 344. *regul.* 1. *num.* 116. Et probatur; quia mentiri dicitur, quando verba menti non conformantur; atqui ille, qui utitur amphibologiâ æquivocâ conformat verba sua menti: ergo non mentitur. Minor probatur hoc exemplo: sum interrogatus, an Antonius sit in mea domo, ubi habeo unam picturam dicti Antonij, Respondeo affirmativè intendendo ejus picturam: hic non est mendacium; quia mea mens intelligit Antonium depictum, & mea verba eam significant; cùm enim hæc vox, Antonius, sumatur pro Antonio vero, & depicto: ergo in amphibologia æquivoca conformantur verba menti: consequenter non est mendacium.

85. Ex hoc infertur, quòd tales amphibologiæ æquivocæ *ex se*, si confirmentur cum juramento, nullo modo habeantur pro peccato, dummodò concurrat necessitas, & justitia, quæ necessariò debent adesse, ad hoc, ut sit licitum; si verò proferantur sine necessitate, erit peccatum veniale: quia quando juramento non deest veritas, nec justitia, sed solùm discretio,

discretio, vel necessitas, solùm est peccatum veniale, atqui in amphibologia æquivoca non deest veritas, ut dixi, nec justitia, ut suppono: ergo si sola desit necessitas, erit tantùm peccatum veniale.

86. Infertur secundò, quòd, si Petrus quæratur in domo, uxor, vel filius, vel servus, si velint eum occultare, possint respondere sine mendacio, quòd Petrus domo exiverit, ac pro majori fide tribuenda, si est necessarium, possint jurare; quia hæc verba *domo exivit*, sunt æquivoca, & significant, quòd Petrus exiverit domo vel paulo ante, vel ante multum tempus: ergo, si per hæc verba velint dare ad significandum, quòd ante multum tempus domo exiverit, non erit mendacium, licèt aliàs audiens decipiatur intelligendo per ea, Petrum actualiter non esse domi.

Quarta Conclusio.

87. DIco quartò, non est mendacium, nec pro tali damnatur uti verbis amphibologicis, quando vel status personæ, vel circumstantia temporis, vel loci, vel modus interrogandi ea faciunt ambigua: sic tenet Moya, Sanchez, & Hozes, Torrecilla *ubi supr. regul. 2. num. 739.* probatur eadem ratione, qua probatæ sunt duæ præcedentes conclusiones, & declaratur exemplo.

Inquisitor interrogatur, an ceciderit in suum Tribunal Folanus: Medicus, aut Chirurgus, an fœmina quam curant, sit infirma ex stupro ei illato: Custos camporum, an invigilet, & eos custodiat. Omnes possunt absolutè respondere, se nescire; quia circumstantia personæ reddit verba æquivoca, & hoc verbum, nescio, si pronunciatur ab alia communi persona, significat, quòd nullo modo illud sciat; si verò pronunciatur ab Inquisitore, Medico, Chirurgo, &c. significat, quòd non sciat eo modo, quo illud dicere possit.

Mercator interrogatur, quantum pro tali mercatura dederit; si dedit pro illa octo, respondet, quòd dederit decem, cointelligendo expensas factas in vectura, vel quatenus unita est cum alijs mercaturis: hic non mentitur; quia ob circumstantiam sui officij indiget responsione æquivoca, ut veritas in similibus casibus occultetur.

88. Judex interrogat testem, vel reum non observando ordinem judicialem, vel non habendo semiplenam probationem, vel in alio quocúmque casu, quo testis, vel reus licitè occultare potest veritatem; potest respondere testis, quòd nihil sciat de tali delicto; & reus, quòd illud non commiserit: hæc enim responsio sic absolutè pronuntiata ob circumstantiam illegitimationis, qua Judex interrogat. Fit ambigua, & significat; non scio taliter, ut debeam illud manifestare.

89. Ob eandem rationem potest ille, qui scit rem quamdam sub sigillo, vel secreto naturali, respondere, se nescire; imò, licèt sit interro-

gatus de ea in judicio, & Judex instaret interrogando num sciat illam rem in secreto, potest respondere, quòd non sciat, ita expressè Aragonius 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *fol.* 373. §. *Sed est dubium.*

90. Confessarius interrogat Pœnitentem, an habeat aliquid, de quo se accusare posset circa sextum præceptum; licèt Pœnitens unum peccatum contra illud habeat; quia tamen ex ejus confessione posset Confessarius venire in cognitionem complicis; potest Pœnitens respondere, quòd non habeat, de quo se circa hoc præceptum accusare posset.

91. Ex dictis infertur, quòd ille, qui in omnibus dictis casibus, vel multis alijs similibus ita respondet, & juramento confirmat, peccet venialiter, si jurat absquè necessitate, nempe, quando ipsi daretur fides absque additione juramenti; non erit tamen mortale, nisi deesset justitia; quia tunc non deerit veritas, sed solùm discretio, quod est veniale.

Quinta Conclusio.

92. DIco quintò, non est mendacium, nec damnatur ut tale, uti amphibologiâ; quia attentis legibus politicæ hyperbolis, Eutropelia, Ironia, Parabola, & aliæ figuræ Rhetoricæ sunt veræ, licèt secundum rigorem verborum tales non sint. Ita Lumbier *observ.* 8. *num.* 236. Torrecilla *ubi supr. regul.* 3. *num.* 182. quia hæc amphibologia non est interna, sed externa, ut in sequentibus casibus videbitur.

93. Petrus dicit uni suo amico: V. D. habeat me pro suo servo, me subjicio ad ipsius pedes, potest de mea persona, & bonis disponere, sicut de re sua propria &c., hæc verba in toto rigore accepta non sunt vera; quia nec Petrus est servus sui amici, nec subjacet suis pedibus; sed secundùm politicam sunt vera, quia, qui hæc profert, solùm per ea desiderat significare, quòd sit promptus ad inserviendum suo amico.

94. Joannes habet unum equum, vel aliam rem, quàm multum æstimat; & dicit, pluris æstimo hunc equum, quàm omnia alia, quæ habeo: hæ voces rigoroso modo sunt falsæ, quia Joannes pluris æstimat suam consortem, filios, Patrem, vel fratres, quàm equum: sed in sensu hyperbolico sunt veræ; quia solùm vult cum illis monstrare magnam æstimationem, quam habet de illo equo.

95. Franciscus dicit Antonio pauperi per ironiam, V. D. potest emere hunc pretiosum tapetem, siquidem pecunijs abundat: hoc in rigore supposita paupertate Antonij est falsum: sed cùm illud dicat solùm per ironiam, non est mendacium.

96. Quatuor amici sunt in honesta recreatione, unus eorum est aliquantùm tenax, alij dicunt; Dominus Folanus, qui est splendidus, & liberalis, nos invitabit ad prandiú: ita loqui in rigore supposita conditione avaritiæ subjecti, est falsum: sed per ironiam, & eutropeliam, quæ

quæ permittit aliquod honestum sublevamen, est verus hic modus loquendi.

97. Quatuor personæ in invicem colloquentes murmurant, & enarrant modò hujus, modò alterius defectus; unus præsentium timoratus, licèt sit notum, quòd ille, de quo est sermo, habeat tales defectus, nihilominus charitate motus eos cooperit, dicendo, ut ab hac enarratione abstineant; quia nullus præsumitur his defectibus implicatus: hoc modo in rigore, suppositâ notitiâ quam habet hic timoratus de defectibus sui proximi, est falsum; secundùm christianitatem verò, & prudentiam, est verum. Hoc modo possunt alij multi similes casus exemplificari.

98. Ex dictis infertur, quòd, si in supra dictis casibus adhiberetur juramentum absque necessitate, esset peccatum veniale, si verò esset necessitas, nullum esset peccatum; quia non sunt juramenta falsa: pariter suppono, quòd juramento non desit justitia.

Sexta Conclusio.

99. Dico sextò, uti metaphorâ ad occultandam veritatem non est mendacium, nec pro tali damnatur, & sic probat S. Augustinus in libro *contra mendacium cap.* 10. Ubi affirmat, quòd Jacob dicens Patri suo Isaac, eum esse suum primogenitum Esau, non fuerit mentitus ob mysticam, & metaphoricam significationem, quam hæc verba habebant; *Quæ si mendacia dixerimus*, dicit Sanctus *omnes etiam parabolæ, ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia, quod absit omninò, &c.* Cardenas in hac Propos. cap. 4. num. 46.

100. Multi homines spirituales invitati ad comedendum cibos delicatos hâc doctrinâ instructi respondent absque mendacio, tales cibos nocere eorum saluti, sumendo hanc vocem salus metaphoricè, & in quantum significat salutem spiritualem.

101. Quæritur, quomodo se debeat gerere mulier, quæ post commissum adulterium cogitur à Marito ad fatendum, utrum commiserit adulterium? quia, si fatetur, se infamat, & se exponit periculo vitæ, ad cujus conservationem jus habet; si verò negat se commisisse; mentitur.

102. Respondeo, quòd in adeò urgenti vitæ periculo possit se eximere à manifestatione sui delicti cum metaphora, dicendo, quòd non adulteraverit; quia hoc verbum adulterare metaphoricè significat committere idololatriam, ut constat ex Ezechiele *cap.* 23. *vers.* 27. ubi loquendo de idololatrijs Populi Hebræi dicit: *Quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus eorum, & cum idolis suis fornicatæ sunt.*

103. Respondeo secundò, quòd, ut dixi in Conclusione 3. possit se eximere à manifestatione, si respondeat

verbis æquivocis: v. g. Maritus eam interrogat, an ipsi fregerit fidem; potest illa respondere, non fregi habendo in mente fidem, quam ut Christiana profitetur; quia hoc verbum, fides, est commune tam fidei Christianæ, quàm fidei conjugali.

104. Respondeo tertiò, quòd ad occultandam suam fragilitatem possit respondere: non commisi adulterium eo modo, quo sim obligata illud tibi manifestare, ut dixi *num.* 88. loquendo de teste, & reo. Quia sicut Judex non observando ordinem judicialem non habet jus interrogandi, nec reus, vel testis obligatur circa rem occultam respondere; sic Maritus non habet jus interrogandi, nec uxor suum delictum manifestare tenetur.

105. Probatur ulterius nostra responsio, prudens interrogatio semper includit hanc conditionem, dicas mihi, utrum hoc feceris casu, quo possis, & debeas mihi dicere; & sic quando Confessarius interrogatur; an sciat, quòd Petrus fuerit furatus, interrogatio est, an illud sciat extra confessionem: ergo etiam prudens responsio habet inclusam eandem conditionem: non scio illud eo modo, quo possim, & debeam tibi dicere.

106. Confirmatur à paritate: Petrus in extrema necessitate constitutus accipit aliquam rem Joanni: hic prudenter, & rationabiliter non debet esse invitus, quòd Petrus suæ extremæ necessitati de suis bonis succurrat; & si esset invitus, per hoc tamen Petrus non peccaret accipiendo illam rem; quia licèt sit contra voluntatem Joannis, non est tamen contra voluntatem rationabilem: ergo eodem modo discurrendum est in nostro casu.

107. Franciscus durus in solutione, petit ab Antonio mutuò centum Imperiales; & Antonius considerando difficulter posse sua recuperare, & necessarium fore cum eo litigare, respondet, non habeo tantum, quantum V.D. â me petit; in hoc casu non mentitur Antonius, ut cum Sanchez, Palao, & alijs dicit P. Torrecilla *ubi supr. num.* 18. quia Franciscus petendo prudenter, & rationabiliter ab Antonio hanc pecuniam, petit cum hac conditione; nisi exinde ipsi aliquod damnum evenerit: & consequenter responsio Antonij est, non habeo in modo, quo tibi dare possem sine meo incommodo.

108. Et si quis interrogaret, an uxor coacta à Marito possit jurare, se non commisisse adulterium: dico, quòd si illa respondeat modis supradictis, possit licitè jurare; quia juramentum est licitum, quando nec justitia, nec veritas, nec judicium deest; sed in hoc casu, & in modis supradictis non deest aliqua harum conditionum: ergo &c.

109. Ex dictis in his conclusionibus infertur, quòd, qui amphibologicè loquitur, nisi simul concurrant circumstantiæ officij, personæ, eutro-

eutropeliæ, ironiæ, metaphoræ &c. Vel nisi sint verba *ex se* æquivoca) mentiatur: & si juramento confirmet, erit perjurus, peccabitque mortaliter. Probatur; quia, quando verba non sunt ex se æquivoca, nec circumstantia personæ, vel officij, nec ironia, vel alia figura Rhetorica facit ea ambigua, sunt mendacia: sed sic est, quòd jurare supra mendacium sit perjurium, & peccatum mortale: ergo etiam erit loqui amphibologicè, quando verba non sunt *ex se* æquivoca, nec ob circumstantiam vel aliam figuram Rhetoricam ambigua.

Advertentiæ circa praxim, & usum Amphibologiæ.

110. ADvertendum est primò, quòd, qui amphibologijs uti vult, debeat in mente habere conceptum sensui proportionatum, in quo verba profert; aliàs mentiretur, quia ejus verba essent contra mentem: v.g. sum interrogatus, an viderim Petrum, quem antecedenter vidi, non autem modo, respondeo, me eum non vidisse intendendo, quòd ipsum nunc non viderim: ad hoc, ut hæc responsio non sit mendacium, necessarium est, quòd sicut mea verba solùm dant ad intelligendum, me eum modò non vidisse, habeam intentionem cum illis significandi, quòd modò eum non viderim; quia si dicere intenderem, quòd nunquam Petrum viderim, committerem mendacium. Est doctrina Thomæ Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 5. n. 15. in fine.*

111. Advertendum est secundò, quòd non sit opus, ut conceptus mentalis sit specificus, sed sufficit, ut sit generícus, singulariter in rustico, qui cum præcisione non scit operari: sufficit enim, quòd proferat verba, retinendo in mente intentionem, ea pronuntiandi in sensu ipsi licito, vel juxta modum, quem DD. docent, esse licitum. Est etiam doctrina Sanchez, & Leandri à S. S. quos citat, sed non attentat sequi Lumbier *ubi supr. num* 206. eam tamen sequitur cum eodem Sanchez, Suarez, & Palao, Torrecilla *ubi. supr. fol.* 352. *num.* 175. quod sequentibus exemplis declaratur.

112. Petit aliquis à fœmina mutuo quamdam suppellectilem, quàm non potest mutuo dare, vel quia sola eâ indiget, vel quia rationabiliter dubitat, eandem debere deteriorari, vel quia, si mutuo daret, Maritus eam increparet, & rumoribus totam conturbaret domum, quapropter respondet, non habeo talem suppellectilem; ad hoc, ut hæc responsio non sit mendacium, sufficit, quòd illa intentionem habeat pronunciandi hæc verba in sensu, vel modo quem DD. docent esse licitum.

Petrus, qui scit aliquam rem sub secreto naturali, de eadem interrogatur, respondet, nihil scio de tali re, ad hoc, ut hæ voces non sint mendacium, sufficit, quòd intendat eas

proferre in illo sensu, in quo DD. docent quòd licitè dici possit.

113. Maritus interrogat uxorem, utrum filius audiverit Sacrum, vel utrum domo exiverit, vel hoc, vel illud fecerit: & uxor ad evitandum disgustum, quem timet debere oriri, si secundùm mentem Mariti responderet, quare ad impediendas dissensiones respondet, non exivit ex domo: ut hæc responsio excusetur â mendacio, solùm requiritur, ut uxor in mente intentionem concipiat loquendi in sensu à Confessario sibi proposito, vel in quo dicunt DD. esse licitum ita loqui.

Conclusio totius assertionis.

114. COmpendium in hoc paragrapho integræ doctrinæ superius dictæ. Restrictiones mentales damnantur pro mendacijs, & si illis addatur juramentum, habentur pro perjurio, quapropter in nullo casu practicari possunt. Restrictiones externæ non sunt mendacia, nec pro talibus damnantur. Restrictiones externæ sunt, vel quando verba *ex se* sunt æquivoca habentia duplicem significationem; vel quando illa facit ambigua circumstantia personæ, officij: ironia eutropelia, hyperboles, vel metaphora. Si amphibologijs, quæ fiunt verbis *ex se*, vel ex circumstantia, vel figura rhetoricâ æquivocis, utamur sine aliqua necessitate, erunt peccata venialia, non quia sunt mendacium, sed quia sunt contra præceptum affirmativum manifestandi veritatem, quando non habetur justa causa eam occultandi; licèt modica causa sufficiat, ad hoc, ut non sint peccata venialia: v. g. diversio, vel recreatio honesta, &c. (Loquor secluso damno tertij) & si hæ amphibologiæ confirmentur juramento ex necessitate, & justitia, nullum erit peccatum; si verò absque necessitate, erunt duo peccata venialia, unum contra veritatem, quæ dictat loqui ingenuè, & aliud contra virtutem Religionis, cùm fiat juramentum absque judicio: sed verba, quæ nec *ex se*, nec *ex circumstantijs*, nec *ex figuris Rhetoricis* sunt ambigua, sunt mendacia; si verò addatur juramentum, erit perjurium, & peccatum mortale.

PROPOSITIO XXVIII.

Damnata.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

115. HÆc Propositio, ut dicit Lumbier *in explicat. latina, observ. 3. num. 247.* solùm est veluti exemplar duarum Propositionum antecedentium: tam in hac, quàm in illis duabus prohibetur usus amphibologiæ purè mentalis, non verò externæ,

næ, sicut cum eodem Lumbier dicit P. Torrecilla *hic fol.* 363. *n.* 273. *& seq.*

116. Ex hac, & relatâ doctrinâ in Conclusione sexta Propositionis antecedentis infertur, quòd ad evitandam suam infamiam poterit ille, qui muneribus, & recommendationibus consecutus est aliquod officium, vel Magistratûm, respondere, vel jurare, cum metaphoris, vel æquivocationibus veritatem occultando; quia urgens necessitas facit licitam metaphoram vel æquivocationem: sed si per veritatis manifestationem non eveniret notabilis infamia, prò tunc non esset licitum illam occultare.

PROPOSITIO XXIX.
Damnata.

Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

117. DIco primò, per hanc Propositionem indicari, quòd, si unus Hæreticus Sacerdoti Catholico minaretur, nisi totum panem in foro existentem consecret, se velle eum occidere; in hoc casu posset Sacerdos proferre verba consecrationis absque intentione consecrandi; quod esset simulare Sacramentum, & hæc assertio est hic damnata; pariter damnatur, quòd, si Poenitens malè dispositus minaretur mortem Confessario, nisi eum absolvat, possit Confessarius verba absolutionis proferre sine intentione absolvendi. Et generaliter omnes simulationes in Sacramentis; id est, applicare formam sine legitima intentione, est damnatum.

118. Ex hoc infertur, quòd, si Pater minaretur suæ filiæ mortem, vel aliud grave damnum, nisi nuberet, non sit ipsi licitum contrahere externè Matrimonium coram Parocho, & testibus sine animo suum in illud præbendi consensum; quia hoc esset fingere administrationem Sacramenti Matrimonij: posset tamen hæc ex gravi metu contrahere cum vero consensu, quantum est ex parte sua, licèt aliàs tale matrimonium esset nullum ob impedimentum dirimens metûs, nec posset consumari: sic cum Sanchez Torrecilla supra hanc Propositionem *fol.* 9. *n* 75. *& seq.*

119. Dico secundò, non damnatur opinio S. Thomæ *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *&* 2 Suarez, & aliorum dicentium, quòd Confessarius, qui reperit Pœnitentem indispositum pro absolutione, possit super eum facere signum Crucis, & dicere aliqua verba, quæ non sunt forma absolutionis, ne circumstantes nullitatem absolutionis advertant; sic Filgueira supra hanc Propositionem *fol.* 146. §. *Neque* & cum M. Bernardo Hozes, Torrecilla *fol.* 171. *sub num.* 29. §. *Adverto*, *& seq.* tum quia hic non est fictio Sacramenti, siquidem verba formæ non proferuntur: tum quia sic sigillum Confessionis, & conservatio famæ Pœnitentis requirit.

120. Ex

120. Ex hoc infertur, non damnari opinionem, secundùm quam licitum est administrare Eucharistiam peccatori occulto publicè eam petenti, quando Sacerdoti aliquod grave damnum minatur; sic Torrecilla *ibid.* §. *Adverto secundò*, quia hic non fingitur Sacramenti administratio, sed administratur verum Sacramentum. Quando autem debeat negari communio peccatori publico, explicabo *in* 2. *part. hujus praxis, tract.* 13. *cap.* 5. *p.* 2. *num.* 74.

PROPOSITIO XXX.

Damnata.

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, & ictum fugiat.

121. Dico primò, duo sunt contenta, & damnata in hac Propositione. Unum est, quòd, si vir honoratus verbo injurioso afficeretur, possit apprehendere gladium, & occidere eum, qui ipsi contumeliam, & injuriam intulit, si aliter hæc ignominia evitari nequit. Quod est falsissimum; quia infamia, quam causat contumelia, sufficienter verbis absque apprehensione gladij resarciri potest: Ex hoc colligitur, quòd maneat damnata opinio Soti, Covaruviæ, & multorum aliorum, quos citat, & sequitur Leander à S. Stom. 5. *tract.* 2. *disp.* 14. *q.* 1. dicentium, esse licitum *cum moderamine inculpatæ tutelæ* occidere illum, qui proprium honorem contumelijs offendit. Sunt etiam aliæ opiniones damnatæ, quos refert idem Leander *ibid. q.* 12. *&* *q.* 28. *&* *q.* 34. *& seq. & in disp.* 14. *q.* 27. 28. *& seq.* ut optimè Filgueira dicit supra hanc Propositionem fol. 148. & 149.

122. Secunda pars contenta in Propositione manet etiam damnata, asserens, quòd vir honoratus percussus alapâ, vel fuste, arundine &c. Percussore fugiente possit eum sequi, & occidere; quod etiam est falsissimum; tum quia rixæ actuales per fugam percussoris jam cessarunt: tum quia etiam secundùm leges duelli per eandem offensoris fugam manet injuriatus satisfactus de injuria ipsi illata; verum quidem est, quòd, si aggressor se sisteret in eodem loco non capiendo fugam, imò gauderet de facto, & injuriam continuare intenderet, possit offensus eum occidere *cum moderamine inculpatæ tutelæ*; nempe, si non subsit aliud medium ad se defendendum ab injusto aggressore. Ita Lumbier *observ.* 9. *num.* 208. & Torrecilla supra hanc Propos. *fol.* 424. *n.* 27.

PROPOSITIO XXXI.

Damnata.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

123. Dico primò, in hac Propositione damnata est opinio statuens, quòd, si fur mihi unum aureum

aureum furaretur, nec haberem aliud medium eundem recuperandi nisi occisione, possem illum occidere; quod à ratione valdè alienum est; quia vita hominis tam parvi non æstimatur, quòd possit tolli propter unum aureum.

124. Dico secundò, si hic aureus esset ita necessarius suo Domino, quòd sine illo deberet in extremam, vel gravem necessitatem incidere, vel hunc aureum conservaret pro solvendo debito: propter quod deberet ad carcerem detrudi, ibique multis permanere diebus; in hoc casu non esset peccatum eum occidere *cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Ita Torrecilla in Proposit. 31. *fol.* 425. *num.* 76. quia Propositio damnata dicit, regulariter esse licitum occidere furem pro conservatione unius aurei: atqui hic casus propositus non est regularis, sed irregularis: ergo hic casus non est in damnatione comprehensus.

125. Dico tertiò, licèt regulariter sit peccatum mortale occidere furem pro conservatione duorum, vel trium aureorum, hoc tamen non est damnatum; ut cum M. Hozes dicit P. Torrecilla *ubi supr. n.* 28. quia opinio damnata solùm de uno aureo loquitur; nostra conclusio verò non de uno, benè verò de duobus, vel tribus.

126. Dico quartò, si fur esset nocturnus, vel licèt de die veniret, veniret tamen armatus, ejusque intentio non patet; imò ex modo, quo venit, præsumitur, eum venire cum determinatione occidendi; in hoc casu non erit peccatum prævenire, & eum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, licèt sit solùm pro conservatione unius aurei. Ita cum Hozes, Torrecilla *ubi supr. num.* 80. & 81. quia opinio damnata solùm loquitur pro conservatione unius aurei: hæc verò pro conservatione vitæ.

Propositio XXXII.

Damnata.

Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

127. Hæc opinio dicebat, quòd non solùm possim eum occidere, qui injustè bona mea usurpare vellet: v. g. domum, facultates, pecunias &c. sed etiam, si legatum, officium, vel beneficium ex munificentia alicujus amici me possessurum sperarem, possim occidere quemcúmque, qui consecutioni boni sperati obstaret. Hæc secunda pars est damnata, & rationabiliter; quia nullus habet jus defendendi, quod suum non est, atqui id, quod sperat, non est suum, ergo non potest illud actualiter defendere, maximè occisione. Verùm pro notitia primæ partis, quam hæc opinio supponit: v. g. id, quod actualiter possidetur, potest defendi occidendo eum cum moderamine inculpatæ tu-

telæ, qui tentat furari quantitatem excedentem unum aureum, videatur explicatio Propositionis antecedentis.

PROPOSITIO XXXIII.

Damnata.

Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

128. HÆc Propositio est illatio præcedentis; tam una, quàm altera erant Patris Amici *tom. 5. disp. 36. sect. 8. num. 131. & 132.* dicentis, sperantem hæreditatem, legatum, Cathedram, vel Præbendam posse occidere dictorum bonorum consecutionem injustè impedientem. Hoc justissimè damnatur, cùm multa homicidia causare possit, siquidem quivis sibi persuaderet, quòd ejus Patruus, vel consanguineus ipsi in testamento sit relicturus hanc, vel illam Summam; & quòd alius ex suspicione tentaret eum privare gratiâ, Cathedrâ, vel Præbendâ, posset omnes occidere, quos putat, debere consequi id, quod ipse sperabat.

PROPOSITIO XXXIV.

Damnata

Licet procurare abortum ante animatum fœtum, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

129. CErtum fuit inter DD. quòd nunquam sit licitum directe procurare abortum, quando fœtus est animatus: utrum autem sit licitum ante animatum fœtum, fuit varietas opinionum, & de præsenti jam est improbabilis, & damnata opinio tanquam scandalosa statuens, esse licitum fœminæ ob timorem infamiæ, vel occisionis abortum fœtûs inanimati procurare.

130. Dico primò, hìc non damnatur, quòd sit fœminæ licitum indirectè procurare abortum fœtûs inanimati; id est, sumere medicinas, balneis, & alijs uti remedijs, quarum necessitatem habet pro sua salute, licèt aliàs præter intentionem abortus sequatur. Ita cum Lumbier Torrecilla *hic fol. 423. num. 57.* quia Propositio damnata loquebatur de timore infamiæ, vel mortis proveniente *ab extrinseco*: hæc autem loquitur, quando fœtus est aggressor, qui *ab intrinseco* intentat Matri mortem.

131. Dico secundò, neque damnatur, quòd licitum sit consulere fœminæ gravidæ se se occidere paratæ, ut potius sibi procuret abortum. Sic tenet cum Hozes P. Torrecilla *ubi supr. n. 51. & seq.* Quia opinio damnata loquitur de procuratione abortûs, hìc verò de consilio: tum etiam, quia licitum est dare consilium ad minus malum illi, qui est determinatus ad majus: majus malum est, quòd fœmina se occidat, & cum ejus morte etiam pereat fœtus, quàm fœtus solus: ergo &c.

Videa-

videatur pro hac materia *cap.* 5. *tract.* 3. *supra quintum præceptum.*

Propositio XXXV.

Damnata.

Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est carere animâ rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

132. Hæc Propositio est ampliatio, & extensio præcedentis; quia si juxta illam ob timorem mortis, vel infamiæ licitum est procurare abortum ante animatum fœtum; & sic juxta hanc fœtus non animatur in utero Matris, nisi in ipso ortu; sequitur, quòd omnis abortus ob timorem mortis, vel infamiæ licitè procurari posset. Doctrina semper magis absurda, & contraria tam bonis moribus, quàm bonæ rationi, & integræ Philosophiæ.

Propositio XXXVI.

Damnata.

Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

133. Dico primò in extrema necessitate licitum est accipere rem alienam; in hoc conveniunt omnes Doctores. In necessitate gravi existimarunt esse licitum Sylvester, Navarrus, & alij, quos citat, & sequitur Diana part. 2. *tract.* 17. *resol.* 29. Sed hæc opinio est jam intollerabilis, & hic formaliter damnata.

134. Dico secundò, non est damnata opinio, quam cum Molina, & Bonacina refert Diana *ubi supr. resol.* 3. quòd Pœnitens, qui per aliquod tempus differt solutionem debitorum cum intentione tamen solvendi, & absque detrimento, vel damno creditoris, non peccet mortaliter, nec neganda sit ei absolutio. Ratio est; quia opinio damnata loquebatur de furto rei alienæ solùm titulo gravis necessitatis; hæc verò tantùm dicit, quòd possit differri solutio, quando exinde nullum causatur creditori nocumentum.

135. Ex quo infertur, quòd nec sit damnata opinio, quam ex Navarro, Angelo, Antonino, & Petro à Navarra refert Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 5. quòd possit absolvi ille, qui potens statim solvere debita, vel restituere rem alienam, non tamen vult, nisi successivè ob aliquam utilitatem, quam exinde habet, si ex hoc nullum damnum creditori sequitur; & Confessarius credit probabiliter, negando ei absolutionem eum nunquam, vel non cum tanta utilitate restitutionem facturum. Notetur tam una, quàm altera opinio, quæ sunt magnæ utilitatis pro sublevandis Confessarijs à scrupulis.

De furto ex professo tractavi supra in septimo Præcepto. *tract.* 7. *cap.* 1. Et de restitutione *cap.* 4. ejusdem tractatûs; & de necessitate excusante à restitutione etiam tradidi in eodem loco *part.* 9. *num.* 90. videatur ibi.

PROPOSITIO XXXVII.

Damnata.

Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

136. PAter Filgueira supra hanc Propositionem *fol.* 161. §. *Sed licèt*, judicat, hìc solùm damnari, famulos, & famulas posse aliquid surripere ad compensandam operam suam, quando soli judicant, quòd salarium, quale promerentur, excedat salarium, quod recipiunt: adeóque non damnari, quòd possint sibi compensare, quando confessarius pius, doctus, & prudens judicat, salarium respectu servitutis esse modicum; quia, ut ille dicit, Propositio damnata dicebat, quòd possint sibi compensare, quando ipsi soli tanquam Judices in propria causa judicaverint, stipendium eorum esse modicum: ergo in hac damnatione non comprehendetur, quando Confessarius non interessatus de hoc fert judicium.

137. Ego tamen huic opinioni non præberem assensum, nisi cum limitatione, quando famuli essent ad serviendum violentati. Videtur, hanc limitationem sequi P. Torrecilla *hìc fol.* 328. *sub concl.* 1. *num.* 21. licèt *num.* 17. in conclusione assertionem Filgueiræ absolutè concedat. Ratio ad nostrum intentum est, quia *scienti, & volenti nulla fit injuria:* ergo si servus voluntariè, & absque ulla violentia se exhibeat ad serviendum suo Domino pro tanto stipendio, Dominus non facit ipsi injuriam negando ei majus stipendium. Deinde: vel famulus potest alium Dominum invenire, vel non? si potest, & Dominus, cui inservit, nullam ei ut supponitur, infert violentiam ad sibi serviendum, sibi imputet si alium non quærit Dominum: si verò non invenit occasionem ad serviendum alijs signum est, quòd sit multitudo famulorum & paucitas Dominorum; adeóque ob horum paucitatem, & illorum abundantiam minùs, quemadmodum aliæ merces, æstimentur. Ita Villalobos *tom.* 2. *Sum. tract.* 1. *disp.* 13. *n.* 6.

138. A.R.P. Martinus de Torrecilla *in secunda impressione suarum consult. Moral. fol.* 320. Postquam totum id, quod diximus, refert *in num.* 56. adjungit *in num.* 57. *&* 58. id, quod sequitur. Respondeo, quòd nec doctus Filgueira: nec ego dictam sententiam in dictis locis defendamus, (sed quòd solùm ab illa abstrahamus, id est, an debeat in praxi teneri, vel non) sed solùm dicimus, quòd dicta sententia non sit contra censuram Innocentij supra dictam Propositionem 37. contra quam nihil probant rationes à Corella allegatæ, ut ex se est manifestum; nec illud, quod dico in dicto numero 21. opponitur generalitati numeri 18. sed solùm pro probatione conclusionis assigno evidentem rationem, ex

qua

qua inferri possit, non esse verisimile, quòd velit sua Sanctitas Confessario prohibere dictarum compensationum examen, & judicium æqualitatis inter laborem, & pretium servorum, uti prohibet istis, ne sint Judices in propria causa.

Imò: illi, qui fundarunt dictam sententiam, (quam Lumbier, & ego dicimus comprehendi in dicta censura) respondebunt ad primam rationem Corellæ; nullum servum voluntariè consentire, ut detur minus salarium justo, & ordinario, saltem infimo: & ad secundam rationem dicent, quòd, licèt opinio Soti, Navarri, Rebeli, Villalobos, & aliorum sit probabilissima, pariter & illa, quam ego sequor; hoc tamen non impedit, quin contrarium sit probabile *in foro conscientiæ* respectu venditoris, & magis respectu servi in præsenti casu: *usque modò dixit Torrecilla, nunc verò ego.*

139. Fateor, quòd nec doctus Filgueira, nec R.P. Torrecilla absolutè asserant, quòd servi possint sibi compensare, quando Confessarius doctus, & pius judicat esse licitum; sed solùm, quòd dicant, hoc non esse contra damnationem Innocentij. Verùm nec ego aliud illis imputo; siquidem illud, quod dico, est, quòd doctus Filgueira velit judicium ferre, solùm damnari, famulos, & famulas posse sibi compensare, quando illi soli judicant suum laborem excedere salarium, quod recipiunt, non verò damnari, posse sibi compensare, quando Confessarius pius, doctus, & prudens judicat salarium esse modicum respectu famulatûs. Hæc sunt formalia verba, quæ Filgueiræ attribuo, ut videri potest in numero 136. Sed sic est, quòd hoc idem dicat Filgueira in loco, in quo eum cito, ubi dicit; *Sed licet hæc omnia vera sint, hodieque indubitata, forsitan alicui non improbabile videtur, & ego quoque Doctorum hominum judicio submitto, non esse contra censuram Innocentianam, quòd famuli, & famulæ domesticæ possint occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quæ est major salario, quod recipiunt, dummodò hanc majoritatem, & excessum (attende) ipsi non judicent, ipsi non æstiment, ipsi demum non libreut, &c. Id circò attentis circumstantijs personarum, negotiorum, laboris, & salarij poterit aliquando Confessarius doctus, prudens, ac pius in foro animæ aliquam compensationem Pœnitenti permittere, ut opera, & salarium in æquitate consistant.* Quibus in verbis, ut clarum est, vult dicere, quòd servi possint sibi compensare, quando doctus, & pius Confessarius sic judicat: ergo nihil docto Filgueiræ attribuo, quòd solus non dicat.

140. Et ex hoc evidenter cognosci poterit, quòd nec R.P. Torrecillæ attribuam quidquam, quod ipsemet non dicat; siquidem meum assertum est, quòd Torrecilla in conclusione dictum Filgueiræ ponat; & quòd dictum Filgueiræ inclinet ad

opinionem, quòd non damnetur, servos posse sibi compensare, quando Confessarius doctus, & pius judicat esse licitum: ergo dico, Torrecillam pariter ad hoc inclinare, quòd non damnetur, servos posse sibi compensare, quando Confessarius doctus, & pius judicat esse licitum. Quòd enim Torrecilla hoc dicat, solus in supra relatis, & in loco, ubi eum superius cito, fatetur, uti videre poterit ille, qui desiderat.

141. Dixi etiam, quòd videatur, Torrecillam sequi *fol.* 328. (in prima impressione) *sub concl.* 1. *num.* 21. limitationem, cum qua opinionem de compensatione servorum protego. Et quòd hoc sit verum, constat ex verbis sequentibus, positis à dicto Torrecilla loco citato: (& deinde, quia, ut manet dictum in secundo supposito, & doctrina plana, quòd Dominus damnum inferret servo dando ei minus salarium infimo: sed sic est, ex suppositione, quòd Dominus servo manifestum gravamen inferret secundùm judicium non interessati docti, pii, & prudentis Confessarij; & quòd servus defectu alterius famulatus, aut ob alios respectus eidem famulari deberet, aut interveniret timor, violentia, respectus, aut preces æquivalentes violentiæ, aut similia, non videtur verisimile, velle Suam Sanctitatem damnare, quòd huic Confessario permittat in foro conscientiæ compensationem talis damni, & injustitiæ: ergo, &c.) hucúsque Torrecilla: Ecce nunc, an appareat, hæc verba sequi limitationem, cum qua opinionem de compensatione servorum refero. Et quòd P. Torrecilla dicat hæc verba ad inferendam suam consequentiam, vel ob aliquid aliud, parum refert, dummodo verificetur, quòd sint sua, & hoc solùm est id, quod ipsi attribuo: ex quo evidenter cognoscitur, me nec docto Filgueiræ, nec R. P. Torrecillæ quidquam adscribere, quod ipsimet non dicant.

142. Pariter R. P. Torrecilla dicit *in numero* 57. relato, meas rationes nihil probare contra opinantem, sententiam, quæ servis compensationem permittit, quando Confessarius doctus, & pius judicat, non esse contra censuram Innocentij; Hoc enim est verum; quia nunquam tentavi probare quidquam contra hunc: benè verò contra sententiam dicentem, esse licitum servis sibi compensare, quando Confessarius doctus, & pius sic judicat. Utram autem contra hoc aliquid, vel nihil probent meæ rationes, cognoscet, qui earum gravitatem considerabit.

143. P. Torrecilla *in num.* 58. solvit rationes, quibus *num.* 138. meum assertum probo. Ad meam primam rationem respondet, nullum servum consentire voluntariè, quòd ipsi detur minus salarium iusto, & ordinario, saltem infimo. Ad hoc Respondeo, me non dixisse, si servi voluntariè in hoc consentiant, vel non: meum assumptum fuit, quòd

casu,

casu, quo servis violentia inferetur, haberet locum compensatio; valdè enim diversum est absolutum à conditionato; magna diversitas est dicere: nunc est dies, & affirmare: quando sol lucebit, erit dies: ergo pariter valdè diversum est affirmare: servi non consentiunt in minus salarium, quod est dictum Torrecillæ: quàm affirmare: in casu, vel suppositione, quòd consentiant, & hoc est meum assertum.

Respondeo secundò, quòd stante eodem casu, quo servi ad serviendum non sint violentati cognoscendo illorum salarium esse modicum respectu laboris, voluntariè consentiant, ut illis minus salarium detur. Quia voluntarium *est à principio intrinseco cognoscente singula.* Ex quo sic arguo; Servus cognoscit tenuitatem sui salarij, & consentit sine violentia ad inserviendum: ergo consentit, ut ipsi detur minus salarium; vel saltem ita debet judicare doctus, & prudens Confessarius; & consequenter etiam juxta opinionem, quæ dicit, non esse damnatam servorum compensationem, quando Confessarij eam licere judicant, non poterunt sibi compensare, quando sine violentia consentiunt in famulatum habitâ notitiâ tenuitatis salarij.

Ad meam secundam rationem respondet doctissimus Torrecilla, quâvis opinio à me relata, quæ etiam fuit Soti, Navarri, Villalobos sit probabilissima; contrarium tamen etiam est probabile in præsenti casu. Non impugno, an sit probabile, vel non, sed relinquo, ut id librent docti ad conspectum censuræ Papæ Innocentij XI.

144. Dico secundò, quando Domini famulo, vel famulæ non dant necessarium alimentum ad se congruè sustentandum, possunt occultè sibi compensare, & accipere necessarium pro congrua sustentatione: huic opinioni inclinat P. M. Lumbier *observ.* 10. *num.* 323. quamvis ob condemnationis metum non audeat se resolvere in integrum: eodem cum metu loquitur eruditissimus P. Torrecilla *supra hanc Propositionem sub num.* 29. §. *Et ego credo in fine, in prima impressione*; licèt postea cum Hozes, citando me, se conformet meæ assertioni secluso metu in sua *impressione secunda fol.* 312. *sub num.* 80. Ego verò nullum haberem scrupulum supra hunc casum supposito, quòd servis sufficiens alimentū non præberetur, Quia Propositio damnata loquitur de salario: atqui sub nomine salarij non intelligitur alimentum, ergo &c. Minor constat ex modo communi, quo servi cum Dominis conveniunt ratione pecuniæ, vestium, & aliarum rerum; & alimentum supponitur, quasi res jam necessariò stabilita. Deinde; quia, quamvis fiat pactum de alimento, & hoc titulo salarij tribuatur, debet intelligi de alimento necessario: ergo, quando est necessarium, poterit servus sibi compensare. Et confir-

matur:

matur: si enim Dominus non solveret servo debitum salarium, absque omni dubio potest servus clam accipere illam portionem, quam Dominus aufert de solutione, absque transgressione Decreti Suæ Sanctitatis, dicit R. P. Torrecilla *ubi supr. num.* 17. & est res certa: ergo etiam, quando servo alimentum necessarium non daretur; sit hoc deinde *sub nomine stipendij*, vel non. Cæterum, quod scitu necessarium est circa materiam compensationis, dictum est in septimo *tract.* 7. *cap.* 4. *part.* 7. *num.* 61. *& seq.* ubi videri potest.

PROPOSITIO XXXVIII.

Damnata.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcùmque sit magna summa totalis.

145. DUo in materia de parvulis furtis considerari possunt: primum est, culpa furti, aut primæ usurpationis: secundum est peccatum retentionis, aut omissio restitutionis. Et quamvis retentio ut plurimum sit una còntinuata usurpatio; est tamen compatibile, quòd in acceptione rei alienæ non sit culpa, benè verò in ejusdem retentione; usurpatio enim est peccatum veniale, retentio verò mortale, ut patet in illo, qui rem aliquam invenit, in cujus acceptione non peccavit, si autem postea Dominum illius sciat, peccabit eam retinendo contra ejus voluntatem: Et in illo, qui hodie sartori furando unum acum nullum damnum ipsi infert, crastina die autem perdendo alias acus, quas habuit, furtum hujus acus ipsi causat notabile damnum; in hoc casu usurpatio fuit solùm culpa levis, retentio verò peccatum mortale. Confirmatur hæc doctrina cum eâdem parvulorum furtorum materiâ, in qua ultimum furtum, quod pervenit ad constituendam materiam gravem, non est peccatum mortale, quando sur hoc ultimum parvulum furtum absque recordatione præcedentium committit. Ita communiter Theologi apud Moyam *tract.* 4. *disp.* 4. §. 1. *num.* 1. Et hoc non obstante, qui commisit hæc parvula furta, & recordatur illorum, obligatur sub peccato mortali ad restitutionem: ergo est compatibile: quòd retentio sit peccatum mortale, non autem prima usurpatio,

146. Hoc suppositò, dico primò, Propositio damnata non loquitur de peccato, quod committitur res parvas furando, quare relinquo cum sua probabilitate varias opiniones, quas DD. circa hoc tuentur, & alias à me relatas *supra* 7. *Præceptum cap.* 2. Videantur ibi. Hæc damnatio solùm loquitur de culpa non restituendi id, quòd per parvula furta ablatum est. Ita Torrecilla citando me *in* 2. *impressione fol.* 25. *num.* 18. Constat ex eodem textu Propositionis damnatæ, quæ dicebat, non adesse obligationem gravem restituendi per parvula furta ablatum, quam-

quamvis quantitas sit notabilis, sine mentione aliqua de culpa primariæ usurpationis: ergo cum damnatio sit strictè interpretanda, non erit ratio eam extendendi ad id, quod expressè non dicit.

147. Dico secundò, casus condemnationis non solùm intelligitur, quando illæ parvitates uni soli Domino, sed etiam quando multis auferuntur, ut dictum est in loco supra citato.

148. Dico tertiò, in hac Propositione damnata non comprehenditur opinio Sanchez *in Sum. lib. 7. cap. 21.* Dianæ 1. *part. tract. 6. resol. 24. §. Notandum*, qui citat Aragonium, Navarrum, & alios, nec opinio Vasquez, Fagundez, & aliorum quos citat, & sequitur Moya *ubi supra* §. 3. *num.* 13. qui dicunt, quòd illi, qui per parvula furta usurparunt notabilem quantitatem, si restituant quantitatem constituentem materiam gravem, non remaneant cum obligatione cæterum restituendi sub peccato mortali, sed solùm sub veniali: v. g. Petrus est furatus Joanni octo regales per parvula furta, quæ, ut suppono, constituunt materiam gravem: si deinde restituat duos regales, eximitur ab obligatione restituendi sub mortali, & solùm sub veniali manet obligatus ad restitutionem aliorum sex. Ratio est; quia sex regales per parvula furta ablati uni viro utcumque diviti non sunt materia gravis: ergo non erit obligatio gravis illos restituendi. Quòd verò hæc opinio non sit damnata, probatur; quia Propositio damnata asserebat, non esse obligationem gravem restituendi summam considerabilem; hæc verò tantùm de levi, quæ remanet, loquitur: ergo &c.

149. Dico quartò, neque hic damnatur opinio Dianæ *ubi supra*, quòd ad hoc, ut parvula furta constituant materiam gravem, requiratur duplò major quantitas illâ, quæ sufficeret, si furriperetur tota simul; & si furripiatur multis, etiam major requiritur quantitas, quàm si furriperetur uni. nec opinio, quam ipse Diana refert *ubi supra*, damnata est, quòd parvula furta non constituant materiam gravem, quando non continuantur moraliter. Ita Torrecilla citando me *ubi supr. fol.* 326. *num.* 25. & 26. nec opinio, quam cum Sanchez defendit Diana *ubi supr. resol.* 35. & Moya *ubi supr. n.* 14. & alij, quòd furta servorum, & filiorum familias de rebus comestibilibus non continuata non constituant materiam gravem, licèt haberent animum continuandi dicta parvula furta, quando hæ reculæ solùm pro comestione accipiuntur. Torrecilla citando me *ubi supra num.* 30.

Aliud esset, si similes res ad vendendum, vel dandum alijs furarentur; quia tunc moraliter unitæ constituerent materiam gravem. Ratio horum omnium est; quia opinio damnata ajebat, quòd etiam suppositâ materiâ gravi nulla esset restitutionis

tutionis obligatio absque decisione, quando, vel quomodo verificaretur, hanc materiam esse gravem, vel non. de hoc solo, non verò de primo loquuntur opiniones relatæ.

Cætera ad parvula furta spectantia explicui supra *tract. 7. cap. 2. n. 12. & seq.* quare hic omitto.

Propositio XXXIX.

Damnata.

Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

150. Dico primò, in Propositione hac damnatur, eum non esse obligatum ad restitutionem, qui consilio, aut alio modo movet aliquem adinferendum Proximo grave damnum. Quod est falsissimum; quia non solùm causa physicè damnificans, sed etiam moraliter concurrens ad furtum tanquam causa efficax obligatur ad restitutionem; quare pro explicatione causarum moralium Theologi hos versus posuerunt. *Jussio, consilium, consensus*, &c. qui videri possunt *supra in Decalog. tract. 8. cap. 4.*

151. Dico secundò, non solùm in materia bonorum fortunæ, sed etiam famæ, & honoris obligatur ad restitutionem, qui efficaciter induxit ad detractionem, vel contumeliam; quia æqualiter tam offendendo famam, vel honorem, quàm auferendo rem alienam violavit justitiam.

152. Dico tertiò, in hoc Decreto Sua Sanctitas non determinat, nec definit, quòd ille, qui præbet consilium, aut inducit ad furtum, sit obligatus, ut causa primaria, ad restitutionem: imò primò obligatur ille, qui rem ablatam possidet, & eâ utitur: secundò ille qui imperavit, & demum qui præbuit consilium, laudavit, & approbavit &c. quia Propositio damnata dicebat, quòd inducens non teneatur ad ordinem restitutionis.

153. Dico quartò, Ad hoc, ut inducens teneatur ad restitutionem, est necessarium, ut damnum secutum sit contra justitiam. Ita Torrecilla *supra hanc Propos. fol. 315. num. 21.* nec sufficit, quòd damnum sit contra charitatem, aut alias virtutes. Ratio est, quia etiam ipsemet damnificans non obligatur ad restitutionē, nisi gravamen contra justitiam inferat: ergo multo minus ille, qui inducit.

154. Ex hoc infertur, quòd, qui alteri consilium præbet, ut fornicetur, aut non audiat Sacrum, non obligetur ad restitutionem. secundò sequitur, quòd, qui precibus, aut suasionibus induxit Petrum volentem legatum, hæreditatem, vel officium Joanni gratis relinquere, ut relinquat uni alteri, non teneatur Joanni restituere quidquam; quia ad talia bona nullum habuit jus. Ita Torrecilla *ibi num. 22. 23. & 24.* Si verò fraude, dolo, aut violentia induxit Petrum, ne hæc dona Joanni tribueret,

tribueret, obligaretur ad restitutionem, ut est commuuis inter DD. videatur Dian. *part. 3. tract. 6. resol. 33. v. 34.* quia licèt Joannes non habeat jus ad illa bona, habet tamen, ne ullus fraude, aut dolo impediat largitionem doni sibi præparati: ergo, qui similibus medijs id impedit, peccat contra justitiam cum restitutionis obligatione. Vide supra dicta *tract. 7. cap. 4. num. 56.*

155. Dico quintò, ad hoc, ut inducens ad damnum obligetur ad restitutionem. requiritur, ut inductio sit causa efficax dicti damni; id est, ut inductus per inductionem alterius moveatur. sic Torrecilla *ubi supra num. 46.* si enim per ejus inductionem non movetur, damnum ej imputari non debet.

Ex hoc infertur, quòd, si inductus jam erat determinatus ad inferendum damnum, inductor non teneatur ad restitutionem; quia non fuit causa efficax. Ob eandem rationem, si ille, qui jubendo, aut consilium præbendo induxit ad damnum, postea retractet jussionem, vel consilium datum, & persuadeat efficaciter ad suum posse inducto contrarium, ut desistat ab inferendo damno; & tamen hoc non obstante illud patravit, non teneatur ad restitutionem, licèt antecedenter eum induxerit. Videatur hoc, & alia corollaria in R. P. F. Martino de Torrecilla *ubi supr. n. 43.*; & illud, quod dixi supra *tract. 7. cap. 4. n. 53. & 54.*

PROPOSITIO XL.

damnata.

Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.

156. DIco primò, Contractus Mohatra dicitur, quando Mercator vendit mercem emptori cum pacto, ut statim eam ipsi retrovendat pretio infimo, licèt eandem emerit à mercatore pretio medio, vel supremo: v. g. Mercator mercem vendit, quinque vel sex florenis, qui sunt pretium medium, & supremum, & eam emit ab eodem emptore quatuor florenis, quod est pretium infimum. Et hic contractus justissimè in hac Propositione damnatur: tum quia est in se iniquus; tum quia multis fraudibus, & dolis portam aperit.

157. Dico secundò, si hic contractus non fiat cum pacto retrovenditionis, sed mercator liberè suam mercem consignat emptori; licèt hic postea sponte Mercatori retrovendat mercem pretio infimo, quam hic antea vendidit pretio rigoroso, vel medio, non esset contractus iniquus, nec damnatus in hoc decreto: non enim esset iniquus, quia Mercator emit pretio infimo, quod est justum absque eo, quòd emptori imposuerit onus de retrovendendo; nec esset damnatus; quia casus damnationis loquitur, quando pactum retrovenditionis præcedit, quod non est in nostro casu. Sic cum Lumbier Torrecilla

recilla *supra hanc Propoſit. fol.* 292. *num.* 5. & 6. Quomodo, aut quo pretio Mercatores merces ſuas vendere poſſint, & quæ Monopolia eis ſint licita, dicam *in* 2. *part hujus praxis tract.* 16. *cap.* 7.

Propositio XLI.

Damnata.

Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

158. Suppono tanquam certum, quòd in mutuo dominium â mutuante in mutuatarium transferatur; conſtat ex mutui definitione recepta inter DD. *quod ex meo fit tuum*, ut dico ſupra *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 99.

Suppono ſecundò, quòd de intrinſeca ratione mutui ſit, quod mutuans per aliquod tempus pecuniâ, vel materiâ mutuatâ maneat privatus.

Suppono tertiò, quòd propter id, quòd eſt de intrinſeca ratione mutui, non poſſit quidquam accipi ſupra ſortem.

159. Ex his tribus ſuppoſitis certis infertur falſitas opinionis damnatæ; quia cùm ſit de ratione mutui privatio pecuniæ, & ejus dominij, & non poſſit aliquod utile ex illo, quod eſt de intrinſeca ratione mutui, percipi; ſequitur, quòd creditor non poſſit quidquam à mutuatario exigere ob ſolam privationem, vel carentiam pecuniæ mutuatæ. Deinde; quia nullus poteſt aliquod utile ex eo, quod ſuum non eſt, accipere: atqui mutuum non eſt mutuantis, ſed mutuatarij ob dominij translationem: ergo &c.

160. Notandum eſt tamen, hic non damnari opiniones probabiles, dicentes, quòd ob lucrum ceſſans, damnum emergens, recuperationis difficultatem, & alios titulos poſſit mutuans à mutuatario aliquid *ultra ſortem* exigere. Videatur id, quod dico ſupra *tract.* 7. *cap.* 5. *part.* 2. *num.* 100. *& ſeq.*

Propositio XLII.

Damnata.

Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolùm, ſi exigitur tanquam ex juſtitia debitum.

161. Suppono, quòd uſura ſit *lucrum ex mutuo*, id eſt, eſt lucrum, quod ex mutui contractu acquiritur. Una uſura eſt manifeſta, altera palliata. Manifeſta eſt illa, quæ expreſsè in mutuo continetur: v. g. quando Petrus Joanni mutuat centum regales cum obligatione, ut ipſi reſtituat centum, & decem. Palliata eſt illa, quæ dolo in aliquibus alijs contractibus palliatur, ut dico ſupra *tract.* 7. *cap.* 5. *p.* 2. *num.* 104. Uſura poteſt eſſe mentalis, & realis. Mentalis eſt, quando externè non

non manifestatur, nec verbis, nec signis, sed in interno habetur animus acquirendi ex aliquo contractu lucrum usuraticium. Realis est quando fit cum pacto expresso, vel implicito, manifestato verbis, aut signis recipiendi aliquod lucrum illicitum in mutui contractu, vel in alio. Spectantia ad hanc materiam videri possunt supra *tract. 7. cap. 5. p. 2. per totum.* Nunc verò solùm, quod pro intelligentia hujus Propositionis necessarium est, tangam; & in 2. part. hujus praxis Proposit. 42. damnata tangam necessarium pro intelligentia alterius Propositionis, quam supra hanc materiam Papa Alexander VII. damnavit.

162. Dico primò, in hac Propositione damnatur, quòd mutuans possit cum mutuatario pactum inire, ut ipsi aliquid *ultra sortem* ex titulo gratitudinis tribuat. Doctrina nimis præjudicialis, & contra omnem justitiam; quia (etiam dato & non concesso) quòd gratitudo sit aliquo modo de ratione mutui attentâ humanâ convenientiâ, & bonâ correspondentiâ; pactum verò inire est contra rationem intrinsecam mutui: ergo usura: Præterea, quia hoc pactum, vel onus, licèt non sit ex titulo justitiæ, sed gratitudinis, tamen respectivè ad homines ingenuos est strictissimum vinculum; & homo honoratus magis cavet, ne incurrat aliquam ingratitudinis notam, quàm, ne solvat debitum ex justitia; de quo sufficientem nobis dat experientia probationem.

163. Dico secundo, secluso omni pacto non erit usura, quòd mutuans à mutuatario aliquid speret, vel intentionem habeat eum incitandi ad aliquid ipsi dandum ultra sortem ex mera gratia, & benevolentia, sic sentit cum Lumbier Torrecilla *supra hanc propos. fol. 284. n. 2. &* 4. quia hìc solùm damnatur exigere aliquid ultra sortem tanquam debitum ex benevolentia, quòd multum differt à sola spe, desiderio, & intentione.

Ex hoc infertur, quòd, si mutuatarius aliquid ultra sortem mutuanti daret, non tanquam debitum vi gratitudinis, sed merè gratis, non peccaret contra hanc damnationem nec mutuatarius dando, nec mutuans recipiendo; id enim consideratur solùm tanquam effectus liberalitatis mutuatarij.

164. Dico tertiò, non damnatur opinio, quòd sit licitum mutuare cum pacto reciproci mutui de præsenti: v. g. Joannes dans mutuò Antonio 50. Coronatos, potest ab Antonio petere, ut ipsi de præsenti 50. mensuras frumenti remutuet. Sic sentit P. Torrecilla *ubi supra fol. 285. num. 8.* Et ratio est; quia quod est damnatum, est exigere ultra sortem aliquam rem pretio æstimabilem: ergo in hac Proposit. hoc non comprehenditur, quando mutuum de præsenti non est pretio æstimabile, sed non est pretio æstimabile: ergo, &c. Subsumptum minoris probo; quia propter mutuum nihil exigi potest ultra sortem: ergo mutuum

non est pretio æstimabile: dare verò mutuò cum pacto, ut tempore futuro mutuatarius remutuet, erit usura; quia ipsi imponitur onus pretio æstimabile: v. g. ut pro tali tempore sit promptus ad mutuò dandum. Videatur Diana *part.* 2. *tract.* 8. *resol.* 59. & 60.

PROPOSITIO XLIII.

Damnata.

Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

PROPOSITIO XLIV.

Damnata.

Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

165. DIco primò, id, quod docebant Authores harum opinionum (quarum primam tenuit Banez, & secundam Joannes de Cruce, Ledesma, & alij apud Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 4. Et id, quod in his reprobatur, est, quòd, si Petrus vir alicujus authoritatis murmuraret contra Joannem, aut ei aliquam inferret calumniam, posset Joannes Petro aliquod crimen falsum imponere, ut hoc modo suam famam aut honorem recuperaret, & hoc esset tantum peccatum veniale: quæ doctrina præter quam, quòd sit periculosissima, nullum habet fundamentum, facilèque convincitur; quia mendacium in re gravi est intrinsecè malum, & peccatum mortale, in nullóque casu cohonestabile: atqui Proximo falsum crimen imponere, quo ejus authoritas prosternatur, est mendacium in re gravi: ergo erit peccatum mortale.

166. Dico secundò, non damnantur doctrinæ à me relatæ in Dialogo *tract.* 8. *cap.* 4. quòd per modum compensationis possim de Proximo, qui de me murmuravit, aliquod verum delictum dicere, ita tamen, ut hoc medium sit unicum ad recuperandum meum honorem: vide locum citatum. Ratio est; quia Propositio damnata loquitur de impositione delicti falsi, nostra verò doctrina de manifestatione delicti veri.

167. Dico tertiò, neque damnatur opinio Lessij, Valenzæ, & aliorum dicentium, esse licitum Advocato, aut reo invalidare testem, eumque infamare manifestando aliquod occultum ejus delictum verum. Ratio est; quia opiniones damnatæ loquuntur de delicto falso, hæc autem de vero.

168. Ad hoc autem, ut hoc sit licitum, debent concurrere quatuor conditiones. Prima, ut testis non sit violentatus, sed voluntarius: secunda, ut solùm illi defectus, qui ad infamandam testificantis authoritatem conducunt, aperiantur: v. g. quòd sit mendax, aut quòd alijs vicibus fuerit perjurus, &c. Tertia, ut reus non habeat aliud medium ad

se

se defendendum: quarta, ut damnum testi eventurum ob ejus defectûs manifestationem sit proportionatum Rei damno; & ut uno dicam verbo, hæc defensio debet esse *cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Ita Filgueira supra hanc Propositionem *fol.* 192. §. *Nihilominus*, & §. *Quare*: & ex illo Torrecilla *hic fol.* 449. *Concl.* 4. *n.* 13. & *seq.* Videatur id, quod supra hoc dico in 2. part. hujus praxis *tract.* 15. *cap.* 7. *n.* 85.

PROPOSITIO XLV.

Damnata.

Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumdaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

PORPOSITIO XLVI.

Damnata.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

169. EXplicationem harum Propositionum de materia simoniæ præcedat doctrina Caramuelis in Theologia morali, *lib.* 2. *num.* 864. *Si Scriptor scrupulosus sit* (dicit ille) *nulla erit circumstantia ab hoc contagio libera; si autem audentior, ipsius simoniæ conceptus erit idea Platonica, ut dicitur, quæ non reperitur in rebus*: Si tractando de hac materia procedatur scrupulosè, non erit casus, qui non cum simonia pugnat; & si scriptor fuerit in suis opinionibus animosus, reducet simonias ad meras chymeras similes ideis Platonicis, quæ in rerum natura non dantur; & ut breviter concludam, nullus in peccatum simoniæ impinget; Faxit DEUS! ut in materia adeò metaphysica pro speculativa, & adeò periculosa pro praxi sciamus tenere medium, quod est unica bonitas operationum moralium.

170. Suppono pro intelligentia harum Propositionum, quòd 45. duo in se contineat: primum est, non esse simoniam dare temporale pro spirituali, quando temporale datur tanquam motivum consequendi spirituale: alterum est, nec esse simoniam, quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

171. Propositio 46. etiam duo in se continet: unum est, non esse simoniam dare temporale pro spirituali, licèt temporale sit principale motivum dandi spirituale: alterum est, nec esse simoniam, licèt temporale esset motivum dandi spirituale, æstimando hoc minus, quàm temporale. Hæc quatuor puncta sunt damnata tanquam scandalosa, & practice improbabilia. Et earum falsitas probatur à priori. Simonia *est studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali rem spiritualem, vel spirituali annexam.* Nimirum, ut explicat

Palaus

Palaus *part. 3. disp. 3. part. 4. num. 5.* Est voluntas deliberata, qua tanti æstimatur temporale, quanti spirituale: atqui dare spirituale ob motivum temporalis, vel in ejus compensationem, vel tanquam ob causam principalem, aut finalem, est æstimare tanti, & commensurare temporale cum spirituali: ergo erit simonia.

172. Suppono secundo motivum unum esse intrinsecum, & aliud extrinsecum: intrinsecum est illud, quod est objectum formale specificans actum: extrinsecum verò est id, quod inducit, vel excitat ad eliciendum illum actum: v. g. in actu amoris DEI motivum formale, & intrinsecum est bonitas DEI; motivum verò excitans est actus intellectus, qui proponit illam inæstimabilem bonitatem tanquam omni amore dignissimam. Idem patet in hoc, & alijs multis casibus: Christianus audiendo sermonem de turpitudine peccati mortalis (nunquam sufficienter ponderata) & abominabili culpæ horrore percepto ad ejusdem detestationem movetur: motivum intrinsecum, vel formale hujus detestationis est deformitas peccati: extrinsecum verò sunt verba concionatoris, quæ auditorem ad hunc actum detestationis peccati moverunt. Hoc suppositò, claritatis gratia doctrinam hanc in conclusiones dividam.

Prima Conclusio.

173. DIco primò, in Propositione 45. damnatur dare spirituale pro motivo intrinseco. Ita Lumbier, & cum illo Torrecilla supra hanc Propositionem *fol.* 243. *Concl.* 1. *n.* 26. *& seq.* Ratio est; quia hæc Propositio solùm loquitur de motivo proprio, & rigoroso: atqui motivum intrinsecum est rigorosè tale, non verò extrinsecum: ergo solùm de illo, non autem de hoc loquitur Propositio damnata.

174. Ex hoc infertur, quòd Canonicus, vel Beneficiatus non frequentans chorum, cùm distributiones non fiant, non sit simoniacus; quia distributiones sunt solùm motivum extrinsecum, & impellens, motivum verò specificativum est laudare DEUM in Templo suo.

Infertur secundò, quòd nec Pater, qui filio suo dat pecuniam, aut aliam rem, ut eum ad frequentanda Sacramenta animet, committat simoniam; quia hæc dona sunt motiva extrinseca.

175. Infertur tertiò, quòd, si Petrus Joanni Beneficium Ecclesiasticum conferat, cui alio modo non dedisset, nisi Antonius amicus ejus pro illo non intercessisset, non committat simoniam; quia illa intercessio est solùm motivum extrinsecum, non verò intrinsecum. Infertur tandem

tandem quartò ex Lumbier, Torrecilla *ubi supr. sub concl. 5. num. 40.* quòd nec esset simonia, si Franciscus mutuò daret Domino beneficij cum intentione eum reddendi gratum, & propensum ad sibi, aut alicui suo filio conferendum beneficium.

Secunda Conclusio.

176. DIco secundò, dare spirituale in compensationem temporalis gratuitam, id est, in solutionem obsequiorum, aut servitiorum, est damnatum pro simonia in Propositione 45. v. g. Si Episcopus Capellano, Secretario, vel Ephebo ei inservienti conferret beneficium, ut remaneret hoc modo liber ab obligatione solutionis ob sua obsequia promeritæ, esset simoniacus. Constat ex ipso Textu dictæ Propositionis. Verùm si beneficium daretur ob merita, & servitia essent solùm motivum impellens, & extrinsecum, non esset simonia, ita etiam si motivum solùm impellens esset affectus, vel consanguinitas, quàm Dominus beneficij habet cum tali persona, cui de beneficio providet, dummodo merita subjecti sint causa intrinseca, vel motivum formale. Ita Torrecilla *ubi supra fol. 246. sub concl. 2. num. 49. & 50.* Et probatur ex doctrina conclusionis præcedentis.

177. Ex hoc infertur, Capellanos, & Ephebos non committere simoniam, quando Episcopis inserviunt eâ solùm intentione, ut eorum voluntatem disponant, & inclinent ad sibi conferendam aliquam Præbendam. Ita Thomas Sanchez *tom. 1. consil. lib. 2. cap. 3. dub. 28. n. 7.*

Infertur secundò, quòd non sit simoniæ subjectus ille, qui dat aliquod donum temporale, vel offert aliquod munus Collatori beneficij solùm ex gratitudine, si tale donum non sit magni valoris, ut dicit P. M. Lumbier *observ. 12. §. num. 510.* quia dare spirituale in compensationem gratuitam temporalis vel è contra, damnatum est, non verò damnatur animus ob beneficium receptum gratus.

Tertia Conclusio.

178. DIco tertiò, redimere injustam vexationem non est simonia, quando ille, qui eam redimit, habet jus in re. Ita Lumbier *observ. 12. §. 2 num. 401* Torrecilla *ubi supra concl. 8. num. 52.* Ratio est; quia in hoc casu non datur temporale in pretium spiritualis, sed solùm ad auferendum de medio obicem, qui impedit spirituale: atqui tollere de medio obicem est quid temporale: ergo solvere pretium pro illo non erit simonia.

179. Unde infertur, quòd Parocho, qui injustè negat Sacramenta suppositâ necessitate ea recipiendi, possit dari pecunia (non, ut desistat ab hac injustitia; quia hoc esset dare pretium pro Sacramento, saltem virtualiter, ut benè dicit Palaus

part. 3. *disp.* 3. *punct.* 7. *sub num.* 3.) sed solùm ad inclinandam voluntatem, captivandum animum, satiandam ejus avaritiam, & movendum eum ad administrandum Sacramentum.

180. Infertur secundò, eos non committere simoniam, qui in susceptione Ordinum aliquam pecuniam pro litteris dimissorijs tribuunt, aut in collatione beneficiorum pro Bullis; quia hoc modo redimunt vexationem, ut dicit Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 10. *num.* 62. nec sunt simoniaci, qui recipiunt pecuniam; quia quamvis Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 1. *de reformat.* decernat, ut Ordines omninò gratis conferantur; nunc verò consuetudo prævaluit in contrariũ. Lessius *ubi supra*, Castrus Palaus *loco supra cit. punct.* 5. *sub. num.* 5. §. *Secundò adverto.*

Quarta Conclusio.

181. DIco quartò, Propositiones 45. & 46. non loquuntur de commutatione temporalis pro temporali, uti constat ex ipsissimet Propositionibus; & per consequens non erit simonia, dare quamdam rem temporalem pro alia temporali.

Unde infertur primò, non esse simoniam redimere pensiones merè temporales: v. g. illa, quæ datur sæcularibus, & illa, quæ clerico pauperi, vel seniculo pro suo alimento, aut pro obsequijs præteritis data est. Non verò poterit redimi pensio, quæ in titulo spirituali fundatur: v. g. illa, quæ Coadjutori Episcopi, vel Parochi datur. Ita Sanchez *tom.* 2. *opuscul. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 46. *num.* 19. Ratio constat ex dictis.

182. Infertur secundò, quòd pensio, quæ reservatur in commutatione pinguioris beneficij, possit redimi absquè simoniæ nota: v. g. qui habet beneficium ferens fructus 200. Imperialium, idem commutat authoritate Superioris in aliud, quod solùm fructificat centum, & quinquaginta reservatâ sibi pensione quinquaginta Imperialium: hæc inquam postea potest redimi absquè eò, quòd sit simonia. Sanchez *ubi supra* Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 153. Imò, non damnatur opinio Valenzæ, Suarez, Lessij, Toleti, & Cajetani apud Dianam *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 5. qui dicunt, pensiones temporales posse redimi propria authoritate. Hoc idem sentit Castrus Palaus *ubi supra punct.* 33. *num.* 10. Et probatur; quia redimere pensionem nihil est aliud, quàm anticipata solutio fructuum singulis annis solvendorũ: atqui fructus quolibet anno propria authoritate vendi possunt: ergo etiam redimi. Videatur R. P. Fr. Martinus de Torrecilla *concl.* 11. *per tot. fol.* 248. & 249.

183. Infertur tertiò, quòd pariter dari possit pecunia pro capellanijs non collativis, quæ scilicet fuerunt institutæ sine authoritate Ordinarij,

narij, vel alterius Superioris Ecclesiastici. Ratio est; quia dictæ capellaniæ non sunt beneficia Ecclesiastica, nec habent annexam obligationem recitationis Divini Officij, ut dicit Palaus *part.* 2. *tract.* 13. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 5. *& seq.* sed sunt quid merè temporale: ergo &c.

184. Infertur quartò, quòd pro labore extrinsecè annexo rebus spiritualibus possit pretium temporale percipi: v. g. pro cantata Missa, vel pro itinere medij, vel unius milliaris ad eandem celebrandam, vel pro concione &c, Ita Suarez, Valentia, & alij, quos citatos sequitur Castrus Palaus *part.* 3. *disp.* 3. *punct.* 11. *num.* 3. quia hic labor extrinsecus est pretio æstimabilis, & quid temporale: ergo &c.

185. Infertur quinto, quòd nec sit simonia recipere rem temporalem pro defatigatione intrinsecè annexa rebus spiritualibus, non ut pretium dictæ defatigationis (quid quid in contrarium sentiant Aragonius, Lessius, & alij) sed solùm ut stipendium pro sustentatione. Palaus *ut supra punct.* 11. *num.* 1. & 2. Suarez, Sotus, Sylvester, & alij, quos citat, & sequitur Diana *part.* 11. *tract.* 6. *resol.* 34. *in fine §. Sed si quæras*; & sic pro labore celebrandi Sacrum, Concionandi, Baptizandi, Ordinandi, aut administrandi Sacramenta potest recipi aliquid temporale per modum stipendij. Limitant dicti Doctores hanc sententiam, quando actiones spirituales non sunt aliunde debitæ ex justitia; & ob hanc rationem Parochus non potest accipere stipendium pro administratione Sacramentorum, vel instructione Doctrinæ Christianæ; quia ex justitia obligatur.

Quinta Conclusio.

186. DIco quintò, non damnatur pro simonia permutatio rei spiritualis, pro spirituali (exceptis beneficijs Ecclesiasticis, quæ, si permutentur absque Ordinarij, vel illius Prælati, ad quem talis beneficij collatio spectat, authoritate, erit simonia de Lege Ecclesiastica) nostra assertio ex ipso Textu opinionis damnatæ constat, quæ loquitur de contractu inter temporalem, & spiritualem: ergo non damnatur permutatio rei spiritualis pro spirituali; & ita tenet P. Torrecilla cum Lumbier *ubi supra concl.* 4. *n.* 37.

187. Ex quo infertur esse licitam permutationem Crucis, numismatum, imaginum, &c. ejusdem, vel diversi generis pro alijs rebus spiritualibus. Sunt etiam liciti illi contractus amicabiles: v. g. legas pro me sex Sacra, & ego legam pro te alia sex: exaudias pro me quatuor personarum Confessiones, & ego pro te tot exaudiam, &c.

188. Infertur secundò, quòd permutare beneficium cum pensione laicali: vel temporali, aut capella-

niam collativam cum alia non collativa, aut beneficium cum Comendis militaribus, sit simonia de Jure Divino; quia beneficium, & capellania collativa sunt res spirituales, pensio verò laicalis, Capellania non collativa, & Comendæ militares sunt res temporales: atqui permutatio rei spiritualis pro temporali est simonia de Lege Divina: ergo, &c.

189. Concludo dicendo, non esse damnatam opinionem Lessij *de Just. lib. 2. cap. 35. dub. 15. num. 91.* Dianæ *part. 10. tract. 16. resol. 17.* & aliorum dicentium, esse licitum partibus de permutatione unius beneficij cum alio inter se modum permutationis tractare cum conditione dispensationis Superioris; quia hoc non est permutare, sed solùm disponere modum *ex hypothesi*, quòd Superior consentiat; Hoc, ut patet, est valdè diversum à casu damnationis.

Propositio XLVII.

Damnata.

Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo: vel secundo. locutione minus propria ponit dignitores, ut excludat indignos, non verò dignos. vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

190. Dico primò, in hac Propositione rigorosè sumpta solùm damnatur electio minus digni relicto digniori in electionibus Cardinalatuum, Episcopatuum, & Prælaturarum; quia solùm de illis loquitur Tridentinum loco cit. in hac Propositione, *cap. eos alieni peccati, & sess. 24. cap. 1. de reform.* Præter hoc manet etiam damnata interpretatio supra particulam *digniores*, quam Tridentinum ibi ponit, dum dicitur, quòd per digniores Concilium solùm intelligat dignos positivè, aut solùm indignos excludat, aut solùm loquatur, quando fit concursus: quod totum est falsum: dicendum est ergo, quòd in electione Episcoporum, Cardinalium, & Prælatorum, licèt non fiat concursus, sit obligatio eligendi digniorem.

191. Dico secundò, etiam Reges tenentur eligere digniores ad Episcopatus, aut alias Prælaturas, & contrarium est damnatum, ut benè colligit P. M. Lumbier *observ. 12. num. 425.* Ratio est; quia concilium, *ubi supra*, loquitur de omnibus illis, qui à Sede Apostolica jus promovendi ad Episcopatus &c. Habent nemine excluso: ergo loquitur etiam de Regibus, quidquid in contrarium dicat P. Torrecilla *hìc fol. 450. num. 2. Concl. 2.* & in Examine Episcoporum *tract. 5. sect. 5. diffic. 1. num. 13. & seq.*

192. Dico tertiò, in beneficijs curatis, quæ per concursum conferuntur, est obligatio eligendi digniorem; & contrarium, licèt non sit formà-

maliter est tamen æquivalenter damnatum, ut dicit, & probat Lumbier *ubi supra num.* 458. *vide illum*; licèt enim non esset damnatum, est saltem peccatum mortale eligere per concursum ad beneficium curatum minus dignum: P. Torrecilla *hìc num.* 11. tenet, talem electionem nullam fore in foro externo.

PROPOSITIO XLVIII.
Damnata.

Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involuere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

193. EA, quæ Lex positiva prohibet, sunt mala, quia sunt prohibita: v.g. non jejunare, non audire Sacrum &c. solùm est malum, quia est prohibitum. Sed id, quod Lex naturalis prohibet, est prohibitum, quia est malum: v.g. occidere, furari, &c. Est prohibitum, quia est malum: quare, cùm fornicatio sit contra Legem naturalem (quia est bono prolis opposita) est necessarium, quòd sit prohibita, quia est intrinsecè mala: & non mala: quia prohibita, ut dicebat Propositio damnata, quæ explicatione non indiget.

PROPOSITIO XLIX.
Damnata.

Mollities jure naturæ prohibita non est, undesi DEUS eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

194. QUamvis DD. varient in assignandis rationibus, ob quas semper illicitum manet procurare directè seminis effusionem, sicuti econtra licitum est abscindere brachium, aut aliud membrum ad conservandum individuum: omnes tamen unanimiter conveniunt, semper esse peccatum mortale, & intrinsecè malam, non solùm Lege Divina, *non mœchaberis*, sed etiam lege naturali; & contrarium tenere jam est damnatum. Non tamen damnatur eam desiderare inefficaciter, aut de ea sibi complacere, quando in somnis naturaliter evenit nulla posita ejus causa per se efficaci, & secluso periculo consentiendi in delectationem. Videatur Thomas Sanchez *in Sum. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 17. *& seq.* & id, quod fusè dico supra hanc materiam *in meis conferentijs tract.* 2. *sect.* 1. *confer.* 1. *num.* 21.

Propositio L.
Damnata.

Copula cum conjugata consentiente Marito non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

195. Quòd copula cum conjugata sit adulterium, licèt Maritus consentiat, probatur primò; quia est injuriosum statui Matrimonij, & contra justitiam legalem, ut dicit P. Moya *in select. tract. 3. cap. 6. §. 2. num. 62.* Secundò, quia Maritus non habet dominium supra uxorem ad usum, & placitum alterius, sed solùm sui ipsius: ergo erit contra justitiam, licèt Maritus consentiat. Probatur consequentia: quia, si commodatarius consentiret, ut alius rem commodatam acciperet, tam unus, quàm alter peccaret contra justitiam; quia commodatarius solùm habet jus, & non dominium, nec facultatem alienandi rem commodatam: atqui Maritus non habet dominium, nec facultatem concedendi alteri usum propriæ uxoris: ergo &c.

196. Ex quo infertur, quòd ille, qui cognovit conjugatam consentiente Marito, non satisfaciat confessioni dicendo, *se esse fornicatum*; quia adulterium est specie distinctum à simplici fornicatione; & circumstantiæ mutantes speciem debent in confessione explicari; ut constat ex Tridentino.

Propositio LI.
Damnata.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere perfenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

197. Dico primò, non esse licitum famulo ob timorem, ne malè à Domino tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur, cooperari ad peccatum deferendo scalam, aperiendo januam domûs concubinæ, quæ venit ad patrandum peccatum cum Domino; & contrarium est damnatum in hac Propositione. Et ratio est, quia, etiamsi tales actiones *ex se* sint indifferentes; *hic, & nunc* tamen sunt determinatæ, & proximè ad peccatum cooperantur: ergo &c.

198. Dico secundo, neque licitum est servo ob supradictum timorem præparare cubiculum, servire Mensæ, portare concubinæ munuscula, ducere eam ad domum heri sui, deferre ipsi litteras profanas, aut nuntia amatoria, &c. Et contrarium etiam comprehenditur in hac damnatione; quia non solùm deferre scalam, aut aperire concubinæ

cinæ portam est damnatum, sed etiam his similes operationes: atqui servire mensæ, portare ipsi munuscula, aut litteras, &c. Est cooperatio similis peccato apertionis portæ domûs: ergo tam unum, quàm aliud est expressè damnatum. *Quidquid diversimodè de his operationibus* sentiat Torrecilla *hìc fol.* 88. *num.* 31.

199. A. R. P. Martinus de Torrecilla respondet ad hanc rationem in 2. *impress. consult. Moral. fol.* 80. *sub num.* 31. Concedendo verum esse; quòd non solùm damnetur, licitum esse servo deferre scalam, aperire portam concubinæ, sed etiam his similia; negat tamen, quòd servire concubinæ in mensa, portare munera heri, novalia amatoria, & similia sint quid simile, ac portare scalam, adjuvare ejus ascensum per fenestras, aperire portam, &c. Quia dicit, elevare, & dirigere scalam, aperire portam concubinæ, adjuvare ad ascensum Domini per fenestras sunt actiones, quæ *hic*, *& nunc* respiciunt executionem; quia sunt conditiones, sine quibus Dominus non posset suum intentum consequi.

200. *Sed contra.* Quamvis Dominus posset suum pravum consequi intentum intrando per portam domûs amasiæ, vel alio modo, exinde tamen non sequeretur, nunc non esse damnatum, quòd possit famulus humeros submittere, aut portare scalam, & adjuvare, ut Dominus intraret per fenestras ad patrandum suum perversum intentum; & hoc non obstante tunc hæ actiones famuli non essent conditiones, sine quibus Dominus non posset exequi suum intentum: ergo hæ actiones nempe adjuvare subnissis humeris, deferre scalam, & aperire januam non damnantur, nec sunt cooperationes morales ad peccatum tanquam conditiones, sine quibus Dominus non potest consequi suum intentum: ergo adhuc dato, quòd amasiæ munera, & dona portare, servire ipsi in mensa, præparare ipsi cubiculum non sint conditiones, sine quibus Dominus non posset consequi suum pravum desiderium, per hoc tamen non sequitur, quòd hæ actiones similes prioribus non comprehendantur in casu damnationis.

201. Deinde, quia in Propositione damnatur cooperatio, quæ est similis apertioni portæ amasiæ *aperiendo januam*, *aut quid simile operando:* Sed sic est, quòd aperire portam amasiæ damnetur, quamvis sit actio remota ad peccatum: ergo licèt portare litteras amatorias, & munera, servire in mensa, sint actiones remotæ ad peccatum,

erunt

erunt similes apertioni portæ; consequenter condemnatæ manebunt.

202. Dices ad hoc cum Torrecilla, esse verum, quòd aperire *secundum se* sit cooperatio remota ad peccatum, non verò, quando fit in subsidium, & *scienter ad stuprandam Virginem*: Contra: Etiam portare dona, litteras amatorias, servire in mensa, præparare cubiculum, dicam & dico, quòd secundùm se sit cooperatio remota ad peccatum; & si aperire portam amasiæ sit cooperatio proxima, quando fit *scienter ad stuprandam Virginem*; erunt etiam munera, litteræ, &c. Cooperatio proxima, quando fiunt *scienter ad stuprandam Virginem*. Et solùm in hoc sensu reprobantur actiones indifferentes, quæ ad peccatum cooperantur; quia nemo ait, quòd *secundùm se* sint malæ; neque dicitur, quòd famulus portando scalam, submittendo humeros peccaret, si pravam heri intentionem ignoraret: Hoc solùm hìc dicitur, quòd, si aperire portam amasiæ habitâ notitiâ conversationis turpis inter ipsam, & herum sit damnatum pro peccato; erit pariter præparare cubiculum, servire ipsi in mensa, eam ornare, & portare munera, & litteras amatorias cognita mala conversatione, & illicitâ correspondentiâ inter ipsam, & herum.

203. Dico tertiò, Aliæ operationes magis remotæ ad peccatum non damnantur: v. g. quòd Auriga concubinam de uno loco ad alium in suo curru ducat; vel quòd Nauta navim suam conscendere permittat; vel quòd Hospes diversorium, aut domum concedat meretrici, vel usurario; quia hæ, & similes operationes respiciunt peccatum tantùm à longinquo, ideóque non dicuntur illius causæ morales.

PROPOSITIO LII.

Damnata.

Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali sepposito scandalo, si absit contemptus.

204. DIco, Præceptum observandi Festa tam audiendo Missam, quàm non laborando obligat sub mortali, licèt nullum scandalum, vel contemptus Præcepti esset; & dicere contrarium est formalissimè damnatum. Probatur; quia omne Præceptum Ecclesiasticú in materia gravi obligat sub peccato mortali: atqui audire Missam, & non laborare in die festo est Præceptum Ecclesiasticum, & in materia gravi: ergo obligat sub peccato mortali.

Ex

Ex hinc manet damnata opinio Angeli *verb. Feriæ num.* 42. Rosellæ *verb. Missa num.* 18. & aliorum dicentium, quòd omittere Missam in die Festi sine causa, dummodo non sit ex contemptu formali, aut tacito, non sit peccatum mortale: Probatur, quòd hæc opinio sit damnata; quia damnatum est dicere, quòd Præceptum observandi festa non obliget sub mortali, nisi adsit contemptus: ergo erit etiam damnatum dicere, quòd, si absit contemptus, non erit peccatum mortale non audire Missam in die Festi. Probo consequentiam; quia Præceptū observandi Festa obligat ad Missam audiendam: ergo si Præceptum obligat, obligabit etiam auditio Missæ: ergo si damnatur, quòd Præceptum non obliget citra contemptum, hoc idem de audienda Missa dicetur.

Propositio LIII.

Damnata.

Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

205. Dico, in hac Propositione damnatur, quòd satisfiat Præcepto audiendi Missam, audiendo medietatem ab uno Sacerdote, & aliam medietatem ab altero: v. g. si, quando unus Sacerdos est in elevatione Sanctissimi, alter incipit Missam, & quando hic pervenit ad elevationem hostiæ consecratæ, alter jam finivit, non satisfiet huic Præcepto audiendo simul has duas partes; quia in re, qui taliter Missam audit, solùm dimidio Missæ assistit: Si verò has duas medietates audiret successivè: v. g. si audit à primo ab elevatione usque ad finem, & finitâ hac Missâ alterius Sacerdotis incipientis Missam audiat usquè ad elevationem, talis satisfaciet Præcepto: nec ad hoc se extendit damnatio, ut affirmant Lumbier, Hozes, & Torrecilla *super hanc Propositionem.* Et ratio est; quia in hoc casu physicè, & moraliter audivit Missam integrâ: ergo &c.

Propositio LIV.

Damnata.

Qui non potest recitare Matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

206. Suppono pro explicatione hujus Propositionis, dari aliquas materias divisibiles, alias verò indivisibiles *moraliter.* Materia divisibilis est illa, in cujus unaquáque parte salvatur ratio formalis totius: v. g. Jejunium quadragesimale est materia divisibilis; quia in unaquáque suarum dierum salvatur ratio formalis jejunij, quod *est abstinentia à carnibus, & unica comestio.* Materia indivisibilis est illa, in cujus partibus cessat ratio formalis jejunij, quod solùm unicam concedit refectionē

207. Suppono secundò, quòd, quando materia est divisibilis, ille, qui non potest totum, obligetur ad illam partem, quam potest v. g. qui

non potest jejunare per integram quadragesimam, potest tamen per aliquot dies, tenetur jejunare illis diebus, quibus potest. Quando materia est indivisibilis, qui non potest totum, non obligatur ad partem: v. g. si loco collationis necessariò cœna facienda esset, non esset jejunij obligatio residuo diei tempore, quod cœnam præcedit. Videatur Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 19. per totum.*

208. Suppono tertiò, quòd ille, qui sæpiùs transgreditur Præceptũ, cujus materia est indivisibilis, non committat, nisi unum numero peccatum: v. g. qui sæpius in die jejunij pisces comedit: ille verò, qui transgreditur præceptum in materia divisibili, toties peccat, quoties illud transgreditur: v. g. qui sæpius die prohibito carnes comedit. His positis.

209. Dico primò, Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest tamen alias horas, ad has recitandas obligatur; & contrarium est casus damnationis: Imò, si unicam horam recitare potest, ad hanc tenetur. Probatur; quia horæ canonicæ sunt materia divisibilis: ergo qui non potest totum, obligatur ad illam partem, quam potest. Probatur antecedens: in qualibet hora salvatur ratio formalis officij Divini: ergo est materia divisibilis.

210. Dico secundò, infirmus, aut quivis alius, cui ob moralem necessitatem est impossibilis recitatio Matutini, & Laudium; & dubitat, an possit recitare reliquas horas, vel non, non tenetur eas recitare. Ita Lumbier, Filgueira, & Torrecilla *supra hanc Propositionem.* Quia casus Propositionis damnatæ est de eo, qui cùm non possit recitare Matutinum, & laudes, est tamen certus, quòd possit reliquas horas, & excusatio ab illis fundatur in hoc, quòd major pars trahat ad se minorem: atqui in nostro casu est dubium de cæteris horis: neque ideò ab illis excusatur, quia major pars trahit ad se minorem benè verò propter dubium, an possit, vel non eas recitare, in quo casu decidendum est in favorem libertatis: ergo &c. Et confirmatur; quia quando Medicus dubitat, an infirmo ob recitationem officij eventurum sit aliquod damnum, vel non, est probabile, quòd non obligetur ad hujus recitationem. Ita Bonacina, & cum eo Diana *part. 2. tract. 12. resol. 28.* Ergo pariformiter in nostro casu.

211. Dico tertio. Non damnatur opinio Sanchez *ubi supra num. 7.* dicentis, quòd, qui non potest recitare lectiones, & responsoria Matutini, eò quòd Breviarium non habeat, & officium sit novem lectionum, non teneatur recitare Psalmos Matutini, licèt eos memoriter sciat: Et Probatur; quia quælibet hora est materia individua, nec salvatur ratio formalis Matutini solum in Psalmis: ergo &c. Addit tamen dictus Sanchez *ibi*, quòd, si officium esset de Feria, vel Sancto simplici, licèt non possit

recitare

recitare lectiones, & responsoria, potest tamen Psalmos, ad hos obligetur: quia in dictis officijs per tres lectiones cum suis responsorijs habetur parvitas materiæ respectu totius Matutini. Attamen dicta prima opinio meo judicio est falsa: quia, si reprobatur, quòd major pars trahat ad se minorem, reprobatur etiam, quòd una pars trahat ad se partem sibi æqualem.

212. Ex quo infertur, quòd, qui in horis minoribus non scit Antiphonas, Capitula, Orationem, &c. Teneatur recitare Psalmos, si sciat eos memoriter; quia Antiphonæ, Capitula, Oratio, &c. Sunt parvitas materiæ respectu horæ: ita etiam, qui comedit quid parum cibi in die jejunij, obligatur ad jejunium, quamvis hoc sit materia individua: ergo, &c.

213. Dico quartò, non damnatur opinio Navarri, Rodriquez, Ledesmæ, Valenzæ, Suarez, & aliorum, quos citat, & sequitur Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 5. qui dicunt, præceptum recitandi septem horas Canonicas esse unicum, & per earum omissionem unicum tantum peccatum mortale committi, non verò tot, quot sunt horæ omissæ; & huic opinioni se conformant Confessarij, & Pœnitentes, & est praxis communiter recepta in Ecclesia, ut dicit P. Filgueira *supra hanc propositionem fol.* 229. §. *videtur* Videatur etiam id, quod circa hoc dicam *in* 2. *part. hujus praxis tract.* 12. *cap.* 3. *n.* 24.

214. *Dices:* Ergo qui omittit unam horam canonicam de minoribus, solùm peccat venialiter. Probatur consequentia; quia omnes septem horæ sunt materia unius solius Præcepti: atqui una hora minor est materia levis respectu septem: ergo non erit peccatum mortale illam omittere; quod est contra doctrinam in prima conclusione positam.

Respondeo negando, quòd una hora canonica sit parvitas materiæ respectu totius officij, sequendo etiam opinionem Caramuelis in Theologia fundamentali *fundam.* 53. §. 4. *num.* 190. dicentis, ad parvitatem materiæ non sufficere, quòd sit octava pars totius, sed quòd debeat esse pars octavæ partis: atqui una hora Canonica est pars totius officij, & non pars octavæ partis: ergo una hora Canonica non est parvitas materiæ, sed materia gravis.

215. Dico ultimo, non damnari opinionem Oliverij Bonacij apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 219. Dicentis (licèt meo judicio sit falsa) quòd ille, qui sæpius in die proponit, & repetit voluntatem non recitandi officium unum numero peccatum committat: quia omnes hæ volitiones in exteriori recitationis omissione uniuntur: quòd hæc opinio non sit damnata, licèt aliàs, ut dixi, æstimen esse falsam, clarum est, quia, ut patet, est magna diversitas inter hanc, & opinionem damnatam.

PROPOSITIO LV.

Damnata.

Præcepto Communionis annuæ satisfit per Sacrilegam Domini manducationem.

216. DIco primò, qui in peccato mortali communicat, non satisfacit præcepto communionis annuæ, & contrarium est damnatum: idem dicendum de alijs temporibus, quibus est communionis obligatio: v. g. in periculo, vel articulo mortis: in his enim casibus, qui sacrilegè communicat, committit duo peccata mortalia: unum contra Præceptum communionis, alterum contra reverentiam Sacramenti.

217. Dico secundò, qui in Paschate sacrilegè communicavit, tenetur deinde benè dispositus communionem sumere. Ratio est; quia, qui obligatur ad satisfactionem alicujus rei, aut non satisfecit, tenetur satisfacere, quando potest: atqui Christianus obligatur ad communionem semel in anno, cui non satisfecit per communionem sacrilegam: ergo &c. Hoc non obstante opinio contraria (licèt non judicem esse veram) non est damnata, quam referunt Granata. S. Antoninus, Valenza, & alij, quos citat, & sequitur Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 61. ita sentit P. Torrecilla *supra hanc Propositionem fol.* 198. *Concl.* 3. *num.* 46. Quia quamvis præceptum obliget tempore determinato, cessat tamen, si non sit satisfactum tali tempore: v. g. qui culpabiliter non audivit Missam die Festi, aut in vigilia alicujus Sancti non jejunavit, non tenetur audire Missam, aut jejunare alia die, quæ non est de præcepto, ad supplendum defectum antecedentem. Quando verò præceptum determinat tempus ad satisfaciendum, ut est præceptum communionis annuæ, non cessat elapso tali tempore: ergo qui tunc non satisfecit, manet obligatus de præcepto ad satisfaciendum postea; videatur id, quod dico in principio Dialogi *num.* 2.

PROPOSITIO LVI.

Damnata.

Frequens Confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

218. NOn solùm improbabile, verùm & temerarium est dicere, quòd frequens confessionis, & communionis accessus sit signum prædestinationis in eo, qui vitam adeò relaxatam ducit, ut pro tali non sit alia Lex, quàm ejus appetitus, nec alius DEUS, quàm vitium; quique non ut Catholicus, sed ut Paganus vivit. Certius signum prædestinationis est vita composita; hæc est via, quæ ducit ad Cœlum: *Qui bona* egerunt, ibunt, in vitam æternam: ergo, qui per viam latam perditionis currit, habet in se signum præsciti: *Qui verò mala in ignem æternum.*

219. Obiter notare volo Decretum N. D. Papæ Innocentij XI. circa communionem quotidianam, quòd tamen

tamen ad litteram brevitatis gratia non perpendam; sed solùm quatuor puncta in eo contenta notabo.

Primum est, quòd circa communionem quotidianam non determinet rem fixam, & stabilem, sed relinquat Parochorum, & Confessariorum discretioni, qui attenta solitudine, oratione, & virtute personæ, eam permittant communicare secundùm proportionem dispositionis, quam in ea vident.

Secundùm, quòd communio quotidiana non sit de Jure Divino.

Tertium, ut non communicent die Veneris Sancto; nec sani communicentur in cubiculo, portando eis occultè ex capella domestica Sacramentum; nec minus portetur in occulto ex Ecclesia; & nulli dentur particulæ, aut in majori numero, aut majori magnitudine, quàm communiter consuetum est.

Quartum, ut non confiteantur simplici Sacerdoti peccata venialia. Verum quidem est, quòd dictas confessiones non invalidet, malè tamen agerent tam Sacerdos simplex hoc permittendo, quàm Pœnitens id faciendo; qui dictum Decretum videre desiderat, per extensum inveniet *in tom.* 2. P. M. Lumbier *pag.* 1081.

PROPOSITIO LVII.

Damnata.

Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam.

220. Dico primò, Attritio naturalis quantumvis honesta non sufficit ad percipiendum Sacramenti Pœnitentiæ fructum; multo minus ad justificationem sine confessione; contrarium enim asserere est damnatum. Probatur; quia inter dispositionem, & formam debet esse proportio: atqui gratia est forma supernaturalis: ergo attritio naturalis non potest esse dispositio ad gratiam. Utrum autem attritio naturalis sufficiat ad valorem Sacramenti, licèt non sufficiat ad fructum, pro dubio tenent Filgueira, & Lumbier; Hozes negat, affirmat verò Torrecilla *super hanc Propositionem fol.* 455. *Concl.* 2. *num.* 7. *& seq.* ubi defendit, quòd Propositio damnata loquatur de valore, & fructu simul: ergo non damnabitur assertum, quòd sufficiat solùm ad valorem, non verò ad fructum. Ego verò teneo cum sententia Hozes; quia Sacramentum Pœnitentiæ est unum opus supernaturale: ergo ejus partes debent esse supernaturales: atqui dolor est pars materialis proxima Sacramenti Pœnitentiæ: ergo hic dolor debet esse supernaturalis, qui tanquam pars debet totum hoc opus validum constituere.

221. Dico secundò, per hoc non damnatur celebris opinio Thomistarum, qui admittunt Sacramentum validum, & informe, ex defectu extensionis doloris ad omnia peccata mortalia, vel ob dolorem inefficacem, vel ob carentiam integritatis

materialis ex defectu examinis. sic Lumbier, Hozes, & Torrecilla; quamvis huic opinioni non consentiat, affirmat tamen, non esse damnatam *concl.* 4. *num.* 21. videatur id, quod dictum est in explicatione primæ Propositionis.

222. Doctissimus, & R. P. Fr. Martinus de Torrecilla meæ Sacræ Religionis, Author magnæ eruditionis, & ingenio clarus *in secunda impressione suarum consult. Moral. & explic. Propos. damnatarum fol.* 461. *sub. num.* 18 *dicit*, me eum citare pro opinione, quòd attritio naturalis ad valorem Sacramenti sufficiat, licèt non ad fructum, quam tamen non defendit, sed contrariam; & quòd in loco, ubi eum cito, in mea prima impressione *num.* 221. solùm dicat, hanc opinionem de Sacramento valido, & informi cum attritione naturali non esse damnatam, magnam quóque esse diversitatem inter affirmare, quòd sufficiat attritio naturalis ad valorem Sacramenti, & inter affirmare, quòd non damnetur sententia, quòd attritio naturalis ad valorem Sacramenti sufficiat.

223. Sed noster R. P. Torrecilla sensum meorum verborum facile intelligere poterat solùm attentè reflectendo ad id, quod dico *n.* 220. & 221. siquidem utrobique loquor de sensu, in quo damnata est Propositio 57. & ex utróque textu colligitur, quod ei attribuo, esse solum id, quod dictus P. Torrecilla asserit, nempè, non damnari assertum, quòd attritio naturalis ad Sacramenti valorem sufficiat.

224. Quia *num.* 220. dico Torrecillam defendere, quòd Propositio damnata loquatur de valore, & fructu simul, & inferendo statim consequentiam, quam ei attribuo, dico: ergo non damnabitur, quòd solùm sufficiat ad valorem, non verò ad fructum. Notentur verba antecedentis, *propositio damnata*, & alia consequentis, *non damnabitur*; & videatur, an hoc sit id, quod attribuo P. Torrecillæ; nihil enim ipsi adscribo, quàm, quòd idemmet affirmaverit, non damnari, quòd attritio naturalis sufficiat ad valorem, licèt non sufficiat ad fructum.

225. In *num.* 221. dico, quòd Torrecilla, quamvis opinioni de Sacramento valido, & informi non assentiat, affirmet tamen non esse damnatam: ergo sufficienter exprimo distinctionem inter adducere simpliciter opinionem, & affirmare, quòd non sit damnata: cùm enim ita evidenter *num.* 220. dixerim, quòd P. Torrecilla opinionem de Sacramento informi, & valido non referat; debuissem nè *num.* 220. antecedenti asserere contrarium.

226. Non nego R. P. Torrecillam habuisse aliquod fundamentum ob id, quod dixi illis in verbis *num.* 220. positis (*utrum autem attritio naturalis ad valorem Sacramenti sufficiat, licèt non sufficiat ad fructum?* dubitant Filgueira, & Lumbier; Hozes negat,

negat, affirmat verò Torrecilla) majori enim claritate mea intentio explicata fuisset, si dixissem: *utrum damnetur, quòd sufficiat attritio naturalis ad valorem Sacramenti, licèt non sufficiat ad fructum, &c.* Attamen, sicut in textu antecedenti, & consequenti de damnatione loquor, & explicando sensum non dubitavi, quòd aliquis crederet, me fuisse locutum in sensu differenti à damnatione; si enim aliquis hoc dubitâsset, inculpet me, quòd potuerim ei præbere fundamentum dubitandi omittendo hoc verbum, *utrum damnetur*, & non damnet adeò gravem Authorem, ut est noster R. P. Tòrrecilla.

Propositio LVIII.

Damnata.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

227. Dico Pœnitens non tenetur confiteri consuetudinem peccandi, quando Confessarius de hoc non interrogat; quia nemo obligatur ad idem peccatum bis confitendum, sed si Pœnitens à Confessario interrogatur, an peccatum sit reincidentiæ, vel habitûs, Pœnitens tenetur fateri veritatem, & dicere contrarium à Sua Sanctitate damnatur. Probatur; quia dolor confessionis debet esse sensibilis, & Confessario notus: atqui, quando peccatum est consuetudinis, multum de dolore dubitari potest: ergo pro hujus certitudine Confessarius habet jus interrogandi, an sit consuetudinis peccatum; & consequenter Pœnitens verum respondere tenetur.

Propositio LIX.

damnata.

Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursùs Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.

228. Dico, solus magnus concursus non est sufficiens causa pro dimidianda confessione, & contrarium est improbabile, & damnatum tanquam scandalosum, cùm integritas confessionis sit de Jure Divino, solus magnus concursus est modica causa pro ea dimidianda.

229. Non damnatur tamen, quòd in multis casibus sit licitum dimidiare confessionem: v. g. quando infirmus non potest absque gravi molestia omnia sua peccata enarrare, & Confessarius, antequam confessionem finiat, timet ejus mortem; in hoc, & alijs similibus casibus potest confessio dimidiari. Quia Propositio damnata solùm assignabat pro causa magnum concursum, cæteri verò casus alias causas magis urgentes adducunt. Videatur Diana *p. 3. tract. 4. resol. 131.*

Propositio LX.

Damnata.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem DEI, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, aut proponere emendationem.

230. In

230. IN hac materia de consuetudine peccandi duo sunt certa. Primum est, quòd, si Pœnitens cum vero dolore, & emendationis proposito veniat, possit dari absolutio; quia est benè pro Sacramento dispositus. Alterum est, quòd, si Confessarius non judicet, eum verum dolorem, & emendationis propositum habere, non possit ipsi absolutionem dare, quamvis Pœnitens dicat, se habere dolorem, ac se velle emendare; Et contrarium est practicè improbabile, & casus condemnationis hujus Propositionis 60. Ex frequentia autem relapsûs debet Confessarius se regulare ad formandum judicium, an Pœnitens verum dolorem, & propositum habeat. Ratio hujus est; quia Confessarius non videt Pœnitentis cor, ut possit cognoscere, an ibi sit, vel non verus dolor, & verum propositum; minus ipsi sufficit, quòd Pœnitens ore proferat, se dolere, & emendationem proponere: ergo ad ferendum de hoc judicium non est aliud medium, quàm, ut ad opera Pœnitentis recurrat: atqui, quando est consuetudo peccandi, hæc sunt contraria suis verbis: ergo &c. Deinde; quia, si Pœnitens in una, duabus, quatuor, decem, & pluribus confessionibus idem promisit, & nunquam adimplevit, signum est, quòd sua proposita sint meræ velleitates, & Confessarius ita judicare potest, & debet.

231. De hac doctrina nullum est dubium post Decretum Innocentij XI. quapropter pluribus rationibus eam probare, & objectionibus in contrarium factis satisfacere omitto. Solùm pro sublevamine Confessariorum, qui in hoc puncto nimis frequenti magno cum timore operari solent, proponam aliquos casus, in quibus non obstante consuetudine potest impertiri absolutio, eósque in sequentes conclusiones dividam.

232. Suppono primò, quòd consuetudo peccandi sit habitus, vel facilitas acquisita ex repetitis actibus inclinans animum ad continuandos relapsus, & est difficile mobilis à subjecto.

233. Suppono secundò, quòd hæc damnatio de omni specie habituum graviter peccandi loquatur; tam de positivis: v. g. pejerandi blasphemandi, maledicendi ex corde, odio habendi, mœchandi, polluendi, tactus, & oscula exercendi, cogitationibus pravis consentiendi, murmurandi &c.; quàm etiam de privativis: v. g. diuturnæ negligentiæ in restitutione famæ, rei alienæ, in executione testamentorum, Legatorum, Missarum, &c.

234. Suppono tertio, quòd occurrente aliquo peccandi habitu Confessarius non possit absolvere, ut dictum est, nisi habeat probabile fundamentum in contrarium, nempè, quòd Pœnitens verum propositum se emendandi habeat, ad cujus indicium non sufficit sola Pœnitentis attestatio; sufficiet tamen concurrente

currente aliqua ex circumstantijs, quas mox proponam.

Prima Conclusio.

235. DIco primò, potest dari absolutio Pœnitenti, qui ter, vel quater à Confessario in confessionibus antecedentibus de malo suo statu non fuit admonitus, nec de periculo animæ suæ, nec ab eodem Confessario suavibus admonitionibus, & vivis suæ malæ vitæ reprehensionibus non fuit præventus, nec ad hujus emendationem ipsi congrua suggessit media. Ita docet cum Sanchez, & Palao, Diana *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 30. & cum Fagundez *tract.* 7. *resol.* 49. cum Azorio, & Hozes P. Torrecilla *super hanc Propositionem fol.* 98. *num.* 155. Ratio est, quia mirum non est (attentâ humanâ fragilitate) quòd passio per fraudis tenebras obcæccet potentias, & animæ lucem occultet, ne videat execrabilia culpæ damna: nisi enim Confessarius suavi suæ doctrinæ zephyro disrumpat tenebras illas, ac per veritatis claritatem oculum considerationis vivificet, mirum inquam non est, quòd habitus malæ consuetudinis in alios prorumpat actus: ergo spes benè fundata haberi potest, quòd Pœnitens cum lumine à Confessario ipsi porrecto exeat ex obscura culpæ voragine; & per consequens, cùm non præcesserint similes Confessarij admonitiones, potest ei dari absolutio.

236. Ex quo infertur, quòd Confessarius detectâ aliquâ peccandi consuetudine à Pœnitente: debeat eum interrogare, an in antecedentibus confessionibus fuerit ipsi proposita peccati sui gravitas, & fuerint ad hoc vincendum subministrata media; si negativè respondet, præmissâ sui mali status ostensione, ac efficacibus rationibus pro emendatione propositis, absoluat eum; & quamvis hæc omnia fuerint duabus vicibus ipsi proposita, potest adhuc tertia vice absolvi: si verò ter vel quater jam fuerit admonitus, & nulla fuerit secuta emendatio', dimittatur sine absolutione; nisi forsan concurreret aliqua ex circumstantijs in sequentibus conclusionibus positis.

Secunda Conclusio.

237. DIco secundò, si Pœnitens etiam post factam tertiam admonitionem veniat cum extraordinarijs lacrymis, suspirijs, & signis doloris, potest ei dari absolutio. Ita cum Lumbier Torrecilla *ubi supra num.* 110. Quia tunc fundamentum credendi habetur, quòd Pœnitens cum firmo proposito se emendandi veniat: Adverto tamen, quòd aliquando lacrymæ maximè fœminarum à terreno motivo originem trahere soleant: v. g. ab aliquâ tribulatione, & angustiâ Confessario relatâ: non loquor in conclusione de his lacrymis, quæ sunt lacrymæ Esau, de quo dicit Apostolus: *Non invenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. Ad Hebræos* cap. 12.

cap. 12. quia plangebat ob motiva temporalia, ut dicit S. Thomas: *Non dolebat de peccato, sed de damno, &c.*

238. Ex quo infertur, quòd tempore Missionis majori cum facultate, & fundamento possit impertiri absolutio, quàm aliàs; quia vix invenitur anima, quæ audiendo minas punitionum DEI, horrorem culpæ, rigorem horribilissimi, & severi Tribunalis Supremi Judicis, terrorem æternitatis illius sulphureæ, & ardentis flammæ infernalis, non compungatur, conteratur, malum suum statum non apprehendat, ac emendationi studeat, de quo tanquam testis experientiæ possem multa adferre exempla; hoc tamen intelligitur, quando post auditas conciones Pœnitentis emendatio appareat, secùs verò, si in malo habitu adhuc persistat.

Tertia Conclusio.

239. DIco tertiò, si Pœnitens post tertiam admonitionem adhibuerit aliquam diligentiam pro sui emendatione, & in aliquo se emendaverit, ita, quòd relapsum, vel numerum peccatorum minuerit, potest ipsi dari absolutio. Ita Layman. *ubi supra*; quia Confessarius jam habet fundamentum sibi suadendi, quòd Pœnitentis propositum non sit ore prolatum, sed verum, & ex corde.

240. Ex hoc infertur, quòd, si Pœnitens in omnibus confessionibus portet diminutum peccatorum numerum, & in qualibet earum aliqua modica videatur emendatio, argumentari liceat, quòd ad confessionem benè dispositus accedat, & absolvi possit toties, quoties venit emendatus.

241. Infertur secundò, quòd, licèt realiter non sit emendatus, adhibuit tamen omnia media à Confessario ordinata, & omnes occasiones ad culpam ducentes devitavit, possit etiam absolvi. Ita Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 10. §. *Verum tamen*, Lugo *de Pœnit. disp.* 14. *sect.* 18. *num.* 166.

Quarta Conclusio.

242. DIco quartò, si Pœnitens veniat ad confessionem ab aliquo casu infausto inductus: v. g. quia præsens fuit morti repentinæ, vel audivit singularem DEI vindicis punitionem adversus peccatorem; vel quia complex sui peccati obijt, vel ob aliud accidens funestum, potest absolvi absque eò, quòd contra agatur præsenti condemnationi. Torrecilla citando me *in 2. impressione fol.* 90. *num.* 117. Quia hæc reprobat, quòd Confessarius possit absolvere præcisè, quia Pœnitens dicit, se velle emendare: atqui in hoc casu non absolvitur præcisè propter hoc, sed fundatus in spe, quam talis casus infaustus promittit: ergo, &c. in facti contingentia contigit mihi casus in quodam inveterato in aliquo diuturno habitu, qui motus morte cujusdam sui socij venit ad me horâ impropria pro confessione facien-

facienda, quem absquè ullo scrupulo absolvi (non ignorando casum eum ad confessionem moventem) & in re secuta est ejus vitæ emendatio.

Quinta Conclusio.

243. DIcò quintò, si Pœnitens veniat ad confessionem ex sua propria voluntate, & non vi Præcepti confessionis annuæ, aut respectu Parentum, nec vi obligationis ad confessionem singulis octo, aut viginti diebus, aut tali, & tali tempore peragendam, sed solùm ex desiderio se per gratiam justificandi, potest etiam ipsi dari absolutio. Ita Layman. *ubi supra.* Quia Confessarius habet sufficiens motivum credendi, quòd Pœnitens, qui ad Confessionem accedit nullâ eum movente extrinsecâ causâ, veniat cum animo faciendi bonam confessionem, & meliorandi suam vitam. Advertat Confessarius, hanc regulam non esse universalem; quia multi sponte veniunt absque obligatione ad confessionem impellente, & tamen non habent animum meliorem instituendi vitam: quare consultum est, ut reperto aliquo peccandi habitu in Pœnitente, eum interroget, quo motivo ad confessionem venerit, ut possit hoc medio de ejus dispositione judicium ferre.

Sexta Conclusio.

244. DIco sextò, in articulo, vel periculo mortis potest, imò debet absolvi non obstante peccandi consuetudine; quia nobis persuadere debemus, quòd quivis Christianus in simili casu habeat verum dolorem, & propositum non amplius peccandi.

Septima Conclusio.

245. DIco septimò, quotiescúmque Pœnitens dat fundamentum credendi, quòd cum dolore extraordinario veniat: v. g. si veniat cum lacrymis excedentibus ordinarias, vel motus à quodam infausto casu, vel si in aliquo se emendaverit, adhibueritque diligentiam vincendi suam malam consuetudinem, vel si confiteatur in articulo, vel periculo mortis; in his casibus per dolorem, & propositum extraordinarium interrupit consuetudinem antea habitam, & debet pro eo ferri judicium respectu confessionum futurarum, ac si tunc inciperet consuetudo. Torrecilla citando me *ubi supra num.* 118. sic sentit in simili, loquendo de occasione proxima eruditissimus Moya *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 7. *q.* 5. *num.* 8. cum Layman, Navarra, & alijs, & in simili quoque de occasione proxima Cardinalis Lugo *disp.* 14. *sect.* 10. *num.* 151. Ratio est; quia sicut habitus virtutum corrumpuntur per actus contrarios: v. g. habitus Fidei per formalem actum Hæresis; sic habitus vitiosi per actus virtutum contrariarum: atqui actus Pœnitentiæ, aut doloris est contrarius habitui, aut consuetudini vitiosæ: ergo &c.

246. Ex quo infertur, quòd Pœnitens qui venit prima vice ad confessionem absque eò, quòd fuerit admonitus de suo malo statu, possit absolvi duabus, vel tribus vicibus, licèt prima, & secunda vice una cum admonitione non se emendaverit: sic pariter, qui mediante dolore extraordinario præcedentem consuetudinem interrumpit, poterit, postquam fuerit admonitus, absolvi secunda, & tertia vice, licèt in his non se emendaverit: suppositò enim, quòd vi talis doloris extraordinarij interruperit consuetudinem, reputatur, ac si nunquam eam habuisset. Et si post tertiam absolutionem veniat alia vice vi ejusdem doloris interrumpendo iterum consuetudinem, poterit iterum absolvi tribus vicibus, &c. Sic pariformiter, quandocúmque taliter ipsum pœnitebit. Hanc doctrinam, quam citat, & approbat doctissimus P. Torrecilla impugnat non cum debita moderatione Pr. Fr. Emanuel de Conceptione *in suo tract. de Pœnit. disp. 2. q. 13. num. 206. & seq.*

247. Cùm igitur necessarium sit purgare, defendere, & confirmare hanc doctrinam, respondebo objectionibus hujus Authoris incipiendo eo modo, quo se introducit ad ei contradicendum dictus P. Fr. Emanuel de Conceptione, qui *in suo tract. de Pœnit. disp. 2. q. 13. num. 201.* dicit, quòd, quamvis doctrinam, quam docui in prima conclusione (loco citato num. 209. ubi affirmavi, quòd Pœnitenti, qui ter, vel quater non fuit admonitus de suo malo statu, & animæ periculo, possit dari absolutio) conatus fuerit piè interpretari, non potuerit tamen benignè interpretari id, quod docui in septima conclusione superius relata. *Tertio addendum est*, ait, *quòd quamvis prædictam doctrinam à P. Corella in prima conclusione benignè interpretari studuerim, & posse ad nostram reduci insinuaverim, non tamen ita benignè interpretari possum eam, quam tradidit in septima conclusione num. 214. & 215. Quare eam cogor impugnare.* Hoc dicit *num. 201.* Addit verò *num. 206.* quòd mea probatio, aut fundamentum incipiens ab illis verbis: *Ratio est*; plures contineat falsitates, quàm clausulas.

248. Si ex suppositione pij interpretis meæ doctrinæ P. Fr. Emanuel cum hoc rigore loquitur, dicendo, quòd mea probatio plures contineat falsitates, quàm clausulas, quid dixisset, si Judicem rigorosum egisset: non respondebo his verbis, minus ejus personam redarguam; sed solùm mea doctrina respondebit objectioni suæ doctrinæ, ut S. Hieronymus se gessit cum S. Augustino in tertia Epistola ipsi scripta: *Simulquè obsecro, ut ignoscas pudori meo: Nec ego tibi, sed causa causæ respondet: Et si culpa est respondisse, quæso, ut patienter audias, multo major est provocasse.* Ita sentiunt, & loquuntur viri magis cordati: Putat P. Fr. Emanuel, quòd mea doctrina plures falsitates, quàm clausulas contineat; ego verò existimo

stimo, nullam clausulam habere falsitatem, quod probabo incipiendo ab una mea clausula dicente id, quod sequitur.

249. *Sicut habitus virtutum corrumpuntur per actus contrarios, sic habitus vitiosi per actus virtutum contrariarum.* Hoc impugnat his verbis: *In recta Theologia falsum omninò est, quia habitus non contrariantur actibus, nec actus habitibus. Sed solùm actus cum actibus, & habitus cum habitibus contrariari dici possunt. Et ratio est 1. quia contraria debent esse in eodem genere, cùm definiantur communiter sic: quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellunt.*

250. Primò non est necessarium, ut actus contrarientur habitibus contrarietate Physica secundùm definitionem contrariorum, quam allegat P. Fr. Emanuel, ut ipsemet affirmat in suo cursu Trinitario *tom. 1. tract. 2. disp. 8. q. 1. num. 1079.* ubi dicit: *Virtus autem, & vitium contraria dici debent in genere moris, quia summè in eo genere distant; non tamen in genere Physico juxta hanc definitionem; quia in eo non maximè distant.* Nec ego dixi, habitum vitiosum, & actum virtutis oppositæ habere contrarietatem rigorosissimam; sed solùm, quòd unum per aliud destruatur, quod verificari potest absque eò, quòd contrarietas sit rigorosissima, ut dicit in suo cursu Trinitario *ibidem num. 1080.* Ergo potest verificari mea assertio absque eò, quòd habitibus, & actibus conveniat contrarietas, quam definitio contrariorum exigit.

251. Secundò, quia, ut dicit Philosophus 2. *Ethic cap. 3.* habitus destruuntur per id, per quod producuntur: *Habitus ab ijsdem, à quibus fiunt, augeri, & corrumpi.* Sed sic est, quòd habitus producuntur per actus: ergo habitus corrumpuntur per actus: ergo non fuit falsa mea clausula, quæ dicebat, quòd habitus vitiorum corrumpantur per actus virtutum oppositarum.

252. Insuper actus est causa generationis habitûs: sed sic est, quòd habitus corrumpat immediatè habitum, ut P. Fr. Emanuel fatetur: ergo actus destruet habitum, si non immediatè per se, saltem mediante habitu, quem generat. Pariter immediatè corrumpit effectivè actus virtutis habitum vitij, ut dicit P. Gregorius de Valenza *tom. 2. in 1. 2. disp. 4. q. 5. punct. 2. §. Sed omninò*, his verbis: *Sed omninò sentiendum est, habitum per actum quoque immediatè & effectivè corrumpi.* Idem sentit Suarez in sua Metaphysica *tom 2. disp. 44. sect. 12. num. 31.* ubi dicit: *In genere ergo efficientis dicendum est actum immediatè expellere contrarium habitum.* Consideretur hæc vox *immediatè*, & vox *contrarium*, ex quo constabit, quomodo Suarez loquatur ijsdem terminis formalibus, quibus loquor ego appellando actum contrarium habitui.

253. Et P. Azorius *in Moral. Just. part. 1. lib. 3. cap. 23. q. 2.* Defendit

apertè noſtrum aſſertum ſequentibus verbis: Sed dicendum eſt abſolutè cum Majore 3. diſt. 32. q. 7. & Almain *tract.* 1. *Moral.* 1. 18. *habitum acquiſitum, ut actus contrarij, perire: Nam unus actus dignit ex parte habitum, & ex parte tollit habitum contrarium.* Et non ſolùm *effectivè*, ſed etiam *formaliter* actus corrumpit habitum contrarium ſecundùm ſententiam Gregorij *in* 1. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 10. ubi affirmat: *unum habitum non minui per oppoſitum habitum tanquam per formam oppoſitam inductam ab agente, ſed per actum contrarium.* Ejuſdem opinionis ſunt aliqui moderni, quos citat Vaſquez *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſp.* 82. *cap.* 1. *num.* 4. §. *Demum*, & §. *Allegantur*, quod tenet pro probabili ipſemet Vaſquez; quia contrarium, quod ipſe ſequitur, nominat ſolùm magis probabile. *ibidem. cap.* 2.

254. Confirmatur authoritate Doctoris Angelici S. Thomæ 1. 2. *q.* 53. *art.* 3. *in Corpore*, ubi dicit, quòd habitus, *ſicut ex eadem cauſa augentur, ex qua generantur, ita ex eadem cauſa diminuuntur, ex qua corrumpuntur.* Secundùm S. Thomam habitus corrumpuntur per cauſas, per quas diminuuntur: atqui habitus diminuuntur per actus: ergo habitus corrumpuntur per actus. Minor probatur: habet aliquis habitum intemperantiæ; elicit actum temperantiæ, per quem aliquantum illum malum habitum diminuit, elicit alium, & alium temperantiæ actum, & per quemvis actum paulatim diminuit primum habitum: ergo habitus diminuuntur, & per conſequens corrumpuntur per actus contrarios.

255. Confirmatur ulterius cum doctrina P. Fr. Emanuelis in ſuo curſu Trinitario *tom.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 1. *q.* 13. *num.* 2519. Ubi docet, quòd intenſio fiat per additionem gradus ad gradum. *Et in q.* 14. *num.* 2531. affirmat, quòd gradus intenſionis ſint homogenei, & ejuſdem ſpeciei. Pariter 2542. dicit, quòd in eodem ſubjecto uno eodémque tempore poſſint dari gradus contrariæ qualitatis mediocriter intenſi: Nunc ſic; ſupponamus ſubjectum affectum habitu intemperantiæ octo graduum intenſionis, quod per quatuor actus temperantiæ deſtruxit quatuor gradus illius habitûs intemperantiæ; nunc quæro in hoc caſu, vel tale ſubjectum habet habitus temperantiæ, & intemperantiæ, vel non? ſi habet: ergo verificabitur, quòd in eodem ſubjecto poſſint dari ſimul vitium acquiſitum, & virtus acquiſita. Probo conſequentiam; quia vitium eſt habitus vitioſus, & virtus eſt habitus virtuoſus: ergo ſi poſſent dari ſimul in uno ſubjecto habitus vitioſus acquiſitus, & habitus virtuoſus acquiſitus, daretur etiam ſimul in uno ſubjecto vitium acquiſitum, & virtus acquiſita, quod nequit eſſe; ut dicit S. Thomas 1. 2. *q.* 81. *art.* 4 *ad* 2. ubi affirmat: *Quòd vitium directè contrarietur virtuti ----- & ideò vitium excludit virtutem.* Et in terminis magis

gis terminantibus dicit Dominus Tapia *in sua Cat. tom.* 1. *lib.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *num.* 6. his verbis: *virtus, & vitium, quæ directè opponuntur, non possunt esse simul in eodem subjecto.*

256. Si dicatur, in illo subjecto, quod per quatuor actus temperantiæ destruxit quatuor gradus habitûs intemperantiæ, nec temperantiæ, nec intemperantiæ habitum adesse. Quæro nunc: quis destruxit habitum intemperantiæ? habitus temperantiæ non: quia defacto eum ad huc non habet: ergo necessariò actus eum destruxerunt: Consequenter non habitus habitibus benè verò actus ijsdem contrariantur.

257. Ad hoc, videtur, posse responderi, quòd illi quatuor actus temperantiæ non corrumpant per se quatuor gradus habitus intemperantiæ, sed quòd illi quatuor actus temperantiæ quatuor gradus habitûs temperantiæ generent, qui gradus alios quatuor gradus habitûs intemperantiæ destruant, sicque quatuor gradus habitûs temperantiæ, & alij quatuor gradus habitûs intemperantiæ simul in subjecto concurrant. Attamen hæc responsio potest habere locum in opinione illorum, qui dicunt, quod gradus intensionis sint hetereogenei, vel diversæ speciei, & quòd primus gradus caloris v. g. opponatur octavo frigoris, secundus septimo, tertius sexto, & quartus quinto: & sic primus octavum, & nullum alium expellit; secundus solum septimum, & sic de reliquis. Verùm hæc responsio non habet locum in doctrina P. Fr. Emanuelis concedentis, & affirmantis, gradus intensionis esse homogeneos, & primum gradum caloris non opponi determinatè octavo, nec septimo, nec sexto, nec quinto, nec quarto, nec tertio, nec secundo, nec primo frigoris, sed omnibus octo collectivè sumptis. Sic affirmat cursus Trinit. *supra num.* 2541. Ex quo sic arguo; secundùm te unus gradus temperantiæ opponitur omnib⁹ gradibus habitûs intemperantiæ, & est omnibus contrarius: ergo nullus gradus temperantiæ potest introduci in subjectum habens aliquem gradum intemperantiæ. Probo consequentiam: unum contrarium formale non potest concurrere cum alio contrario formali in eodem subjecto, sed secundùm te unus gradus temperantiæ est contrarium formale cuicúmque alteri gradui intemperantiæ: ergo unus gradus temperantiæ non potest in eodem subjecto cum alio quocúmque gradu intemperantiæ concurrere.

258. Ex quo infero, quòd si nullus gradus temperantiæ in subjectum introduci possit, usque dum omnes gradus habitûs intemperantiæ destruantur: ergo antequam habitus temperantiæ introducatur, jam habitus intemperantiæ erit destructus: atqui non potuit eum destruere habitus temperantiæ, nec gradus intensionis hujus habitûs; quia subjectum eos habere non potuit: ergo ne-

necessarium est, quòd actus temperantiæ eum destruxerint: Consequenter non fuit falsa mea prima clausula, quæ dicebat, *sicut habitus virtutum per actus contrarios corrumpuntur: sic habitus vitiosi per actus virtutum contrariarum.* Quare non solùm benignè, sed etiam rigorosè eam interpretando reperitur esse verum, quòd actus corrumpant habitus mediatè, & etiam immediatè efficienter secundùm communem opinionem Theologorum, imò formaliter in opinione Gregorij, & aliorum, adeóque probatum manet, quòd habitus per actus oppositos corrumpantur.

Mea secunda clausula dicebat hoc modo: v. g. *habitus fidei per actum formalem Hæresis:* Cui P. Fr. Emanuel num. 208. contradicit his verbis: *secundò exemplum, quod adducit de fide, extra rem est. Nam in hac doctrina loquitur, aut loqui debet de habitibus acquisitis virtutum, aut vitiorum.* Dicit enim, me extra propositum adduxisse habitum fidei pro probatione meæ doctrinæ; quia supponit, me in ea loqui de habitibus acquisitis. Ex quo constat, me loqui, vel loqui debuisse de habitibus acquisitis tractando eo loco de modo destruendi vitium per virtutem Pœnitentiæ; cùm hæc virtus non sit acquisita, sed infusa; ut dicit Angelica pennaS. Thomæ *3. p. q. 85. art. 5. in corpore*, ubi affirmat: *Dicendum, quod de Pœnitentia loqui possimus dupliciter; uno modo quantum ad habitum; & sic immediatè à DEO infunditur.* Hoc idem tenet Cajetanus *ibi.* Et affirmat tanquam rem constantem P. Fr. Joannes Puteanus ex Inclito Ordine Augustiniano *tom. 2. in D. Thomam q. 85. art. 4. dub. ult. in fine*, non dari habitum acquisitum Pœnitentiæ: *An detur* (interrogat) *qualitas aliqua acquisita ex actibus Pœnitentiæ, per quam detestemur peccata commissa, quemadmodum id facimus per virtutem infusam Pœnitentiæ. Caterum res hæc videtur plus satis nota; nam quemadmodum non datur in nobis qualitas aliqua acquisita medijs actibus fidei, aut spei; ita neque admittenda est qualitas in voluntate rationali acquisita medijs actibus virtutis pœnitentiæ.* Quibus in verbis reperitur conformitas inter habitum Fidei, & pœnitentiæ, de qua loquebar de casu relato; me enim non fuisse locutum, nec debuisse loqui de habitibus acquisitis, dum de pœnitentia tractavi, quæ est habitus infusus.

259. Sed posito, quòd fuissem locutus, aut loqui debuissem de habitibus acquisitis, dico, quòd non fuerit *extra rem* habitum fidei adducere pro probatione: & ratio est; quia ex actibus supernaturalibus fidei potest generari habitus supernaturalis acquisitus fidei distinctus ab infuso in sententia Petri Hurtadi de Mendoza *de anima disp. 16. sect. 8. §. 64. 67. & seq. & in §. 70.* Pro sua opinione citat Molinam, Vasquez, & Petrum Bergomensem. Hoc idem sentiunt Linze, Arriaga, & alij moderni, quos citat

citat P. Fr. Emanuel de Concept. *in suo curju Trinit. tom. 3. tract. 2. disp. 3. q. 23. num. 3365. in fine.* Et Coninch, Molina, Azorius, & Bacon apud Ripaldam *de ente supernaturali tom. 1. disp. 53. num. 2.* affirmant, ab actibus supernaturalibus posse unum habitum acquisitum naturalem generari; pro quo asserto citat Azorius *part. 1. lib. 3. cap. 21. q. 6.* Scotum, Henricum, Durandum, Ochan, Gabrielem, & alios, idem judicant pro probabili Vasquez, & Salas apud eundem Ripaldam *ibid.* Secundùm hos Doctores præter habitum infusum fidei potest dari alius acquisitus; vel supernaturalis, ut aliqui dicunt; vel naturalis, ut volunt alij: ergo, quando habitum fidei allegavi pro probatione meæ doctrinæ, potui de habitu acquisito loqui, non verò de infuso: ergo loquendo de habitu acquisito fidei non esset *extra rem* allegare hunc habitum agendo de alijs habitibus acquisitis:

Vel vult dicere me fuisse locutum de habitu infuso fidei, vel de acquisito? si dicat de infuso? Respondeo, me *extra rem* eum non adduxisse pro probatione virtutis pœnitentiæ, quæ est infusa: si intelligat de acquisito, de quo P. Fr. Emanuel supponebat me loqui in mea habituum acquisitorum probatione: non fuit *extra rem* tunc allegare habitum acquisitum fidei? quare clarè liquet, meam secundam clausulam non fuisse falsam, in qua pro probatione meæ assertionis habitum fidei adduxi.

260. Transeo ad tertiam clausulam, in qua dico; atqui *actus pœnitentiæ, vel doloris est contrarius habitui, aut consuetudini vitij: ergo &c.* quod impugnat P. Fr. Emanuel hoc modo: *Difficilius adhuc intelligitur: indicat enim, & quidem manifestè, aliàs ratio non convinceret intentum, quod omni vitio opponitur, quod falsissimum est.* Dixi tunc, & modo expressè repeto, quòd pœnitentia opponatur cuicúmque vitio, vel peccato; & hoc non est falsissimum, sed ita verum, ut clarè docuerit secura penna Angelici S. Thomæ Aquinatis 3. *part. q. 85. art. 2. ad 3.* ubi Sanctus ita loquitur: *Quod quælibet virtus specialis formaliter expellat habitum vitij: sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subjecto: Sed pœnitentia expellit omne peccatum effectivè.* ergo non est falsissimum, quòd pœnitentia, aut dolor omni vitio, vel peccato opponatur, & non solùm effectivè, sed etiam formaliter pœnitentia, aut contritio opponitur omni peccato, ut tenent Vasquez, Jansenius, Vincentius, Ochagavia, Hurtadus, & alij, quos citat R. P. Leander de SS., & tenet pro probabili opinionem horum Authorum; siquidem contrariam, quam ipse sequitur *p. 1. tract. 5. disp. 1. q. 28.* solùm vocat probabiliorem; possem in probationem hujus doctrinæ authoritate, & ratione me magis explicare, sed cùm abundanter mihi faveat dictamen S. Thomæ, nolo pro ejusdem confir-

matione plus temporis perdere, sufficienter enim ex hoc patet, non esse falsissimum, quòd pœnitentia omni vitio opponatur.

261. Addit P. Fr. Emanuel *num.* 206. quòd unus actus doloris extraordinarius non sufficiat ad destructionem habitus vitiosi: * *Sed non minus displicet*, ait, *illa consuetudinis, sive habitûs tam facilis extinctio, aut interruptio. Sentio enim tanquam verissimum in casibus assignatis à P. Corella, non destrui priorem consuetudinem.*

262. Suppono, ex uno actu intenso posse unum habitum generari, ut de habitibus scientificis dicit S. Thomas 1. 2. *q.* 51. *art.* 3. *in corpore* * *Habitum autem scientiæ possibile est causari ex uno rationis actu.* * Jdémque de habitibus corporalibus sentit S. Doctor, *ibid.* * *Habitus autem corporales possibile est causari ex uno actu, si actus fuerit magnæ virtutis.* * Pariter de habitibus voluntatis pro certo tenet P. Petrus Hurtadus de Mendoza *disp.* 16. *de Anima sect.* 5. §. 35. his verbis * *Nunc agendum est de habitibus voluntatis: ac primum certum est uno solo actu effici habitum perfectissimum, nam actus valde intensus habet virtutem æqualem pluribus actibus remissioribus: Sed hi efficiunt habitum perfectum: ergo & ille.* *

263. *His positis argumentor sic.* Per te unus habitus destruit alium habitum contrarium. Sed sic est, quòd unus actus intensus possit unum habitum generare: ergo unus actus intensus potest unum habitum contrarium destruere: atqui, quando dixi in mea septima conclusione, quòd unus actus doloris corrumpat habitum vitiosum, fui locutus de actu intenso extraordinarij doloris: ergo per eum potest tolli, & destrui habitus, vel consuetudo vitij.

264. Ulterius dicit P. Fr. Emanuel num. 205. * *Displicet tamen magis hæc septima conclusio P. Corellæ, quam* 1. *quia hæc clarius indicat, quòd semel, iterum, ac tertio possit absolvi Pœnitens, si prius non fuerat admonitus, & etiam, si affert aliquam emendationem, vel aliud signum ad prudenter judicandum habere dolorem; unde, & clarè indicat, quòd illis tribus vicibus, etiam sine fundamento ad dolorem prudenter præsumendum absolvi possit* *

265. Ad hoc pacificè respondeo, me non dixisse, & dicere potuisse, *quòd illis tribus vicibus etiam sine fundamento ad dolorem prudenter judicandum absolvi possit.* * imò expressè contrarium asserui *num.* 231. his formalibus verbis ibi à me positis: * *Si Confessarius non judicat, eum habere dolorem, & verum emendationis propositum, non potest ipsi dare absolutionem, quamvis dicat, se habere dolorem, velléque se emendare: & contrarium est practicè improbabile, & cujus damnationis in Propositione* 60. * Hoc expressè dixi *num.* 230. & *num.* 234. addidi id, quod sequitur: * *Suppono tertiò, quòd occurrente aliquo habitu pec-*

peccandi Confessarius non possit absolvere, ut dictum est, nisi forsan probabile fundamentum habeat ad sibi persuadendum, quòd Pœnitens verum propositum se emendandi habeat. Estne hoc dicere, *quòd illis tribus vicibus possit absolvi sine fundamento ad dolorem prudenter judicandum?*

266. Neque dicere, quòd Pœnitens, qui nondum fuit à Confessario tribus, vel quatuor vicibus admonitus, possit absolvi, est affirmare, quòd illis tribus, vel quatuor vicibus absolvatur sine fundamento, quo judicari posset, eum habere dolorem; quia absolutio daretur sine fundamento, quando non esset spes emendationis, sed sola prolatio Pœnitentis de dolore suorum peccatorum, atqui, dum non fuit tribus, vel quatuor vicibus à Confessario admonitus, est spes mediantibus admonitionibus, & consilijs debitæ emendationis: ergo non datur sine fundamento tribus, vel quatuor vicibus absolutio, donec non dentur dictæ admonitiones. Ita tenet cum Azorio, & Hozes P. Torrecilla *supr. Propos.* 60. *num.* 115. Et cum his Lumbier, Sanchez, Palaus, Diana, & Fagundez, quos pariter *supr. num.* 235. *Concl.* 1. citavi. Hanc doctrinam Hozes, Torrecillæ, & meam refert P. Emanuel *num.* 197. his verbis: * *M. Hozes in dicta Propositionis explicatione num.* 9. *P. Corella ibid. Concl.* 1. *num.* 208. (non dicit num. 207. primæ impressionis, & hujus num. 235.) *ac Torrecilla num.* 115. *asserunt, utendum non esse remedio denegationis absolutionis, & posse eam conferri, donec Pœnitens ter, vel quater sit admonitus de suo statu, de gravitate, & fœditate suorum peccatorum, &c.* Secundùm hos Authores potest dari absolutio tribus, vel quatuor vicibus, si Pœnitens antea non fuerit admonitus: atqui nullus horum Authorum dicit, posse dari absolutionem sine fundamento ad dolorem prudenter præsumendum: ergo dicere, quòd Pœnitenti possit dari absolutio, qui non fuit tribus, vel quatuor vicibus admonitus, non est affirmare, *quòd illis tribus vicibus etiam sine fundamento ad dolorem prudenter præsumendum, absolvi possit.*

267. Postquam P. Emanuel meam doctrinam impugnavit, concludit suam probationem *num.* 209. his verbis * *Nec multum miror, quòd in multis brevis probatio deficiat, quia ut communiter dicitur malæ causæ malum solet esse patrocinium. Miror tamen amplius, quòd P. Torrecilla in 2. suarum consultationum editione, tum malam Corellæ causam, tum malum ejusdem causæ patrocinium referat, & approbet in Consul.* 17. *num.* 118. *Sed valeat uterque.* Justissimè nobis Venerabilis Sanctitas Domini nostri Papæ Innocentij XI. in quodam suo Decreto 2. Martij, Anno 1679. edito imposuit, ut injuriosæ altercationes à Scriptoribus tollantur; neces-

sarium igitur est tam Sanctis Legibus obedientiam præstare; Licèt enim hæ non essent, addidici tamen, quòd glorioſiores victoriæ potentiſſimis Chriſtianæ patientiæ armis reportentur, juxta Euripidis dictum: *Certamen patientiæ tale eſt, ut qui vincitur, ipſo victore ſit melior.* Quapropter ad hæc verba mei P. Fris Emanuelis nihil reſpondeo.

268. Qui absque paſſione id, quòd ſuperius dictum eſt, lecturi ſunt, poterunt formare judicium, an mea doctrina *plures contineat falſitates, quàm clauſulas.* Credo, quòd ſibi ſint perſuaſuri Lectores, eas eſſe ſaltem probabiles, cùm tot Doctorum authoritate, & rationibus allegatis authenticatæ ſint. Ut autem affirmari poſſit, doctrinam aliquam eſſe falſam, neceſſarium eſt hoc per demonſtrationem probare, ut dicit Caramuel *in ſua Theologia fundam. lib. 2. fund. 58. num. 2616.* ubi affirmat.* *Paritatem fore probabiliter veram, quamdiu non demonſtretur, & evidenter probetur eſſe falſam.* Hoc idem hic ingeniorum Heros docet *in Theologia intentionali ep. 8. lib. 1. n. 12 prop. fin. fol. (mihi) 21.* Ubi loquendo de quodam ſubjecto eum impugnante ſic dicit.

Dum etiam ipſe, vel ſuam opinionem tuetur vel Caramuel eam oppetit; ut ſervaret rigorem dialecticum, deſiderarem, & hanc conſequentiam eliceret, ergo probabile eſt, quòd affirmat Caramuel; ut hæc conſequentia naſcatur (nota) *debet demonſtratio præcedere, nam ut ſciunt omnes, qui percallent dialecticam, ut improbabilitatem perſuadeant, elumbes, & impotentes ſunt rationes univerſæ probabiles.*

Idem eruditiſſimus Viridis tenet *in ſuis poſitionib. ſelect. q. 9. §. 1. num. 476.* ubi dicit:* *Quòd unius Auctoris opinio, quæ rationibus fulcitur, probabilis eſt, niſi evidenter oſtendatur; ut indicarem duo, primum non ſufficere, quòd probabiliter rationes convincantur de falſitate, quia probabilitas non facit rationes oppoſitas non eſſe, & probabiliter veras.* Hoc idem docet N. R. P. Torrecilla *in ſuis Conſult. tract. 2 conſ. 5. num. 143.* His verbis:* *Nec hæc probabilitas convelli poteſt, niſi evidenter demonſtretur falſa eſſe dicta fundamenta.*

269. His poſitis, argumentor ità. Ut aliqua doctrina pro falſa condemnetur, neceſſarium eſt, ut demonſtrationibus convincatur: Sed ſic eſt, quòd rationes, quibus P. Fr. Emanuel meam impugnat doctrinam, non ſint demonſtrationes: ergo meam doctrinam pro falſa condemnare non poteſt. Probo minorem: Demonſtratio eſt Syllogiſmus, in quo ex præmiſſis evidentibus ſequitur evidenter concluſio, ut dicit Philoſophus *in curſu Trimtario tom. 1. diſp. 2. q. 1. num. 1203.* Sed ſic eſt, quòd Syllogiſmi, vel argumenta P. Fr. Emanuelis non ſint evidentia: ergo nec demonſtrationes: Minor eſt certa; quia id, quod eſt evidens non admittit ſolutionem, nec reſponſionem,

sionem, ut constat ex supradictis: ergo non sunt evidentia, nec demonstrationes: ergo, si necessarium est ad dicendam, & ostendendam falsam aliquam doctrinam uti demonstratione, & evidentia, cùm mea doctrina non refutetur, & convincatur per demonstrationem, & evidentiam, & clarè sequitur, nec debere condemnari tanquam falsam, sed ad minimum in sua probabilitate relinqui.

270. Ego eam pro tali teneo, & noviter dico, quòd, quotiescumque Pœnitens habens consuetudinem peccandi accedit ad confessionem cum actu intenso, & extraordinario doloris, non solùm possit absolvi, sed etiam, quòd illum malum habitum per extraordinarij doloris intensionem interrumpat; sicut affirmat de occasione proxima R. P. Matthæus de Moya *in suis select. tom. 1. tract. 3. disp. 7. q. 5. n. 8.* his verbis: * *Imò addo posse in prædicto casu Pœnitentem absolvi ratione propositi non peccandi de cætero, licèt non proponat ejicere, quam ut concubinam habuerat. Pro hoc asserto, me Judice, militat Card. de Lugo disp. 14 sect. 10. num. 151. Ubi ex communi Doctorum asserit, extraordinarium dolorem, & propositum non peccandi cum fœmina domi retenta, facere, quòd hæc retentio non censeatur in posterum occasio proxima peccandi.*

271. Pro fine hujus controversiæ advertendum est ad rectam meæ opinionis intelligentiam, qua dico, unum actum intensum doloris extraordinarij interrumpere, & destruere malæ consuetudinis habitum, hoc debere intelligi, quando intensio doloris est proportionata consuetudini, vel intensioni habitûs; quia, si habitus haberet octo gradus intensionis, & dolor solùm quatuor, hic dolor non sufficeret ad destruendum habitum intensum *ut octo*; & quamvis hoc sit clarum, & quivis ita judicare debeat. Attamen cùm libri, & volumina ad manus diversas perveniant, bonum mihi visum fuit, hoc notare. Sic pariter advertendum, quando dixi *in mea 7. Concl. num.* 245. numerando casus, in quibus Pœnitens motus ab aliquo infausto casu confessioni se submittere potest, vel quando in aliquo se emendavit, & diligentiam adhibuit ad vincendam suam malam consuetudinem, &c. Studiosè addidi hæc verba: *in his casibus per dolorem, & propositum extraordinarium interrumpit consuetudinem antea habitam.* Hoc posui, ut dico, cum singulari advertentia, iterúmque de novo adverto; quia facilè contingere potest, quòd Pœnitens ad confessionem accedat ab aliquo infausto casu motus, vel in aliquo emendatus, & tamen non sit affectus extraordinario dolore, vel intenso in eo gradu, in quo ejus mala consuetudo erat; & cùm non sit tanta sui doloris intensio, quanta est consuetudinis, licèt pro tunc cum

his circumstantijs Confessarius habeat fundamentum eum absolvendi; attamen habitus, aut consuetudo non destruetur, nisi actus doloris sit tantæ intensionis, quantæ erat ejus habitus; sed tantum destruet de habitu, vel consuetudine, quantum, erat de intensione sui doloris, & non plus: omnia hæc necessariò notanda sunt, imò & plurà; quia potest quidam Lector parùm benignus dari.

Octava Conclusio.

272. DIco octavò, licèt in omnibus relatis casibus possit Confessarius Pœnitentem absolvere; nihilominus consultum erit, si modica est emendatio, una, aut altera vice ei differre, aut negare absolutionem; ad hoc, ut, cùm suavitas olei, & dulcedo Confessarij ad eum sanandum non sufficiat, sanet eum mordacitas vini, & rigoris. Ita docet Suarez, Villalobos, Thomas Sanchez, plerique alij citati à Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 55. & noviter doctissimus P. Torrecilla *supra hanc Propositionem fol.* 98. *num.* 11. Quia licèt Confessarius secundùm Judicis officium debeat Pœnitenti benè disposito absolutionem impertiri, poterit etiam ut Medicus prudens eandem differre, adhoc ut plagam curet ignis activitas, quam curare nequit lenitas.

273. Advertit tamen, & benè, Lugo *de Pœnit. disp.* 14. *sect.* 10. *num.* 168. quòd, si Confessarius prævideat, dilationem absolutionis futuram fore magis in damnum, quam profectum Pœnitentis, qui ob hoc perterritus à confessione abhorrescit, si aliàs est benè dispositus, dummodò concurrat aliqua ex supradictis circumstantijs, in quibus verum propositum fundatur, non possit differre, aut negare absolutionem; siquidem tunc non daretur theriaca contra culpæ venenum, sed apponeretur novum venenum ad eum occidendum.

Nona Conclusio.

274. DIco nonò, quamvis Confessarius judicet Pœnitentem ex sua fragilitate lapsurum in suas culpas, & in nullo se emendaturum, poterit eum absolvere concurrente aliqua ex circumstantijs assignatis in conclusionibus 2. 3. 4. 5. & 6. Quæ credendi fundamentum præbent, Pœnitentem pro tunc accedere cum proposito se emendandi. Ita Lugo *ubi supr. num* 168. & cum Thoma Sanchez, & Palao Diana *p.* 6. *tract.* 6. *resol.* 30. *& tract.* 7. *resol.* 94. Ratio est; quia cum judicio, quòd Pœnitens non sit se emendaturus, est compatibile verum emendationis propositum, cùm sint diversi temporis, nam propositum est de præsenti, relapsus verò de futuro: atqui, dum Pœnitens cum proposito se emendandi accedit, potest absolvi: ergo, &c.

275. Di-

275. *Dices.* Hoc videtur esse damnatum à Sua Sanctitate in hac Propositione; quia in ea damnatur, quòd Pœnitens possit absolvi, quamvis nulla emendationis spes appareat: *etsi emendationis spes nulla appareat.*

Respondeo; non damnari, quòd possit absolvi præcisè, quia nulla emendationis spes appareat, sed simul cum opinione, quòd solùm sufficiat, Pœnitentem ore proferre se dolere, & se velle emendare, *Dum oretenus proferat se dolore, & proponere emendationem*: Atqui nostra conclusio non fundatur solùm in eo, quòd Pœnitens ore proferat, sed in alijs motivis, quæ pro tunc ejus propositum pro vero manifestant, licèt postea in praxim non dirigat: ergo &c. Hanc doctrinam citat, & tenet pro probabili P. Emanuel *supr. num.* 196. *fol.* 85.

276. Ex quo infertur, quòd etiam, quando idem Pœnitens de sua fragilitate timet, & sibi persuadet, quòd non sit se emendaturus, possit absolvi, si concurrat aliquod motivum ex supra relatis indicans ejus adventum pro tunc esse cum verò proposito. Ratio est; quia cum vero dolore, & proposito est compatibilis imaginatio, quòd imposterum non sit se emendaturus; ut cum Lopez, Henriquez, & alijs dicit Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 8. quia dolor, & propositum sunt actus voluntatis, judicium verò, & opinio relapsûs sunt actus intellectûs, ut benè ait Sylvester *verb. Confessio* 1. *q.* 21. *&c.*

Decima Conclusio.

277. DIco decimò, si habitus, seu consuetudo est de peccatis venialibus: v. g. consuetudo maledicendi materialiter, aut jurandi verum sine necessitate, aut mentiendi, aut murmurandi de rebus levibus: si hæc consuetudo est materia remota totalis Sacramenti, id est, quòd Pœnitens non confiteatur aliud peccatum, quàm consuetudinem incidendi in peccata venialia; in hoc casu idem dicendum est, & applicandæ eædem doctrinæ, quæ dictæ sunt respectu consuetudinis peccatorum mortalium; quia tam una, quàm altera *per se* Confessario tribuunt fundamentum judicandi, Pœnitentem non verè dolere, & proponere emendationem: atqui absque judicio de vero Pœnitentis dolore, & proposito non potest eum Confessarius absolvere: ergo &c.

278. *Dices.* Peccata venialia sunt materia voluntaria confessionis, possuntque in confessione absque peccato omitti: ergo videtur res valde dura, quòd possit negari absolutio Pœnitenti confitenti sola peccata venialia consuetudinaria.

Respondeo; verum esse, quòd peccata venialia sint materia voluntaria confessionis; sed cùm sint peccata ex habitu, non negatur absolutio propter peccata venialia, sed pro-

propter defectum doloris de ijs: quia, quamvis possint in confessione omitti, nihilominus *eo ipso*, quòd confiteantur, requiritur dolor eorum, quando cum ijsdem non adest alia materia remota necessaria, vel voluntaria: atqui, cùm sint ex consuetudine, Confessarius judicium formare non potest, eum de illis dolere (exceptis casibus in præcedenti conclusione positis) ergo, cùm sint peccata venialia consuetudinaria, & nulla alia materia necessaria, vel voluntaria concurrat, neganda est absolutio, non propter peccata, sed propter illorum habitum, cùm exinde appareat defectus veri doloris; sicut, si aliquis unum, aut plura peccata venialia confiteretur, licèt non essent ex habitu, nullatenus de illis doleret, non posset dignè absolutionem recipere; quia deficeret materia proxima: ergo hoc idem dicendum est in nostro casu.

279. Verùm si Pœnitens præter habitum peccatorum venialium confiteatur aliud peccatum veniale, aut mortale vitæ præteritæ, aut præsentis, cujus consuetudinem non habeat, potest absolvi. Ratio est; tum quia, sicut potest condonari unum peccatum veniale absque aliorum condonatione, sic potest haberi dolor de uno absque dolore de alijs; tum quia, sicut peccata venialia sunt materia voluntaria confessionis, sic etiam sunt doloris. Et tandem; quia ad valorem, & fructum Sacramenti non requiritur dolor, & propositum evitandi omnia peccata venialia. Ita Diana *p.* 1. *tract.* 4. *resol.* 117. & cum Henriquez, & Dicastillo idem Diana *part.* 11. *tract.* 5. *resol.* 22. salvo tamen dolore, & proposito circa aliud peccatum veniale, aut mortale: ergo, &c.

280. Concludo hanc materiam admonendo Confessarios, ut, quando deprehendent Pœnitentes longo tempore consuetudinarios, studeant toto cordis Spiritu, & Zelo admonere eos de illorum malo statu, objiciendo eis turpitudinem culpæ, demonstrando crudelem ipsorum in Filij DEI vitam machinationem, repræsentando pergrandem hujus boni DEI amorem, & esse contra omnem rationem, tot beneficia, quæ abundanti manu suis creaturis quotidie largitur, ingratitudine solvere, alijsque rationibus in Dialogo *tract.* 9. *cap.* 1. positis. Etenim indubium est, si Pœnitentes sunt adeò in vitijs habituati, id multorum Confessariorum negligentiæ imputandum esse, qui non perpendunt, se de anima coram eorum pedibus procumbente strictissimam rationem ad DEI Tribunal reddituros, &c. Hoc idem recomendo in occasionibus proximis, de quibus sequentes Propositiones agunt.

PROPO-

PROPOSITIO LXI.

Damnata.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimò directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

PROPOSITIO LXII.

Damnata.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

281. SUppono, occasionem peccandi aliam esse proximam, aliam remotam. Remota dicitur illa, ex qua certò moraliter non sequitur peccatum: v. g. vivere in hoc mundo præcisè, dicitur occasio remota peccandi, cùm in eo sint tot péricula allicientia ad peccatum. Hanc occasionem remotam nullus tenetur fugere, nec de hac Propositiones damnatæ loquuntur, sed solùm de occasione proxima, quæ ea dicitur, ex qua attentis circumstantijs personæ, temporis, loci, vel experientiæ propriæ, vel aliarum personarum similium conditionum certò moraliter sequitur peccatum. Circumstantia personæ est, quando talis persona est multum inclinata vel ex propria natura, vel ex malo habitu ad peccatum: v. g. ad avaritiam, luxuriam, &c. Circumstantia loci est, quando quis in propria domo habet aliquam amasiam, aut quantumvis eam aforis teneat, habet tamen semper libertatem ad placitum cum ea conversandi, vel quando ex ejusdem detentione in domo, aut frequenti visitatione extra domum sequitur murmur in Populo opinante eum malè vivere, licèt aliàs in re non ita sit.

282. Ob circumstantiam experientiæ erit occasio proxima illa, in qua homo sæpiùs peccare solet, vel quamvis non habuerit hanc experientiam, cùm nunquam in similibus fuerit periculis, nihilominus scit, quod alij suæ naturæ, aut conditionis homines in tales occasiones incidant.

Ob circumstantiam temporis erit occasio proxima, quando homo intra modicum tempus sæpius cadit: v. g. si quis intra Mensem viginti vicibus tentatus, omnibus his viginti vicibus tentationi succumbit, vel paulò minùs; verùm, si intra annum solùm viginti vicibus peccabit, tunc circumstantia temporis non erit occasio proxima, si per integrum annum in dicta occasione maneat.

283. Suppono secundò, occasionem proximam posse reperiri in omni genere peccatorum, & non solùm in peccatis operis, verùm & verborum, & cogitationum: v. g. si ex consortio alicujus personæ semper, vel sæpius sequeretur furtum, murmuratio, omissio Sacri, juramentum, &c. In hoc casu consortium talis personæ esset occasio proxima. Si ex visitatione alicujus fœminæ, ut

plurimum; oriretur pravum desiderium erga illam, visitationes essent occasio proxima. Si ex lusu, ut plurimum, prorumperetur in juramenta, blasphemias, aut maledictiones, lusus esset occasio proxima juramentorum, blasphemiarum, & maledictionum.

284. Suppono tertiò, occasionem distingui ab habitu; quia hic procedit ab intrinseco, & homo intrinsecè est eo affectus: v. g. habitus jurandi, blasphemandi, polluendi, &c. Occasio verò procedit ab extrinseco: v. g. â consortio talis personæ, ab exercitio talis officij, & frequentatione talis domûs.

285. Suppono quartò, occasionem proximam unam esse voluntariam, aliam involuntariam. Involuntaria est illa, quam homo absque suo notabili detrimento evitare non potest: v. g. Filiusfamilias habens amicitiam cum famula domûs, quæ discedere non potest, nec fugere absquè notabili damno: Occasio voluntaria est illa, quam homo absquè notabili nocumento evitare potest: v. g. Dominus, qui vivit in concubinatu cum sua famula, quam domo ejicere potest absquè suo notabili damno, aut famulæ. *His prænotatis.*

Prima Conclusio.

286. DIco primò, non solùm, qui ex proposito, & directè occasionem peccandi quærit, sed etiam, qui occasionem voluntariam omittere non vult, non potest absolvi; & contrarium est damnatum in Propositione 61. Et ratio est; quia talis non confitetur cum vero dolore, & proposito, cùm non velit media necessaria, & ad emendationem possibilia adhibere.

Secunda Conclusio.

287. DIco secundò, quamvis non sit damnata opinio Medinæ, Cordubæ, Tabienæ, Suarez, & aliorum, quos citat, & sequitur Joannes Sanchez *in select. disp.* 10. *num.* 14. qui dicunt, quòd possit ter, vel quater absolvi, qui vivendo in occasione proxima promittit Confessario eam evitare, & tamen non facit; quia Propositio damnata loquitur de eo, qui non vult occasionem fugere, aut de eo, qui ex proposito occasionem quærit; hæc verò loquitur de eo, qui proponit occasionem evitare, licèt aliàs non evitet.

288. Verùm prudens Confessarius rarò absolvere debet, usque dum Pœnitens occasionem voluntariam non abscinderit. Ita Rodriquez, Navarrus, & Margarit. Conf. apud Moyam *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 7. *q.* 5. *n.* 5. Sylvester, Chapeabilla, & Fernandez, quos citat, & sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 107. noviſſimè Filgueira *super hanc Propoſit. fol.* 259. §. *Nihilominus*, & P. Torrecilla *fol.* 96. *num.* 89. & noviter P. Emanuel de Concept. me citando approbat *supra disp.* 2. *q.* 14. *num.* 211. Ratio est; quia

quia propositum verum debet esse efficax, ut dicit Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 7.* atqui propositum, aut desiderium efficax adhibet media ad finem necessaria: ergo, cùm fuga occasionis proximæ sit medium ad emendationem necessariũ, qui eam non fugit, cùm possit, non habet propositum efficax se emendandi; *Subsumo*: sed non potest absolvi, qui non habet propositum efficax se emendandi: ergo &c.

289. Deinde, quia, qui vivunt in occasione proxima voluntaria, ut plurimum sunt personæ vitæ relaxatæ, quæque multo tempore confessionem differunt; adeóque, si semel absquè præcedenti occasionis derelictione absolvantur, differendo per longum tempus secundam, & tertiam confessionem in multa peccata labuntur: ergo erit necessarium ad ea evitanda, ut Confessarius ante absolutionem eos obliget ad relinquendam occasionem, & hac relictâ pro absolutione redeant.

Tertia Conclusio.

290. DIco tertiò, Sua Sanctitas in hac damnatione non loquitur de occasione proxima involuntaria. Ita Torrecilla *fol. 63. Concl. 3. num. 63.* Probatur; quia Propositio damnata loquitur de occasione proxima voluntaria, nempe de ea, quam homo potest absque suo notabili detrimento evitare: atqui occasionem involuntariam nequit homo absque suo notabili detrimento evitare, ut dictum est *supra num. 285.* Ergo præsens condemnatio de ea non loquitur. Sic sentit cum Torrecilla, & mecum P. Emanuel *supra fol. 102. num. 238.*

291. Ex quo infero, quòd Medicus, aut Chirurgus, quibus cura fœminarum infirmarum est occasio proxima, non teneantur ab executione eorum officij abstinere, & attentâ solùm damnatione harum Propositionum 61. & 62. possunt absolvi. Ratio est; quia hæc occasio est involuntaria: ergo &c.

292. *Dixi attenta solùm damnatione Propositionum 61. & 62.* Quia si hæ culpæ ortæ ab occasione involuntaria jam essent consuetudinariæ, tunc neganda esset eis absolutio, non propter occasionem, sed propter habitum; præter illos casus, de quibus in explicatione Propositionis antecedentis diximus, quòd possit absolvi habens consuetudinem peccandi. *Vide ibi.* Et generaliter loquendo, debet Confessarius cum omnibus in occasione involuntaria viventibus se gerere in ordine ad absolutionem eo modo, quo se gerere debet cum habentibus habitum peccandi, ut dicit P. Torrecilla *fol. 63. n. 106.*

Quarta Conclusio.

293. DIco quartò, Ad hoc, ut occasio dicatur involuntaria non sufficit tantùm, ut detur causa utilis, aut honesta eam non fugiendi.

Et contrarium est damnatum in Propositione 62. Causa utilis, & honesta erit, tenere in domo amasiam; quia cum solicitudine, & affectu inservit, vel eam visitare extra domum ob convenientiam, & mundi observantiam.

Ad hoc, ut occasio dicatur involuntaria, debet esse causa urgens, & talis, ut sine gravi inconvenienti v.g. perdendi vitam, honorem, aut quantitatem bonorum temporalium nequit evitari. Sic cum D. Basilio, D. Thomâ, Soto, Navarro, & multis alijs P. Torrecilla *fol.* 93. *Concl.* 4. *num.* 64. *&* 65. & me citato P. Emanuel *de Pœnit. disp.* 2. *q.* 19. *num.* 246.

294. Ex relata doctrina infertur quòd moribundus habens in propria domo concubinam, ut in infirmitate ei assistat, non possit absolvi, nisi eam domo ejiciat, propter scandalum tam activum, quàm passivum eam retinendo. Ita Lumbier *super Propositionem* 41. *damnatam ab Alexandro VII. fol.* 446. *num.* 828. Ratio est; quia non habet causam necessariam detinendi concubinam in domo, cùm aliæ ad talia servitia facienda facilè inveniantur. Hoc idem dici debet de concubinario visitante suam amasiam infirmam cum nota, & admiratione Populi, licèt extra suam domum moretur. Ratio est; quia visitare est solùm causa utilis, aut honesta, non verò necessaria.

295. Infertur secundò, quòd minus debeat absolvi nolens expellere amasiam, aut perseverans in ejusdem visitatione, solùm ex eo, quòd videatur, ipse aut fœmina infamiam pati. Ratio est: quia hæc causa est solùm utilis non reddens occasionem involuntariam, estque tantùm fictio quædam ad fovendam passionem per infamiæ imaginationem; quia nihil frequentius accidit, imò ordinariò contingit, Dominum cum famula altercari, & exinde eandem domo ejici, & tamen tunc cessat respectus infamiæ, & humanæ garrulitatis: ergo, quando agitur de salute animæ, ridiculum erit, simili respectu duci, & vitium velamine fictæ necessitatis cooperire. Sic noviss. tradit, me citato, P. Emanuel *supra q.* 12. *num.* 185.

296. Infertur tertiò, quòd, si Confessario non Parocho exauditio confessionum sit peccandi occasio, debet hoc officium relinquere. Ita Joannes Sanchez *in select. disp.* 10. *n.* 18. Quia talis Confessarius non habet urgentem causam exaudiendi confessiones, sed ad summum utilem, & honestam: ergo ejus occasio erit voluntaria. Quo ad Parochum verò est disparitas; quia, cùm ex officio suis Parochianis Pœnitentiæ Sacramentum administrare debeat, in eo occasio peccandi per confessiones oblata non erit amplius voluntaria, & per consequens poterit absolvi, licèt officium non relinquat, nec ab exaudiendis Confessionibus desistat.

Juxta

Juxta hunc modum possunt alij multi similes casus exemplificari. Ita Emanuel citando me, *ibid. q.* 14. *n.* 216.

Quinta Conclusio.

297. DIco quintò, si vivens in occasione proxima voluntaria veniat cum dolore extraordinario causato ab admonitionibus Confessarij, aut ab aliqua concione, aut viso aliquo infortunio, poterit absolvi cum proposito evitandi occasionem, licèt aliàs in alijs occasionibus non observaverit hoc propositum, ut supra dictum est de habitu peccandi *num.* 242. Ita cum Layman, Lugo, Tamburino, & alijs P. Matthæus Moya *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 7. *q.* 7. *n.* 8. Ratio est; quia, quamvis Pœnitens in alijs occasionibus suum propositum fuerit transgressus, illud tamen non fuit ita efficax, quale est hoc de præsenti: ergo Confessarius poterit judicare eum habere verum propositum, & paratum esse ad observandum, consequenter absolvi potest.

Sexta Conclusio.

298. DIco sextò, quando res jam sunt taliter mutatæ, ut non sit amplius occasio id, quod antea talis erat, poterit Pœnitens absolvi, v. g. si amasia jam sit facta deformis: aut senicula, aut idem Pœnitens multis orationibus, & mortificationibus incumbat. Ita cum Sanchez, Leandro, & alijs Torrecilla *fol.* 97. *num.* 102. Hoc idem dicendum, quando commune domicilium cum amasia, aut frequens solius Pœnitentis ad eam accessus erat ipsi occasio peccandi; nempe, si postmodum alios secum in societatem ducat, jam occasio proxima cessavit, adeóque absolvi poterit; nisi forte peccata hujus Pœnitentis essent meri consensus in cogitationes, tunc enim, sicut ab his eum non potest societas præservare, sic nec occasio proxima ob societatem cessaret.

Advertentia.

299. ADmoneo PP. Confessarios, ut cum aliquo rigore in ordine ad absolutionem procedant cum viventibus in occasione voluntaria, quia indubitatum est, quòd plurimæ animæ in Diaboli retibus obstrictæ maneant ex eo, quòd Confessarius eas non obliget ad se abstrahendum, & ejiciendum à se amasiæ vultum, quo Dœmon homines ad innumerabilia allicit peccata. Viventibus verò in occasione proxima involuntaria media salutifera ad emendationem conducentia suggerant, quæ videri possunt *supra in fine Dialogi tract.* 9. *cap.* 2.

PROPOSITIO LXIII.

Damnata.

Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

300. ALiud est quærere occasionem peccandi directè, &

aliud indirectè. Quærere directè est, quando *primò*, *& per se* occasio quæritur, & *secundariò*, aut *quasi per accidens* quæritur bonum spirituale, vel temporale: v. g: qui haberet amicitiam illicitam cum quadam fœmina, ad satiandum suum venereum appetitum, & præter hunc ad succurrendum ipsi cum alimentis necessarijs; talis diceretur occasionem quærere directè, indirectè vero sustentationem fœminæ. Quærere occasionem indirectè tunc dicitur, quando primò intenditur aliquod bonum spirituale, vel temporale, secundariò verò occasio: v. g. Pater Familias assumens quamdam famulam pro servitio domûs cum periculo vivendi cum ea luxuriosè, hic directè quærit servitium famulæ, indirectè verò occasionem peccandi. R. P. Fr. Emanuel *loco cit. q.* 20. *num.* 281. Non consentit huic explicationi modo, qui est inter directè, & indirectè quærere occasionem. Et *num.* 261. *&* 263. Assignat alium modum, qui minus mihi placet, ut dicam in 2. part. hujus praxis super Propositionem 41. damnatam ab Alexandro VII. Hoc supposito.

301. Dico, quærere occasionem proximam directè, damnatur in hac Propositione, non autem quærere eam indirectè, constat ex ipso Propositionis textu: & probatur, quia quærere occasionem directè, est quærere formaliter peccatum; quærere autem eam indirectè est solùm ejusdem permissio, quando eam evitandi non est obligatio: atqui nunquam est licitum quærere formaliter peccatum, benè verò illud permittere, quando illud evitandi non est obligatio: ergo &c.

302. Dico secundò, quamvis quærere indirectè occasionem peccandi non sit damnatum in hac Propositione 63. erit tamen peccatum mortale quærere eam indirectè, quando nulla urget necessitas, sed solùm utilitas, aut honestas. Et dicere contrarium est contradicere damnationi Propositionum 61. & 62. in quibus damnatur assertum, quòd constitutus in occasione proxima peccandi, quam potest, & deserere renuit, possit absolvi, & quòd ad eam non deserendam aliqua causa utilis, aut honesta sufficiat: ergo non intervenientè causa urgente multò minùs licitũ erit quærere indirectè occasionem peccandi.

Ex hoc infertur, non esse licitum pergere inter infideles pro officio prædicationis exercendo cum suæ eversionis periculo, nec inter meretrices cum periculo violandi castitatem, quando hoc munus concionandi non competit ex obligatione. Probatur; quia talis solùm habet causam utilem, aut honestam ad hoc exercitium subeundum, non autem urgentem, ut diximus in explicatione Propositionis præcedentis *concl.* 4. *num.* 296. de eo, qui solùm ex devotione cum periculo incontinentiæ confessiones exaudit.

203. In-

203. Infertur secundò, quòd Parochus possit adire infirmos ad Sacramenta ijs administranda, aut instruendos in doctrina Fidei, licèt in eorum domibus obviaret ipsi aliqua occasio, & periculum peccandi; quia hic primò quærit solùm indirectè illam occasionem, secundò talis occasio est ipsi involuntaria ratione suæ obligationis, & officij.

204. Infertur tertiò, quòd Mercatores, Notarij, aut alij officiales non obligentur ad relinquendum suum officium quando necessitatem habent illud exercendi pro eorum, & propriæ familiæ sustentatione, licèt talia officia ipsis sint occasio peccandi. Ita cum Suarez, Hurtado, Sanchez, & alijs Torrecilla *fol* 49. *num.* 80. Quia similes directè intendunt exercere eorum officium, indirectè verò occasionem, quæ illis est involuntaria ratione officij. Si verò cum hac occasione involuntaria etiam haberent habitum peccandi, tunc debet observari, quod dictum est in Propositione 60. videantur etiam aliæ doctrinæ circa occasionem proximam *in 2. part. hujus praxis propositione 41. damnatâ.*

Propositio LXIV.

damnata.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JEsu Christi.

Propositio LXV.

Damnata.

Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

205. Suppono, quòd necessitate medij teneamur expressè credere DEUM unum esse, & Remuneratorem esse. Et in opinione probabiliori (quamvis contraria non sit damnata) etiam Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, ita ut, qui ignorat id, quod est necessarium necessitate medij (licèt inculpabiliter ignoret) non possit salvus fieri. Necessitate præcepti tenemur credere fide explicita omnia in Symbolo Apostolorum contenta; & qui hæc inculpabiliter ignorat, potest salvari: hoc suppositio.

206. Dico, qui culpabiliter ignorat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, & alia in symbolo Apostolorum contenta, est incapax absolutionis, & contrarium est damnatum. Probatur conclusio: quia ignorare culpabiliter id, quod necessitate medij credendum est, ut sunt Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, est peccatum mortale: atqui Pœnitens in peccato mortali perseverans, dum confitetur, est incapax absolutionis: ergo &c.

207. Ex quo infertur, quòd si Confessarius Pœnitentem Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis in confessione instruere potest, poterit eum absolvere cum firmo proposito apprehendendi cætera. Verùm, si Pœni-

Pœnitens, cui Confessarius in alijs confessionibus cætera fidei Mysteria addiscenda imposuit, id neglexit, dimittendus est absque absolutione, usque dum ea addiscat, sicut dimittitur ille, qui consuetudinem peccandi habet, aut culpabiliter restitutionem omittit. Ita Torrecilla supra hanc Propositionem *fol.* 459. *concl.* 3. *num.* 6.

Et ratio, cur ad absolutionem necessarium sit, ut expressè sciat Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, & sufficiat, ut cætera addiscenda sibi proponat, est; quia prima duo sunt necessaria necessitate medij, alia verò non. Quòd autem requiratur, ut cætera addiscendi propositum habeat, probatur; quia eorum ignorantia culpabilis est peccatum mortale: atqui Pœnitens omnia peccata mortalia evitandi propositum habere debet: ergo &c.

308. Dico secundò, Propositio 65. duos sensus habere potest; unus sensus est; quòd sufficiat se sciviſſe semel in vita Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis; licèt postea eorum fuerit culpabiliter oblitus; alius est, quòd tantùm semel in vita expressum fidei actum elicuisse sufficiat, licèt postea non amplius eliciatur, & in utróque hoc sensu est damnata; ut cum Hozes, & Lumbier dicit P. Torrecilla *fol.* 461. *num.* 2. & 3.

309. Dico tertiò, quamvis ignorans Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis sit incapax absolutionis, ut dictum est; nihilominus non est necessarium, ut, quandocúmque Pœnitentiæ Sacramentum frequentat, expressum actum Fidei eliciat, sed sufficiat horum Mysteriorum fides virtualis, ut cum Trüllench, & alijs dicit P. Torrecilla *ubi supr. num.* 5. quia aliud est ignorare illa Mysteria, & aliud est ea credere actualiter, & expressum actum Fidei elicere; eorum ignorantiam (declarat Sua Sanctitas) obstare absolutioni, non tamen dicit, esse necessarium, ut actus expressus eliciatur.

310. Dico tandem, quantumvis semper ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum fides explicita requiratur, unum DEUM esse, & Remuneratorem esse: attamen hic actus Fidei includitur in contritione, aut attritione: & sic sufficit elicere actum attritionis, vel contritionis absque directa elicitione actus Fidei de uno DEO remuneratore, ut dicit Ripalda *de ente supernat. tom. ult. num.* 461. & me citato sequitur P. Emanuel *in suo tract. de Pœnit. disp.* 2. *q.* 24. *num.* 300. Circa hoc punctum, & quando actus fidei *per se* obliget, videatur id, quod dico in explicatione Propositionis 16. & 17.

TRACTA-

TRACTATUS XI.
APPENDIX.

In qua compendiosè tractatur de casibus aliquibus Episcopis reservatis per leges particulares.

§. I.

Præmittuntur aliquæ advertentiæ generales spectantes ad casuum reservationem.

1. *Advertentia* 1. Reservatio casuum nihil est aliud, quam subtractio jurisdictionis Confessarij ab eis absolvendi. Ex his casibus aliqui sunt reservati cum censura, & tales sunt omnes casus Summo Pontifici reservati; alij verò sunt reservati sine censura, qui per leges particulares sunt Episcopis reservati.

2. *Advertentia* 2. Casus Episcopis reservati aliqui sunt reservati per jus commune, & alij per jus particulare. Per jus commune sunt Episcopis reservati omnes casus Papæ reservati, quando sunt occulti; ut dicit Sacrum Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 6. *Liceat Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua in foro conscientiæ gratis absolvere.* An autem vi hujus facultatis possint modo Episcopi absolvere à casibus occultis Bullæ Cœnæ, & ab Hæresi, dictum est in Dialogo *tract.* 1. *cap.* 1. Et utrum vi Bullæ Cruciatæ absolvi possint, *toties, quoties* videatur in eodem loco Dialogi, ubi etiam decisum fuit, utrum à Regularibus vi suorum Privilegiorum absolvi possint.

Alij casus sunt per legem particularem Episcopis reservati: & hi sunt illi, qui in synodo cujuscumque Episcopatûs reservantur, à quibus per Privilegium Bullæ possunt Pœnitentes absolvi, *toties, quoties*; attamen, qui Bullam non habent, non possunt à dictis casibus absolvi absque speciali Episcopi commissione.

3. *Advertentia* 3. Episcopi possunt sibi reservare casus in synodo, & extra synodum. Reservatorum in synodo durat reservatio, licèt moriatur, aut cedat suo officio Episcopus, quia hi reservantur *per modum statuti, vel constitutionis*: Reservatorum verò Episcopo extra synodum, in, vel extra visitationem, cum, vel sine censuris cessat reservatio mortuo Episcopo, aut ejus Sede vacante; quia isti reservantur *non per modum statuti, sed per modum præcepti particularis.* Ita Fagundez, Sanchez, & alij, Diana *p.* 6. *tract.* 6. *resol.* 41. quamvis ejus reservatio sit postmodum permansura, si succedens Episcopus reservationem sui prædecessoris confirmet.

4. *Advertentia* 4. In articulo mortis quivis Sacerdos simplex potest absolvere ab omnibus censuris, & casibus tam Papæ, quàm Episcopo reservatis, etiam ab Hæresi, licèt infir-

mus nullam habeat Bullam : cum hoc tamen discrimine, quòd, si peccatum fuit reservatum cum censura, & Pœnitens ab infirmitate liberetur, teneatur se præsentare Superiori, cui est reservata censura, nisi vi Bullæ fuisset absolutus, tunc enim se præsentare non tenetur. Qui verò in articulo mortis fuit absolutus à casibus reservatis absque censura, ad se præsentandum Superiori non obligatur: Suarez, & alij citati à Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 199.

5. *Advertentia* 5. Qui incurrit aliquem casum reservatum, advenit autem causa impediens recursum ad Ordinarium, si instat præceptum communionis, aut necessitas communicandi, vel celebrandi, ad evitandum scandalum potest indirectè absolvi à casibus reservatis à quocúmque Confessario ab Ordinario approbato. Ita Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 304. *fol. mihi* 202. ablato verò impedimento obligatur Pœnitens ad præsentationem. Ita Avila *de Censuris* 2. *part. cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4.

6. *Advertentia* 6. Pro priori Regulares absolvere poterant ab omnibus casibus per jus particulare Episcopis reservatis vi Bullæ Pauli 3. quæ incipit *Inter cunctos*. Concessæ PP. Societatis JESU : quam testatur vidisse authenticam in Collegio Societatis Valentiæ P. Fr. Emanuel Rodriquez *ad finem Bullæ Cruciatæ*. Et hæc fuit opinio ejusdem Rodriquez, Villalobos. Suarez, & aliorum quos citat, & sequitur R. P. Leander à Murcia Capucinus *super lib.* 7. *Regulæ N. P. S. Francisci*, *q.* 8. *select. num.* 28. Modò verò hæc opinio practicari nequit; quia est damnata ab Alexandro VII, *sub die* 14. *Septembris*, *Anno* 1685. *in Propositione* 12.

7. *Advertentia* 7. Aliqui casus reservantur *in odium*, *& pœnam peccati*; alij *in medicinam animarum*: respectu reservatorum per modum pœnæ, non incurrit reservationem, qui ignorat esse reservatos, licèt sit ignorantia culpabilis, dummodò non sit crassa, vel supina. Ita Murcia *in disq. Moral. tom.* 3. *lib.* 2. *disp.* 4. *resol.* 20. *n.* 29. Eorum verò, qui reservantur per modum medicinæ, incurrit reservationem, qui ignorat esse reservatos, licèt ignorantia sit invincibilis, secundùm communem Theologorum opinionem apud Moyam *in select. tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 8. *q.* 3. *num.* 2. Licèt etiam secundùm aliquos sit probabile, omnem reservationem esse pœnam, & eum, qui aliquod peccatum reservatum committit, si ignorat ejus reservationem, hanc non incurrere. Ita cum Navarro, Grafis, & Januario, Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 63. Etiam Moya eam ut probabilem tenet, quamvis ipsemet contrariam sequatur *ubi supra n.* 5.

8. *Advertentia* 8. In casu dubio, an casus sit reservatus, vel non, censendum est, non esse reservatum; quia

quia reservatio est odiosa, & ad solos casus certos restringi debet. Ita Barbosa *de potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 51. *sub. num.* 3. §. *Jure igitur, in fine.* v. g. abortus est casus reservatus, Petrus dat fœminæ Consilium ad faciendum abortum, dubitat, an per suum consilium fuerit secutus abortus, vel non: in casu dubio Petrus reservationem non incurrit.

9. *Advertentia* 9. Quandocúmque peccatum non est mortale ob defectum deliberationis, ignorantiæ, aut ob parvitatem materiæ, non est reservatum; quia peccata venialia nunquam reservantur, neque peccata merè interna actuum intellectus, aut voluntatis.

10. *Advertentia* 10. Omnes Confessarij ad exaudiendas confessiones expositi debent habere notitiam casuum Episcopis reservatorum; quia potest aliquis Pœnitens cum aliquo casu reservato ante eorum pedes comparere; & si Confessarius eum ignoret, procedet ad absolutionem absque habita jurisdictione. Nec valet dicere, communiter ab omnibus haberi Bullam, & vi hujus posse absolvi; quia falsum est, omnes habere Bullam; ego enim reperi multos eam non habentes; & sufficit, quòd contingere possit, aliquos eam non habere, ut Confessarius eorum ignorantiâ laborare non debeat.

11. Casus Episcopales in cujuscúmque Episcopatûs Synodis haberi possunt. Diligentiam adhibui habendi notitiam casuum in Episcopatibus vicinioribus reservatorum, eósque hic ponere ad auferendum laborem perquirendi Synodos non semper eos ante manus habentes una cum eorũ explicatione bonum duxi.

§. II.

Casus reservati in Episcopatu Pampelonensi in ultima Synodo ab Illustrissimo Domino Domino Bernardo Roxas Anno 1591. Celebrata, quos etiam Synodalis refert lib. 5. cap. 15. fol. 145. & sunt sequentes.

1. *Hæreticus habens aliquam opinionem hæreticalem, aut sentiens malè de fide, quo ad peccatum tantùm.*

Nota 1. Dicitur quo ad peccatum tantùm; quia Hæresis habet annexam excommunicationem majorem Papæ reservatam in primo Canone Bullæ Cœnæ: & in Hispania est Tribunali Inquisitionis reservata: Hoc, quod hic sibi reservat Episcopus, est peccatum secluſa censura, præterea notandum est, quòd, si hæresis non sit externa, non sit reservata, nec per eandem excommunicatio incurritur.

2. *Sortilegus, aut Incantator, aut Necromantes faciens circulos, aut invocans Dæmones; ut compareant animalia, res perditæ, aut propter alia.*

Nota 2. Sortilegus dicitur ille, qui per usus sortium res occultas præteritas, aut futuras divinat, de quo Lex Canonica loquitur *in tit. de sortileg.*

in Decretalib. & in cap. non observatis 26. *q.* 7. Videatur Azorius *in instit. Moral. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 21. Incantator vocatur ille, qui per artem magicam decipit transmutando res, & sensus, sanando superstitiosis orationibus, &c. Ut videri potest in P. Murcia *super* 7. *cap. Regulæ N. P. S. Francisci cap.* 8. *num.* 3. Necromantes vocatur ille, qui per umbras, aut cadavera casus venturos prosperos, aut adversos divinat. de quo tradit Martinus de Rio *in disq. magic. lib.* 2. *q.* 26. *sect.* 1. *& seq. & lib.* 4. *cap.* 1. *q.* 6. *sect.* 2. Omnes hi reservationem hujus casus incurrunt.

3. *Abutens Chrismate, aut Sacramento Eucharistiæ, aut alia re sacra ad faciendum aliquod malum.*

Nota 3. Abuti SS. Eucharistiæ Sacramento per artes magicas est delictum, quod sapit hæresim; ut clarè dicit Glossa *verb. saperent, in cap. accusatus* §. *Sanè de hæret. lib.* 6. Tam iste, quàm alius cujuscúmque rei sacræ abusus ad faciendum malum cum arte magica comprehenditur in casu, de quo hic Synodus loquitur.

4. *Sepeliens in Ecclesia, aut cœmeterio aliquem, quem scit esse excommunicatum, aut interdictum, aut publicum usurarium.*

Nota 4. Sepeliens excommunicatum, aut interdictum declaratur excommunicatus *in Clementina* 1. *de sepult.* Nomine sepeliens non intelliguntur illi, qui cadaver portant, nec clerici cantantes, nec alij associantes: ita Caspensis *tom.* 2. *tract.* 25. *disp.* 2. *sect.* 6. *num.* 65. sed solùm ille, qui id ad sepulchrum ponit, nec incurrunt censuram, & consequenter nec reservationem imperantes, ut sepeliatur; ut contra Suarez docet Avila *cap.* 6. *disp.* 6. Per publicum usurarium intelligitur ille, qui per Judicem competentem declaratur, aut pro tali punitur: vel quando major Populi pars scit, eum esse usurarium. Hoc vocatur notorium facti, illud autem Juris.

5. *Missam celebrans in excommunicatione, quo ad absolutionem a peccato.*

Nota 5. In excommunicatione celebrans præter peccatum incurrit etiam irregularitatem *ex cap. de Clerico excom. ministrante.*

6. *Missam celebrans, aut persolvens aliud officium Divinum in præsentia pro excommunicato declarati, quo ad peccatum.*

Nota 6. Præter peccatum incurrit talis excommunicationem majorem. Barbosa *de potest Episc. p.* 3. *alleg.* 50. *num.* 88. Ubi videntur conditiones ad hanc excommunicationem incurrendam necessariæ.

7. *Excommunicatus à Judice nolens egredi de Ecclesia, ubi Divina officia celebrantur.*

Nota 7. Excommunicatus, qui recusat egredi de Ecclesia, quando Divina officia celebrantur, incurrit præter hujus casûs reservationem etiam excommunicationem, ut videri

deri potest in Synodo hujus Episcopatûs *lib.* 5 *cap* 3. *fol.* 147.

8. *Sciens Ecclesiam esse interdictam in eâdem celebrat, quo ad peccatum.*

Nota 8. Qui hoc facit, incurrit etiam irregularitatem. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 25. *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 41. Si verò ignorat interdictum, licèt sit cum ignorantia crassa, non incurrit irregularitatem, nec reservationem; quia ad hoc verbum sciens requiritur certa scientia, ut dicit Caspensis *ubi supr. disp.* 1. *sect.* 8. *n.* 112.

9. *Celebrans non jejunus.*

Nota 9. Hic casus non loquitur de sæculari, qui non jejunus communicat: licèt gravissimè peccet, si cum advertentia faciat, casum reservatum tamen non incurret.

10. *Celebrans in Altari non consecrato, aut sine vestibus benedictis.*

Nota 10. Celebrare in Altari nõ consecrato sine dubio est culpa gravis, & ut talis reservata in Episcopatu Pampelonensi; etiam celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo non benedicto absque necessitate, ut dicit Bonacina *disp.* 4. *de Sacram. q. ult. punct.* 9. *num* 27. Sed in casu gravis necessitatis potest quis celebrare sine aliqua ex prædictis, aut cum non benedictis; ut cum Suarez, Ledesma & alijs dicit Diana *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 57. Henriquez pariter ait *lib.* 9. *de Missa cap.* 29. *num.* 5. Sylvester *verb. Missa* 1. *num.* 2. quòd sine necessitate absque cingulo celebrare sit solùm peccatum veniale ob parvitatem materiæ. Hoc idem est, si cingulum sit fractum, aut colligatum: Et Villalobos *part.* 1. *Sum. tract.* 8. *diffic.* 28. *num* 3. dicit, stolam posse adhiberi pro manipulo, & manipulum pro stola: In his enim casibus, in quibus non est peccatum celebrare absque aliquo dictorum ornamentorum, aut cum non benedictis, vel est solùm peccatum veniale, non erit casus reservatus; quia peccata venialia nunquam reservantur: ut dictum est supra §. 1. *Advertentia* 9. *num.* 9.

Videatur id, quod circa materiam Missæ fusè tradam *in* 2. *part. hujus proxis tract.* 12. *cap.* 4. *per totum.*

11. *Baptizans proprium filium, aut filiam sine necessitate, aut ipsi assistens in Baptismo, vel Confirmatione tanquam Patrinus.*

Nota 11. Qui sine necessitate proprium filium Baptizat, aut est ejus Patrinus in Baptismo, vel Confirmatione, præter peccatum reservatum privatur etiam potestate petendi debitum à sua consorte.

12. *Recipiens Ordines ab Episcopo extraneo absque licentia proprij, quo ad peccatum.*

Nota 12. Qui ordinatur ab extraneo sine legitimis dimissorijs manet suspensus ab ordine suscepto ad arbitrium sui proprij Episcopi, ex Trident. *Sess.* 23. *cap.* 8.

13. *Recipiens Ordines per saltum omittendo aliquem Ordinem intermedium.*

Nota 13. Qui per saltum est ordinatus, manet etiam suspensus ab usu Ordinis suscepti, & inhabilis ad suscipiendum alium Ordinem superiorem, *ex cap. Solicitand. disp.* 52.

14. *Violans libertatem, aut immunitatem Ecclesiasticam.*

Nota 14. Qui faciunt Leges, aut statuta, quæ immunitati Ecclesiasticæ præjudicant incurrunt excommunicationem majorem Bullæ Cœnæ. At hic casus non loquitur de his, sed de illis, qui absquè Lege, aut statuto libertatē Ecclesiasticam violant: v. g. qui reum ex Ecclesia abripit sine legitima authoritate. Barb. *ubi supra alleg.* 51. *num.* 72.

15. *Committens simoniam quocúmque modo, quo ad absolutionem à peccato; quia dispensatio, aut habilitas ad Papam pertinet.*

Nota 15. Qui committunt simoniam in suscipiendo Ordine, aut Beneficio, incurrunt excommunicationem majorem reservatam Papæ *per extravagant. Martini, Eugenij, Pauli* 2. & receptio simoniaca Beneficij nulla est, Quæ pœnæ *ipso facto* non incurruntur, quando simonia est solùm mentalis, aut conventionalis, sed quando est realis, ut cum Covarruvias, & Navarro docet Rodriquez *in Sum. cap.* 58. *fol.* 155. & 156. Hoc idem dicitur de reservatione, quòd solùm in simonia reali incurratur. Quia hic casus loquitur de simonia, propter quam dictæ pœnæ incurruntur, ut constat ex ipso Textu: atqui, ut dictum est, hæ pœnæ solùm incurruntur in simonia reali: ergo propter hanc solummodò incurritur reservatio. Deinde etiam, quia ad incurrendam reservationem requiritur peccatum completum juxta tenorem Legis sibi eam reservantis, ut docet Sylvester *verb. Casus q.* 5. Henriquez *in Sum. lib.* 6. *c.* 14. *num.* 5. Atqui sola simonia realis est completa: ergo solummodo hæc erit reservata.

16. *Excommunicatus ab Episcopo, aut suis Ministris.*

Nota 16. Hoc intelligitur, quando Episcopus, aut ejus Officiales hanc excommunicationem sibi reservarunt. Quia si non est reservata, quivis Confessarius approbatus potest ab ea absolvere; si tamen excommunicatio sit imposita per sententiam generalem; quia si imponitur per sententiam particularem, solùm ille, qui eam imposuit, ab ea absolvere poterit. Videatur P. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 25. *disp.* 2. *sect.* 12. *num.* 131. P. Emanuel est opinionis contrariæ *num.* 895. dicendo, quòd, quamvis Episcopus non sibi reservet excommunicationem, maneat tamen reservata: quod mihi nimis durum videtur, si de excomunicatione per sententiam generalem fulminatâ intelligitur.

Dices cum P. Emanuele, si Episcopus excommunicationem sibi reservat, jam erit reservata: ergo otiosus erit casus reservatus, in quo ponitur

nitur excommunicatio fulminata ab Episcopo, aut suis Officialibus. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam: solutio enim est clara juxta modò dictum; quia Episcopus, aut ejus officiales possunt excommunicationem fulminare per sententiam generalem, aut particularem; si per sententiam generalem fulminetur, & nulla fiat mentio de ejus reservatione, reservata non erit, nec ob hunc reservationis casum, nec ob suam fulminationem: Si verò fulminetur per sententiam particularem, manebit reservata, (quantumvis in impositione non fuerit expressum) vi reservationis hujus casûs, ex quo clarè patet, hunc casum reservatum non esse otiosum.

17. *Falsificans aliquod instrumentum vel testimonia.*

Nota 17. Hunc casum reservatum non incurrunt, qui præbent consilium, aut imperant, ut instrumenta, aut testimonia falsificentur; Neque hic casus loquitur de illis, qui faciunt sigilla falsa, sed de illis, qui eis utuntur, & falsas scripturas obsignant: nec incurrunt hunc casum, qui falsificant Secretariorum scripturas, sed tantùm, qui falsificant eorum sigillum. Ita Palaus *tom. 2. tract. 24. disp. unic. punct. 14. num. 20.* Quia scriptura sine sigillo non facit fidem, nec est fide digna.

18. *Vulnerans, Patrem, Matrem, aut Avum, vel ponens manus violentas in eos.*

Nota 18. Ad incurrendum hunc casum reservatum requiritur, ut percussio sit peccatum mortale. Ut autem censeatur, percussionem esse peccatum mortale, non solùm ad gravitatem actionis, sed etiam ad circumstantiam reverentiæ Genitoribus debitæ attendi debet: Illa enim actio, quæ respectu alicujus extranei esset levis, gravis erit respectu Genitorum. Attamen non sufficit ad hunc casum reservatum incurrendum, ut filius solùm elevet manus ad infligendum ictum suis Parentibus; licèt aliàs hæc actio sit peccatum mortale. Ita Gambarupta *de casibus reservat. fol. 211. num. 2.* Barbosa *de potest Episc. p. 3. alleg. 51. num. 133.* Neque incurrit hunc casum reservatum, qui Genitores suos verbis malè tractat; licèt tunc peccet mortaliter; quia percussio est reservata, malè loqui autem non est percutere.

19. *Homicidium voluntarium, consilium, & auxilium ad illud, quo ad peccatum.*

Nota 19. Si homicidium in effectu sequitur, manet irregularis, tam occidens, quàm ad occisionem cooperans. Sed morte non secutâ non incurritur irregularitas, nec reservatio. Et si dans consilium ad mortem illud revocavit, dissuasitque occisori, antequam mors sequeretur, non incurrit hunc casum reservatum, nec irregularitatem. Caspensis *tom. 2. tract. 15. de Censuris disp. 1. sect. 3. num. 60.*

20. *Qui*

20. *Qui occidit aliquam prolem, aut sufficavit eam opprimendo, aut alio modo ex negligentia, eam non custodiendo, aut non quærendo.*

Nota 20. Ad incurrendum hunc casum reservatum est necessarium, ut ex culpa, aut negligentia, quæ sit peccatum mortale, mors creaturæ sequatur; quia ubi non est culpa gravis, ibi non est reservatio. Etsi cum inadvertentia invincibili non prævisa nec culpabili mors sequeretur, non incurritur reservatio hujus casûs. Sic docet me citato P. Emanuel *supra n.* 896.

21. *Procuratio, aut cooperatio ad abortum, vel ad sterilitatem in se, vel in alia persona.*

Nota 21. Procurantes abortum per consilium, auxilium, potum, aut alio modo, incurrunt excommunicationem latam à Xisto V. in Bulla, quæ incipit, *Effrænatam*, quæ moderata fuit in aliquo à Gregorio 14. Videatur *in Dialogo tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 34.; à qua excommunicatione absolvi potest vi Bullæ Cruciatæ. Dictam excommunicationem non incurrunt procurantes, aut dantes consilium, vel auxilium ad reddendam sterilem fœminam, quamvis reservationem hujus casûs incurrant procurantes tam steritatem, quam abortum. Ad incurrendam reservationem non requiritur, ut abortus sit in effectu secutus, sufficit enim, quòd fœmina in hunc finem suam adhibuerit diligentiam, qua adhibitâ tam ipsa, quàm illi, quorum consilio eam diligentiam adhibuit, dictam reservationem incurrunt; ut dictum est *in Dialogo loco cit. num.* 35. & advertit P. Murcia *in* 7. *regul. cap.* 13. *num.* 4.

22. *Qui quærit occidere suam uxorem, animo ducendi aliam: aut suum Maritum, animo nubendi alteri.*

Nota 22. Qui occidit propriam consortem animo, & verbo sibi desponsandi aliam, incurrit impedimentum *Criminis*, de quo dictum est *in Dialogo tract.* 6. *cap.* 8. *part.* 5. *num.* 86. verùm ad incurrendum hunc casum reservatum non est necessarium, ut mors in re sequatur; sufficit enim, quòd adhibeantur ad illam media, per quæ completur effectus solicitationis ad mortem, de quo reservatio loquitur.

23. *Incestus cum consanguinea, aut affine intra quartum gradum.*

Nota 23. Ad incurrendam reservationem hujus casûs non sufficit solùm solicitare consanguineam, aut habere cum ea tactus, oscula, nec copula inchoata, sed requiritur copula consumata.

24. *Copula cum Moniali, aut Religiosa, & cum Religioso, aut Monacho.*

Nota 24. Ad hoc ut peccatum sit reservatum, requiritur pariter, ut copula cum Moniali sit consumata. Et quivis sæcularis habens copulam cum Moniali incurrit reservationé. Attamen, ut eandem incurrat Monialis, necessarium est, ut ejus Monaste-

nasterium sit Episcopo subjectum; si enim esset subjectum alicui Ordini Regularium, non incurrit hunc casum reservatum; quia Episcopus non potest sibi reservare casus respectu eorum, qui non sunt ejus subditi: Sed possunt Prælati Ordinum sibi reservare hunc casum, ut communiter reservari solet.

25. Peccatum contra naturam, maximè cum bestiis.

Nota 25. Nomine peccati contra naturam intelligitur sodomia, pollutio, & bestialitas. Quidquid quo ad pollutionem aliter sentiat P. Emanuel *disp. 6. q. 11. num.* 884. Et ad incurrendam hanc reservationem non sufficit tantùm tentare pollutionem, sodomiam, & bestialitatem, si in effectu non sequitur seminis effusio: sic sentit mecum P. Emanuel *ibid.* Notandum est, non esse reservatam pollutionem, licèt voluntariam, quando procedit solùm à cogitatione, aut voluntate lasciva; sed requiritur, ut à causis extrinsecis, aut tactibus in se ipso, aut cum tertia persona proveniat. Ita Leander de Murcia *in explicat. Regulæ Seraphicæ supra cap 7. cap. 16. n. 1.* Emanuel de Concept. citando me *ibid. num.* 885.

Quamvis dictus P. Fr. Emanuel *num.* 884. probabilius esse censeat, quòd in hoc casu non intelligatur reservata pollutio voluntaria externè procurata, in quo meæ opinioni favet approbando eam probabilem, quando suam contrariam appellat tantùm probabiliorem. Sed salvâ pace, & bonâ tanti viri venià fateor, ejus opinionem notabilem generare difficultatem, quam enucleabo in sequentibus propositionibus, in quibus refutabo fundamenta suæ opinionis, cui assentiri non possum.

Probat *num.* 880. suum assertum ex Decreto Clementis 8. edito anno 1602. 26. Novembris, quod refert Barbosa *part. 3. de potest. Episcopal. alleg.* 50. *num.* 288. in quo Decreto deciditur, ne Episcopi tam facilè ad reservationem casuum procedant, & ut solùm sibi reservent atrociores, & graviores, prout judicaverint bono communi convenire, taliter, ut reservatio non sit in destructionem, sed ædificationem.

Quapropter per hujus Decreti allegationem intendit probare, quòd Episcopi non possint sibi reservare pollutionem voluntariam, aut quòd de facto reservata non sit. Existimo tamen, eum nolle probare, quòd pollutio voluntaria reservari non possit: primò; quia est delictum sufficienter grave, ut Episcopi sibi reservare possint: secundò; quia in Episcopatu Calahorrensi, Archiepiscopatu Burgensi, & in Episcopatu Pampelonensi reservatur in casu 23. Incestus cum quacumque consanguinea intra quartum gradum, in casu 26. Stuprum, & in casu 28. copula cum filia spirituali ex confessione (est enim valde probabile, quòd

hæc circumstantia non mutet speciem, ut notavi super hunc casum in Natâ 28. Appendice citata) Sed sic est, quòd pollutio sit his enormius peccatum, & gravius quàm Incestus, ut expresse tenet S. Thomas 2. 2. *q.* 244. *art.* 12. *in corpor.* his verbis: *Quia ergo in vitijs, quæ sunt contra naturam, transgreditur homo id, quod est secundùm naturam determinatum circa usum venereum, inde est, quòd in tali materia hoc peccatum est gravissimum. Post quod est Incestus*: Ergo cùm Incestus reservetur, licèt minus quid grave quàm pollutio, poterit à fortiori hæc reservari tanquam quid gravius. ex quo P. Emanuel inficiari non poterit, quòd pollutio reservari possit, sed néque dicere, quòd defacto non sit reservata: Quod probatur; quia suppositò, quòd possit reservari, ut pateat, an defacto sit reservata, examinanda sunt verba, per quæ casus reservatur, quæ sunt sequentia: *Peccatum contra naturam, maximè cum bestijs*: quibus in verbis pro indubitato teneo comprehendi pollutionem, & probo sic: *Quia verba sunt interpretanda secundùm propriam significationem.* Surd. *decis.* 288. *num.* 27. quamvis hoc sit in materia odiosa, ut dicit una decisio Rotæ apud Farinacium *tom.* 1. *p.* 1. *decis* 352. *In materia quantumvis odiosa, non receditur à proprietate verborum*: Deinde: *Quia verba debent intelligi secundùm communem usum loquendi, leg. librorum, §. Quod tamen casus, ubi Bart. ff. de leg.* 3. Sed sic est, quòd hæc verba, *peccatum contra naturam* in toto rigore, & secundùm communem loquendi modum significent pollutionem, sodomiam, & bestialitatem: ergo, licèt reservatio sit materia odiosa, non potest pollutio excludi, ut in suis verbis nõ comprehendatur.

Confirmatur ex illo Glossæ *Arg. in cap. Ad audientiam de Decimis*: *A forma verborum sine certa scientia non est recedendum.* Sed sic est, quòd ad comprehendendam pollutionem, sodomiam, & bestialitatem forma verborum sit nominare peccatum contra naturam: ergo, cùm synodus in reservatione hujus casus usa fuerit hac verborum forma, quæ propriè significant pollutionem, sodomiam, bestialitatem, nulla ex his debet excludi sine certa oppositæ partis scientia: atqui talis scientia non datur ad excludendam ab ijs verbis pollutionem, ergo absquè ullo fundamento à reservatione excluditur.

Potest aliquis objicere, quòd, cùm Synodus expresè, & in specie nominaverit bestialitatem, dicendo in casu reservato, *maximè cum bestijs*, eadem videatur, excludere pollutionem. Respondeo negando assumptum; quia si hoc esset verum, sodomia quoque excluderetur à reservatione, siquidem eam non exprimit;

primit; Sed nemo dicit, nec dicet, quòd sodomia excludatur à reservatione, in hoc casu comprehensa: ergo nequè dici debet, nec potest, quòd excludatur pollutio.

Deinde, hoc verbum *maximè* non est exclusivum, sed ampliativum, ut cum decis. Rotæ, quam allegat Farinacius, notavit Augustinus, Barbosa *tract. de dictionib. verb. Maximè, tract.* 197. *num.* 5. *in impressione Leonensi* his verbis: *Statutum loquens, vel disponens aliquid, per verba expellentia genus, includit omnes species sub genere comprehensas, etiam quando enuntiatio aliquarum specierum fuit facta, modo fuerit facta cum hac dictione maximè, quæ ampliat*: Sed sic est, quòd verba statuti synodi Pampelonensis in præsentis casûs reservatione genus exprimant, dicendo, peccatum contra naturam: ergo in ijs comprehendi debet pollutio, sodomia, & bestialitas, quæ sunt species sub hoc genere contentæ, quâvis aliqua illarum expressa fuerit per hoc verbum *maximè*, ut exprimitur bestialitas.

Ex dictis patet, pollutionem sufficientè gravitatem, & deformitatem habere, ut possit ab Episcopis reservari; & secundùm textum verborû reservationis de facto esse reservatam in hoc Episcopatu Pampelonensi; ex quo ruit principale fundamentum opinionis P. Emanuelis *n.* 880. & 881. dicentis, hoc peccatum non esse reservatum in Episcopatu Pampelonensi.

Probat secundò P. Emanuel suam opinionem, dicendo, quòd in alijs Episcopatibus sint expressè reservata peccata bestialitatis, & sodomiæ, & in nemine pollutionem reservari; Sed hoc fundamentum non minus est ruinosam, quàm præteritum: primò; quia in nullo Episcopatu mihi noto tot casus sunt reservati, quot sunt in hoc, & in Calahorrensi, ejùsque Metropoli, ambæ enim Diœceses (excepto uno) habent eosdem casus reservatos numero 31: ergo non erunt verè reservati omnes 31.? negatur consequentia; quia, sicut reservatio pendet à voluntate rationabili Prælatorum, multitudo casuum reservatorum in uno Episcopatu non infert eorundem reservationem in alijs; & casus, cujus reservatio non convenit in una Provincia, necessaria erit in altera. Deinde in alijs Episcopatibus reservatur Incestus in primo, & secundo gradu, ut in Episcopatu Tarraconensi casu octavo, in Archiepiscopatu Toletano casu quarto, in Archiepiscopatu Cæsaraugustano casu septimo; in Episcopatu verò Pampelonensi reservatur Incestus usque ad quartum gradum in casu 23. ergo, licèt in alijs Episcopatibus solùm bestialitas, & sodomia reservetur, potuit in hoc etiam reservari pollutio. Nec valet dicere, quòd in reservatione hujus casûs in Episcopatu Pampelonensi non exprimatur pollutio; quia nequè exprimitur sodomia, tamen hoc non

obstante tenet eam pro reservata P. Emanuel, & cum ratione: ergo, licèt non exprimatur pollutio, debet pro reservata haberi.

Confirmatur, quia hæc verba *peccatum contra naturam* tantum significant, & ita sunt communia pollutioni, sicut sodomiæ: Sed sic est, quòd, cùm hæc verba significent sodomiam, eam teneat pro reservata P. Emanuel, quamvis non sit in casûs reservatione expressa: ergo cùm etiam hæc verba significent pollutionem, debet pro reservata haberi, licèt non exprimatur suo proprio nomine: Deinde, quia *diversitas circa eandem rem non debet induci, quia una, & eadem res non debet diverso Jure causari. Lege cum quis ædes ff. de usucap.* & hoc tenet Barbosa *in axiomata Juris, axioma 74. verb. Diversitas num. 4.* atqui verba generica: v. g. *peccatum contra naturam*: sunt eadem, & non diversa ad significandam pollutionem, & bestialitatem: ergo non debet fieri diversum judicium, dicendo, quòd significent in nostro casu sodomiam, non verò pollutionem,

Addit P. Fr. Emanuel *num. 883. Quia nullus, quem viderim, excepto P. Corella expressè asserit sub nomine peccati contra naturam, reservari mollitiem*: Potest esse, quòd P. Emanuel non viderit alium Authorem, quàm P. Corellam, qui typis mandaverit explicationem casuum reservatorum hujus Episcopatus Pampelonensis, nec alterius, in quo reservatur peccatum contra naturam eadem formâ, qua reservatur in hoc Episcopatu. Ego saltem fateor, me vidisse aliquos tractantes de casibus reservatis in communi, in particulari tamen non vidi quemquam explicantem hanc speciem casûs, *peccatum contra naturam, maximè cum bestiis*; nec P. Emanuel citat doctrinam expressam super hunc casum; si enim inveniret Authorem ad suum favorem, ejusdem allegationem puto, non prætermitteret.

Solùm refert, quòd, cùm in Salamanca R. P. Tyrsum Gonzales (dignissimum Præpositum Generalem Illustris Instituti Societatis JEsu) & Patrem Valoys consultaverit, eorum responsum fuerit, quòd sub nomine peccati contra naturam non intelligatur pollutio, & hoc idem, ait, tenere dictum Patrem Valoys in M. S. Credo, & consentio, sicut justum est, quòd P. Emanuel in hoc casu verum dicat.

Ego verò pariter dicam hos Reverendos Patres fuisse locutos non de pollutione externè procurata, sed de pollutione voluntaria procedente à solo interno consensu, quæ, ut dixi in principio, non est reservata, siquidem mihi non videtur verisimile, quòd, dum hæc verba *contra naturam* tam pollutionem, quàm sodomiam, & bestialitatem significant, affirmâssent hi Doctores, pollutionem externè procuratam in ijs non comprehendi.

Dices

Dices: Hæc verba significant etiam pollutionem voluntariam procedentem à consensu interno, licèt externè non sit procurata: ergo pollutio voluntaria procedens ab interno consensu habebitur pro reservata, licèt externè procurata non sit; quod est contra nostram doctrinam.

Respondeo, Quamvis hæc verba possent comprehendere pollutionem voluntariam externè non procuratam, non ideo est concludendum, per ea verba reservari; *quia verba restringuntur ex verisimili mente disponentis, lege Lucius 3. §. Lucius 2. ff. de legat. 2. leg. creditor §. Lucius ff. mandat.* Sed sic est, quòd mens verisimilis reservationis non sit, velle comprehendere pollutionem externè non procuratam: ergo non debet teneri pro reservata. Probatur minor; quia, ut dicit P. Emanuel *ibi num.* 885. *Quidquid datur externum in hoc casu* (quod intelligitur de pollutione voluntaria externè non procurata) *non solum mortale non est secluſa relatione ad consensum internum, verùm eâ secluſâ, nullum peccatum est.* Sed sic est, quòd mens Ecclesiæ sit, solùm reservare peccata mortalia non interna, sed quæ externè sunt gravia: ergo, cùm pollutio voluntaria secluſo consensu interno non sit talis, dicendum est, non esse verisimile, in ijs verbis eam comprehendi, quamvis eorum significatio ad eadem extendi posset.

26. Vi violans Virginem.

Nota 26. Si illa sponte consentit, & permittit absque vi se violare, probabiliter non committitur stuprum, ut dictum est *in Dialogo tract. 6. cap. 4. num. 23.* nec incurritur hujus casûs reservatio.

27. Copula cum Æthiopissa, aut Hebræa.

Nota 27. Qui habet copulam cum Æthiopissa, aut Hebræa præter peccatum contra sextum Præceptum peccat contra virtutem Religionis. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 5. n. 12.* & alij, non verò ille, qui peccaret cum Hæretica, nec talis incurreret reservationem hujus casûs.

28. Qui habet copulam cum ea, quam Baptizavit, aut cujus confessionem exaudivit.

Nota 28. Propter cognationem spiritualem, quæ contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, committitur Incestus per copulam cum tali persona, & est circumstantia mutans speciem in confessione necessario explicanda. Attamen, licèt aliqui velint, idem sentiendum de habente copulam cum ea, cujus confessionem exaudivit; nihilominus est probabile, solùm esse circumstantiam aggravantem non necessariò in confessione explicandam. Ita cum Vasquez, & alijs tradit Diana *part. 1. tract. 7. resol. 12.* Verùm indubium est, talem incurrere reservationem hujus casûs; sicut etiam ille, qui habuit copulam cum ea, quam baptizavit: per nomen baptizans non in-

telligitur Patrinus, qui, quamvis habeat copulam cum illa, quam ex baptismo elevavit, non incurrit reservationem, benè verò administrans Sacramentum; quia reservatio est materia odiosa, adeóque non amplianda, sed restringenda.

29. *Incendiarius, antequam denuntietur, & publicetur pro tali; quia post publicationem Papæ reservatur.*

Nota 29. Incendiarij vocantur illi, qui subministrant ignem, & accendunt messes, campos, possessiones, domus, &c. Et similes juxta communem DD. contra Bonacinam apud Dianam *p.* 9. *tract.* 8. *resol.* 10. non incurrunt *ipso facto* excommunicationem majorem, sed Episcopi eos excommunicare tenentur, & declarando eos excommunicatos censura manet Papæ reservata: Si enim Episcopi eos non excommunicant, incurrunt pœnam suspensionis à Pontificalibus per integrum annum *ex cap. pessimam* 23. *q.* 8. Incurrunt tamen *ipso facto* Incendiarij reservationem hujus casûs; non illi, qui ex negligentia (quamvis culpabili) accendunt domus, messes, possessiones, &c. Nec qui arbores ad transplantandum, & sibi proficiendum furantur. Ita Barbosa 3. *p. alleg.* 51. *num.* 84. Palaus *tom.* 3. *tract.* 23. *disp. unica punct.* 15. *num.* 8. Solùm ergo illi, qui ex malo fine, & ex proposito sunt incendiarij, reservationem hujus casûs incurrunt.

30. *Furtum rei sacra, vel ex Ecclesia.*

Nota 30. Res sacra dicitur illa, quæ cultui divino est dicata: v. g. vasa Altaris, vestes sacræ, &c. In hoc casu dubium est, utrum furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub Ecclesiæ custodia depositam sit casus reservatus; videtur enim durum, hoc affirmare, cùm sit probabile, non esse Sacrilegium furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub ejus custodia depositam. Ita Fagundez *in* 2. *præcept. lib.* 4. *num.* 9. & 42. Plerique alij. Nihilominus manendo in sensu textûs casûs reservati, qui cum particula disjunctiva dicit, *furtum rei sacræ, vel ex Ecclesia*, dicendum erit, quòd quodcúmque furtum commissum in Ecclesia, sive sit rei sacræ ejusdem Ecclesiæ, sive non sacræ, & ad particularem aliquem spectantis, pro reservato intelligatur: Deinde; quia in sequenti casu reservatur furtum bonorum Ecclesiæ: ergo reservatio hujus casus, qui est distinctus à sequenti, loquitur de quocúmque furto in Ecclesia commisso, sive sit res Ecclesiæ, sive non. Insuper; quia est etiam probabile, quòd furari in Ecclesia rem ad eandem non spectantem sit sacrilegium. Ita Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 18. Suarez, & alij. Tandem non est necessarium, ut sit Sacrilegium id, quod reservatur; contrarium tenet P. Emanuel *supr. num.* 887. dicendo, non esse casum reservatum furari in Ecclesia rem, quæ non est Ecclesiæ, nec sub ejus custodia depositæ.

31. *Usur-*

31. *Usurpatio bonorum, & decimarum Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum.*

Nota 31. Bona Ecclesiæ vocantur non solùm illa, quæ ipsimet Ecclesiæ serviunt; sed etiam ejus fructus, primitiæ, possessiones, prædia, &c. Et furtum cujuscúmque rei ex istis est casus reservatus. Difficultas hujus casûs est in illis verbis, *& personarum Ecclesiasticarum*; an solùm furari earum decimas sit reservatum, vel etiam alia bona ad proprium earum usum spectantia, ut est reservatum furari quodcúmque Ecclesiæ bonum? mihi non videtur verisimile, hanc legem esse ita rigorosam, ut furtum, vel pecuniæ, vel cujuscúmque substantiæ Ecclesiasticis assignatæ reservare intendat; quia reservatio cadit super illa peccata, quæ speciale habent gravitatem; ut notat Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. nec habetur pro re adeo gravi, quòd illa bona vel ad Ecclesiasticos, vel ad sæculares spectent; nisi illa bona Ecclesiasticorum essent decimæ; quare censeo, quòd furari Ecclesiasticis decimas sit casus reservatus, non verò auferre alia eorum bona. Quamvis P. Emanuel *supra num.* 888. sentiat, non esse casum reservatum furari Ecclesiasticis decimas, sed solùm eas usurpare; quia dicit, quòd inter furari, & usurpare sit magna diversitas.

§. III.

Casus Reservati in Synodo Archiepiscopatûs Burgensis, cap. 9. de Pœnitentijs, & Remissionibus, sunt ijdem, qui sunt in Episcopatu Pampelonensi; unicum ultra illos habet Archiepiscopatus, qui est sequens.

1. *Publicus usurarius.*

Nota 32. Unum notorium vocatur Juris, aliud facti. Notorium Juris est, quando quis fuit punitus, aut à Judice competente pro malefactore declaratus. Circa notorium facti sunt variæ Doctorum opiniones, sed communior est, quòd, quando delictum est in majori parte vicinitatis, aut Populi notum, dicatur notorium notoreitate facti. Videatur Barbosa *de potest Episcop. alleg.* 39. *num.* 20. *& seq.* Si alterutro ex his modis usurarius sit publicus, incurrit reservationem hujus casûs; neque est necessarium ad hanc reservationem, ut usura publicè in conspectu multorum committatur; imò, quando est notorium, eum esse usurarium, quæcúmque usura postmodum ab eodem commissa, etiam quomodocúmque occulta, erit reservata.

§. IV. Casus

§. IV.

Casus Reservati in Episcopatu Calahorrensi sunt ijdem, qui in Pampelonensi, excepto primo reservante hæresim: quæ non est reservata in hoc Episcopatu, cùm in eo Tribunal Inquisitionis vigeat, cui est hæresis reservata: quamvis autem hoc non obstante reservari posset hæresis in dicto Episcopatu quo ad peccatum, ut est reservata in Synodo Pampelonensi, tamen non reservatur attentâ Sacrâ Inquisitione ibi existente.

§ V.

Casus Reservati in Episcopatu Taraconensi. Verum quidem est, non inveniri Synodos hujus Episcopatûs, novi tamen à persona docta, & fide digna, casus reservatos in ijs esse sequentes.

1. *Incendiarij domorum, aut fructuū, & consilium, aut auxilium ad id præstantes.* Videatur Nota 29.

2. *Peccatum, pro quo pœnitentia publica imponi solet, quale est peccatum scandali.*

Nota 33. Pœnitentia est triplex; una est solemnis, altera publica, & tertia Sacramentalis. Solemnis est illa, quæ in primitiva Ecclesia pro enormibus quibusdam peccatis cum varijs cæremonijs imponebatur, & hoc modo pœnitentiatus reddebatur infamis, & irregularis. Hæc pœnitentia non est amplius in usu, ut dicit Bassæus *in Florib. Theolog. verb. Pœnitentia* 1. *num.* 8. Pœnitentia publica est illa, quam Judex in foro Ecclesiastico imponit: v.g. imponendo alicui, ut stet ad portam Ecclesiæ nudipes cum candelo in manu. Hanc pœnitentiam solet imponere Sacrum Tribunal Inquisitionis illis, qui fidem per formalem hæresim contemnunt, aut per culpas, quæ sapiunt hæresim: Episcopi etiam solent aliquando similes imponere. Pœnitentia Sacramentalis est illa, quam Confessarius Pœnitenti in confessione imponit, de qua diximus *in Dialogo in fine tract.* 9. Per peccatum scandali hic non intelligitur præcisè id, quod tendit, & causat ruinam proximi solicitationibus, malo exemplo, aut verbis, de quo dictum fuit *in Dialogo tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 56. Sed peccatum scandali vocatur hic illud, quod est publicum, & notorium, admirationem, & notam in populo pariens: v.g. qui publicè vivit in inimicitijs, concubinatu, vel publico latrocinio. Hæc peccata publicè scandalosa sunt illa, quæ in hoc casu reservantur, non autem occulta; quia propter peccata publica, non verò propter occulta solet imponi pœnitentia publica.

3. *Blasphemia publica.*

Nota 34. De blasphemia dictum est in Dialogo *cap.* 2. & est duplex; una est hæreticalis, altera non hæreticalis: Hæreticalis est illa, cujus verba continent aliquam hæresim: v.g.

v. g. si quis dicat: *non est possibile quòd DEUS sit misericors, cùm me ita exagitet.* Hujus blasphemiæ hæreticalis judicium pertinet ad Tribunal Inquisitionis. Blasphemia non hæreticalis est illa, quæ in se non continet hæresim: v. g. *ad despectum DEI volo hoc, vel illud facere:* Hujus judicium, si est publica, spectat ad Episcopos. Ita cum alijs Barbosa *de potest Episcop. part.* 3. *alleg.* 15. *num.* 95. Blasphemia publica reservatur in hoc casu, tunc autem erit publica, quando similia verba dicuntur ante sex personas, non filios, aut servos, sed extraneos; Ita Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 62.

4. *Homicidium voluntarium, & mutilatio realis alicujus membri.*

Nota 35. De spectantibus ad homicidium voluntarium dictum est supra in *Nota* 19. quo ad mutilationem verò membri dico, abscindentem illud tam alteri, quàm sibimetipsi incurrere reservationem; quia casus non distinguit absciſſionem propriam, vel alienam: *Et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Ille verò, qui alterum vulnerat baculo, ense, aut quocúmque alio instrumento, nisi mutilet, aut occidat, non incurrit casum reservatũ. Quando ob mutilationem membri incurritur irregularitas, vide Dianam *part.* 3. *tract.* 15. *resol.* 20. *p.* 4. *tract.* 2. *resol.* 26. *& p.* 9. *tract.* 7. *resol.* 21. *& part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 11. *&* 28.

5. *Qui falsificat scripturas, aut testificat falsum, vel qui veritatem in præsentia proprij Judicis occultat.*

Nota 36. De peccato falsificationis scripturarum dictum est in *Nota* 19. quo ad occultationem verò veritatis ante Judicem dico, nisi aliquis interrogetur legitimè, non obligari ad dicendam veritatem, videatur id, quod dictum fuit in Dialogo *tract.* 2. *cap.* 1. Et de modo, quo in hoc casu quis uti possit amphibologiâ, vide *tract.* 10. in explicatione Propositionum 26. & 27. Dico ulterius, si occultatio veritatis non sit de substantia causæ, non incurritur hujus casûs reservatio. Ita Barbosa *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 51. *num.* 34. Et in numeris præcedentibus, & subsequentibus fusè tradit, quibus in casibus excusatur à reservatione, qui veritatem in judicio non aperit. *vide ibi.*

6. *Raptus Virginis*

Nota 37. Hunc casum reservatum non incurrit, qui vi surripit fœminam maritatam, viduam, aut solutam non Virginem; sed solùm, qui surripit Virginem; ad hoc autem, ut sit raptus, & casus reservatus, necessarium est, ut hoc vi fiat; quia si fœmina in raptum consentit, non est peccatum raptûs, nec incurritur reservatio. Videatur id, quod dictũ est in Dialogo *tract.* 6. *cap.* 4. *n.* 23.

7. *Procuratio abortûs secuto effectu.*

Nota 38. Circa abortum, videatur *Nota* 21. Advertendum tamen est, quòd ad incurrendum hunc casum

in Episcopatu Pampelonensi sufficiat, ut diligentia adhibeatur ad causandum abortum, quamvis effectus non sequatur, ut videre est in *Nota* 21. Sed in hoc Episcopatu non sufficit adhibere diligentiam, sed necessarium est ad incurrendam hanc reservationem, ut in effectu abortus sequatur, sicut ipsemet casus admonet.

8. *Incestus in primo, & secundo gradu.*

Nota 39. In Episcopatu Pampelonensi reservatur incestus usquè ad quartum gradum. Videatur *Nota* 23. in hoc verò Episcopatu incestus in tertio, & quarto gradu non reservatur, sed solùm in primo, & secundo.

9. *Notabilis vulneratio Genitorum.*

Videatur *Nota* 18.

Nota 40. Advertendum est, ibi reservari quamcúmque Genitorum percussionem quæ sit peccatũ mortale: in hoc verò Episcopatu non sufficit percussio, licèt sit peccatum mortale, nisi sit notabilis ut casus dicit.

10. *Adulterantes pondera, & monetas.*

Nota 41. Hic casus non loquitur de falsificantibus mensuras, sed de adulterantibus pondera, & monetas; quamvis enim eadem paritas in utróque casu currat, nihilominus in odiosis (ut est reservatio) non fit extensió ex identitate rationis ab uno casu ad alterum; sicut cum Salas, Portel, & alijs dicit Diana *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 36. Nec incurrunt reservationem hujus casûs qui ponderibus, aut monetis jam falsificatis utuntur, sed solùm, qui eas cudunt: v. g. qui facit pondus injustum, aut dolosum, vel qui minuit, aut cudit monetas falsas; ut docet Castrus Palaus *part.* 4. *tract.* 23. *disp. unica. punct.* 15. *num.* 6. Hic autem suppono, utentes ponderibus, aut monetis vitiosis peccare cum obligatione restitutionis, & solùm dico, non fore casum reservatum.

11. *Qui exponunt proles ad loca pia, cùm soli educare possint.*

Nota 42. Hic casus solùm loquitur de Parentibus prolium expositarum, & non de illis, qui ex ordinatione eorum eas portant, & exponunt; quia casus dicit de illis, ad quos proles educare pertinet; quòd autem ad Parentes pertineat, clarum est. Quotiescúmque Parentes excusantur à peccato mortali in expositione prolium, excusantur pariter à reservatione hujus casûs. Si Proles non exponuntur ad pia loca, sed ad fores domorum particularium, sentit Barbosa *ubi supra alleg.* 51. *num.* 147. *in fine.* non fore casum reservatũ; quia Textus hujus casûs solùm dicit de locis pijs. Ego verò cum distinctione hoc verificari existimarem, nempe, quando Parentes exponentes proles ad loca non pia subministrant ijsdem alimentum, & custodiam, ut benè educentur, & custodiantur: quòd, si verò eas ibi relinquant absquè hac subministratione, ex quo tandem ad hospitale deveniant, vel

in

in hunc finem, ut inde ad hospitale portentur, tunc non dubito, quin Parentes hunc casum incurrant, cùm ratio formalis reservationis ad hoc impediendum tendat.

12. *Abutentes rebus sacris per artes magicas, incantationes, superstitiones & alia maleficia.*

Videatur *Nota* 3.

§. VI.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Toletano.

1. *Parochi, aut Beneficiati obligantes, vel inducentes Parochianos alterius Parochiæ, ut ex ea ad propriam transeant.*

Nota 43. Si Parochiani, quos inducunt, essent ita pauperes, miserabiles, ut ex illorum permanentia nec in vita, nec in morte ulla sequeretur Parochiæ utilitas, non judico, Parochos inducentes incurrere reservationem hujus casûs, qui, ut videtur, respicit nocumentum temporale, seu lucrum cessans alteri Parocho ex Missarum, suffragiorum, & oblationum translatione.

2. *Occupantes aut retinentes bona Ecclesiæ; vel impedientes exigentiam redituum Ecclesiasticorum, aut expeditionem fructuum.*

Videatur Nota 30. & 31.

3. *Non satisfacientes Præceptis Ecclesiæ tempore ab ea determinato, & in Constitutionibus Synodalibus assignato.*

Nota 44. In aliquibus Episcopatibus est lata excommunicationis sententia contra eos, qui suo tempore Præcepto annuæ Confessionis, & communionis non satisfaciunt: in his ergo Episcopatibus incurritur excommunicatio, in hoc verò Tolletano reservatio hujus casûs.

4. *Copula carnalis cum Religiosa Professa, aut cum consanguinea, aut affine in primo, & secundo gradu, aut cum ea, cujus confessionem exaudivit.*

Videatur Nota 23. 24. 28. & 38.

Nota 45. Hic obiter notandum est, si Religiosa sit Novitia non incurri casum reservatum per copulam cum ea: tum quia Novitiæ in odiosis non comprehenduntur sub nomine Religiosarum: tum quia ipsemet Textus hujus casûs exprimit, debere esse Religiosam Professam.

5. *Peccatum nefandum, vel bestialitas.*

Videatur Nota 25.

6. *Perjurium factum in præjudicium tertij.*

Videatur Nota 36.

7. *Blasphemus publicus.*

Videatur Nota 34.

8. *Incantatores, superstitiosi, aut venefici.*

Videatur Nota 2.

9. *Falsificantes quodcumque instrumentum publicum*

Videatur Nota 17.

10. *Injicientes manus violentas in eorum Parentes.*

Videatur Nota 18.

§. VII.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Cæsaraugustano.

1. *INcendiarij domorum, messium, & aliarum rerum, & ad hæc auxilium subministrantes.*

Videatur Nota 29.

2. *Peccatum grave, quod meretur pœnitentiam publicam ex Lege.*

Videatur Nota 33.

3. *Homicidium voluntarium, aut mutilatio membrorum.*

Videatur Nota 19. & 35.

Nota 46. Notandum est, quòd imperans homicidium, aut ad id consilium, vel auxilium præbens non incurrat casum reservatum in hoc Archiepiscopatu, nec in Episcopatu Taraconensi; quia in nullo horum de hoc fit mentio; & pœna, quæ malè facientibus imponitur, non comprehendit consilium præbentes: ut patet *ex cap. ult. de Pœnit. in* 6. & hoc adducit P. Caspensis *tom. 2. tract. 25. disp. 1. sect. 5. num.* 59. Sed in Episcopatu Pampelonensi consilium, vel auxilium ad homicidium est reservatum.

Videatur Nota 19.

4. *Falsificatio scripturarum, & testificatio falsi, mendacium, aut occultatio veritatis, dum quis legitimè interrogatur.*

Videatur Nota 17. & 36.

5. *Raptus Virginum.*

Videatur Nota 37.

6. *Procuratio abortûs secuto effectu.*

Videatur Nota 21. & 38.

7. *Incestus in primo, & secundo gradu.*

Videatur Nota 23.

8. *Falsificatio ponderum, mensurarum, aut monetarum.*

Videatur Nota 41. Advertendum tamen est, ibi solùm esse sermonem de falsificante pondera, aut monetas, hìc verò etiam de falsificante mensuras.

9. *Decimæ retentæ.*

Videatur Nota 31. Et id, quod circa decimas dictum est in Dialogo *tract. 7. cap. 11. num.* 205.

§. VIII.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Valentiano.

1. *PEccatum Sodomiæ.*

Videatur Nota 15.

2. *Sacrilegium ex effusione seminis, vel sanguinis in loco sacro.*

Nota 47. Quando effusio seminis in loco sacro non est sacrilega, neque erit casus reservatus; quando autem sit, vel non sit Sacrilegium, videatur in Dialogo *tract.* 6. *cap.* 7. *num.* 37. Hoc idem dicitur de effusione seminis, quæ non est casus reservatus, nisi sit sacrilega, quando verò non sit, videatur in Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 24. 25. 26. 27. *& part.* 21. *tract.* 2. *resol.* 58 *& tract.* 8. *resol.* 23. *& tract.* 5. *resol.* 44.

3. *Homicidium, voluntarium patratum per se, vel per tertiam personam ad id consilio, aut auxilio inductam.*

Videa-

Videatur Nota 19. & 45.

4. Incestus, ubi est necessaria dispensatio.

Nota 48. Incestus usque ad quartum gradum consanguinitatis, aut affinitatis est hic reservatus; quia in omnibus his gradibus necessaria est dispensatio ad contrahendum Matrimonium.

Videatur Nota 23.

5. Vulneratio Parentum.

Videatur Nota 18.

6. Procuratio abortûs.

Videatur Nota 21.

7. Contractus Matrimonij Clandestini.

Nota 49. Præter peccatum grave, quod contrahendo Matrimonium Clandestinum committitur, & reservationem, quæ incurritur, Matrimonium sic contractum est nullum: ex Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.*

8. Incendium Ecclesiæ.

Videatur Nota 29. Notandum etiam est breviter, quòd in hoc Archiepiscopatu non sit casus reservatus incendium messium, & aliarum rerum, sed solùm incendium Ecclesiæ reservatur.

9. Falsus testis, qui in judicio jurat.

Videatur Nota 36.

§. IX.

Casus Reservati in Episcopatu Secontiano.

1. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

2. *Blasphemia.*

Videatur Nota 34.

3. *Violatio Religiosæ.*

Nota 50. Si Religiosa non esset Virgo, non erit peccatum reservatum habere cum ea copulam; quia non violabitur. Nec incurrit hunc casum reservatum, qui violat Virginem non Religiosam. Quamvis Religiosa voluntariè ad peccatum consentiat, erit casus reservatus, & licèt non sit stuprum: quia hic non reservatur stuprum, sed ablatio integritatis naturalis, quæ etiam posito ejusdem consensu amittitur: ergo, &c.

4. *Injiciens manus violentas in Parentes.*

Videatur Nota 18.

5. *Procuratio abortus.*

Videatur Nota 21.

6. *Matrimonium Clandestinum.*

Videatur Nota 49.

7. *Perjurans in judicio, aut alios ad hoc inducens.*

Videatur Nota 35.

8. *Sodomia, & bestialitas.*

Videatur Nota 25.

9. *Incestus.*

Debet intelligi usque ad quartum gradum; quia in omnibus his reperitur malitia incestûs.

10 *Incendium domorum, messium, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & Sacrorum locorum.*

Videatur Nota 29.

11. *Falsificatio litterarum Apostolicarum, & Episcoporum.*

Videatur Nota 17.

12. *Omnes species superstitionum, magiarum & divinationum.*

Videatur Nota 2.

13. *Sacrilegium ex furto, & percussione sacrilega.*

Nota 51. In opinione dicente, non esse sacrilegium furari in loco sacro, aut rem non sacram: v. g. crumenam, aut vestem hujus, vel alterius particularis personæ, hoc furtum non erit casus reservatus; quia non erit sacrilegium, quòd exigit Textus hujus casus. Videatur *Nota* 30.

Sed in opinione contraria dicente, omne furtum patratum in Ecclesia esse sacrilegium, erit absquè dubio casus reservatus: Percussio sacrilega est illa, quæ Clerico, aut Monacho infligitur, de qua tractat Canon, *si quis suadente Diabolo*: nos verò loquimur in Dialogo *tract.* 5. & 6. & præter excommunicationem majorem ipsi annexam, est etiam peccatum percussionis reservatum Episcopo Secontino.

§. X.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Hispalensi.

1. EXcommunicatio *major*, *à Jure*, *vel ab homine.*

Nota 52. Excommunicatio *à Jure* est illa, quæ fertur per præceptum in sta uto, aut lege non contentum. Excommunicatio *à Jure* durat, quamvis moriatur ille, qui eam tullit. Quæ est *ab homine*, cessat per mortem, aut vacationem officij Legislatoris.

Videatur Nota 16.

2. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

3. *Sacrilegium.*

Videatur Nota 46.

4. *Sortilegium.*

Videatur Nota 2.

8. *Matrimonium Clandestinum.*

Videatur Nota 49.

6. *Usura.*

Videatur Nota 32.

In hoc Archiepiscopatu non requiritur, ut sit publicus usurarius.

7. *Renuevos.*

Nota 53. Per Renuevos intelliguntur surculi, quos emittunt quædam arbores Hispalis morì nominatæ, quarum folijs nutriuntur bombyces: & furtum harum Renuevos est ibi casus reservatus: cujus reservationis causa debuit esse sine dubio nimius excessus in his furtis multiplicandis.

Hanc explicationem posui pro hoc 7. casu in Archiepiscopatu Hispalensi reservato, cùm mihi dictum fuerit ab aliqua illius Patriæ Personâ, hoc modo intelligi debere per nomen Renuevos; postmodum verò mihi scriptum fuit, non debere ita intelligi, sed per hoc verbum significari dare triticum antiquum pro novo, quod est materia usuræ; Propter nimiam distantiam non potui in cognitionem veritatis venire; qui excipiunt confessiones in hoc Archiepiscopatu, poterunt scire, aut informari, quid per hoc verbum *Renuevos* intelligatur.

8. De-

8. Decimæ retentæ.

Nota 54. Advertendum est ultimo, quòd quivis Confessarius approbatus sine ullo Privilegio absolvere possit à casibus reservatis aliorum Episcopatuum; dummodò non sint reservati in hoc Episcopatu. Idem dico de reservatis in hoc Episcopatu, qui absolvi poterunt in alia Diœcesi, ubi non sunt reservati. De Peregrinis tenent aliqui DD. apud Dianam *part.* 11. *tract.* 2. *resol.* 48. quòd, si quis in sua Diœcesi in aliquem casum reservatum incidit, possit absolvi in alia Diœcesi, ubi non est reservatus, & hoc à quocúmque Confessario approbato. Ego pariter essem hujus opinionis, si fiat sermo de vagabundis, & certum domicilium non habentibus; sed de Peregrinis mihi videtur res aliqualiter dura: primò; quia peregrinatio non dat Sacerdoti jurisdictionem, licèt aliàs peregrinus ratione peregrinationis à Legibus propriæ Diœcesis eximi possit: secundò, quia hoc modo frustranea esset Episcoporum reservatio; quia quivis posset ad Diœcesim extraneam pergere, ibique confessionem deponere. Eadem difficultas occurrit in opinione aliorum DD. apud Dianam *ubi supra*. Dicentium, quòd ille, qui habet facultatem absolvendi à casibus reservatis in uno Episcopatu, possit absolvere Peregrinum, qui in eo aliquem comisit. Quia, si Peregrinus est sub aliena Jurisdictione, quomodo Confessarius diversæ Diœcesis eum absolvere poterit.

§. XI.

Casus Reservati in Episcopatu Segoviensi in ultima Synodo ab Illustrissimo Domino Domino Fr. Francisco Araviensi Anno 1648. celebrata, quosque Synodalis refert Tit. 5. Constitutione 5. pagina 43.

1. *Incendiarij, qui voluntariè, & scienter incendunt domus, aut possessiones alienas.*

Nota 55. Reservationem hujus casûs non incurrit, qui absque sua culpa res alienas incendit; quia talis non facit voluntariè; neque, qui hoc facit ex ignorantia, quamvis crassa, quod colligitur ex verbo *scienter*, ut dictum est supra *Nota* 8. videatur etiam Nota 29.

2. *Impositio Pœnitentiæ solemnis.*

Nota 56. Notandum est, in constitutionibus Synodalibus hæc verba *Casus reservati*, & *peccata reservata* diversum quid importare; quia dum in ijs dicitur, *peccata reservata*; intelligitur, quòd Confessarijs particularibus jurisdictio ab eis absolvendi denegetur; sed dicere, *Casus reservati*, licèt etiam hæc verba possent comprehendere formalitatem peccatorum reservatorum; potest tamen intelligi alio modo: id est, ut nullus inferior se immisceat in talis rei dispositionem; & in hoc sensu hic secundus casus reservatus intelligi debet, qui dicit, *Impositio Pœnitentiæ solemnis*; hìc enim non reservatur pecca-

peccatum, sed casus; & est idem, ac dicere, ut nullus, nisi Episcopus, aut ejus Vicarius Generalis sibi præsumat imponere pœnitentiam publicam pro peccatis. Verùm non prohibetur, quòd Confessarius possit Pœnitenti dare consilium. ut publicè faciat disciplinam usque ad sanguinem, aut portet Crucem super humeros, aut nudipes in aliqua Processione incedat. Quod ergo in hoc casu prohibetur, est, ne Confessarius privatus imponat pœnitentiam cum solemnitate à Jure præscripta faciendam.

3. Blasphemia etiam non hæreticalis.

Nota 57. Blasphemus publicus, & consuetudinarius debet denuntiari ad S. Tribunal Inquisitionis, ut dictum est *supra tract. 2. cap. 2. num.* 30. Ille verò qui profert aliquam blasphemiam, licèt non sit hæreticalis, nec publica, nec ex consuetudine, id est, quamvis non habeat habitum blasphemandi, incurrit reservationem hujus casûs.

Videatur Nota 34.

4. Irregularitas contracta ex delicto occulto, aut homicidio casuali.

Nota 58. Una irregularitas procedit ex defectu, altera ex delicto; illa, quæ procedit ex defectu, est, quam contrahunt filij spurij, & alij similes, & ejus dispensatio est Papæ reservata; Illa verò, quæ procedit ex delicto, cùm sit probabile, eam esse censuram, est reservata Episcopo, exceptâ illâ, quæ procedit ex homicidio voluntario; quia hæc est Papæ reservata. Notandum etiam est, quòd, quando in hoc casu reservatur Episcopo irregularitas procedens ex homicidio casuali, homicidium debeat esse peccatum mortale, secùs verò, non erit casus reservatus.

5. Falsificatio litterarum.

Videatur Nota 17.

6. Usurarius publicus.

Videatur Nota 32.

7. Omne Sacrilegium.

Nota 59. Res ardua est hæc, quòd in hoc casu omne Sacrilegium reservetur, *sive sit contra rem, sive contra Personam sive contra locum sacrum*, & quòd quòdlibet peccatum grave externum contra votum castitatis, aut contra aliud votum commissum, aut quodcumque aliud sacrilegium sit casus reservatus; quia hoc peccatum nimis frequenter committi solet; attamen, cùm Synodalis dictione universali utatur, dicendo, *omne Sacrilegium*, necessarium est inferre, omne Sacrilegium reservatum debere intelligi, siquidem verba ita significant, quia etiam omne Sacrilegium reservari possit; ut reservatur magis expressè in Episcopatu Salmaticensi casu 4. ubi videri potest §. 12. sequenti.

8. Qui violat libertatem Ecclesiasticam, aut vi extrahendo ex Ecclesia aliquem, qui illuc refugit, aut Ecclesiæ, vel Clericis aggravia, aut indebitas vexationes imponendo.

Nota 60. Pœnæ, quas incurrunt facientes statuta contra immunitatem

tem Ecclesiæ, & extrahentes ex ea aliquem delinquentem, videri poterunt *in 2. part. hujus praxis tract.* 15. *cap.* 1. *num.* 11. Præter hoc, est peccatum reservatum in hoc Episcopatu violare dictam immunitatem in duobus casib⁹ relatis, scilicet, quando vi extrahitur aliquis delinquens, aut imponuntur Clericis, aut Ecclesiæ vexationes indebitæ; in aliquibus autem casibus referendis loco citato *2. part. num.* 12. Demonstrabo, Sacrum immunitatis non prodesse delinquentibus, in his casibus non erit peccatum reservatum, extrahere eos ex Ecclesia.

Parricidium, nempe, quando filius occidit Patrem, vel Matrem voluntariè, vel ex negligentia culpabili.

Videatur Nota 18. & 21

10. *Sortilegium, vel Magia.*

Videatur Nota 2.

11. *Matrimonium Clandestinum.*

Videatur Nota 49.

12. *Incestus*

Videatur Nota 23. & 69.

13 *Peccatum concubitûs nefandi, & contra naturam:*

Nota 61. In hoc casu non reservatur pollutio, licèt sit peccatum contra naturam; quia, quamvis casus dicat *concubitus nefandus, & contra naturam*, conjunctio, &, quæ est copulativa, facit, ut hæc verba, *contra naturam*, super peccatum nefandum cadant: ut autem hoc sit reservatum, debet esse consumatum: Quare copula inchoata in vase naturali non erit reservata, neque tactus impudici in eodem vase præpostero.

14 *Quando quis obligatur ad restitutionem quantitatis excedentis centum regales, & nescit personam, cui sit facienda restitutio, in tali casu Episcopus ordinare debet, cui sit danda, & quomodo expendenda talis quantitas.*

Nota 62. Hic casus loquitur in terminis de casu reservato, & non de peccato reservato secundùm id, quod dictum est in Nota 50. Sed advertendum est, hic non prohiberi, quòd in hoc casu, quo loquitur casus reservatus, possit Confessarius dare consilium Pœnitenti, ut cum Bullis compositionis satisfaciat quantitati alijs debitæ, si ignoretur Dominus, quamvis excedat centum regales; quia privilegium Bullæ compositionis conceditur à Summo Pontifice, qui est Episcopi Superior, & reservatio ab Episcopo facta obstare non potest, quin facultas in dicta Bulla à Sua Sanctitate concessa suum sortiatur effectum.

§. XII.

Casus Reservati in Episcopatu Salmaticensi in sua ultima Synodo ab Illustrissimo Domino Domino Petro Carillo de Acugna Anno 1654. Celebrata, & quos Synodales Constitutiones hujus Episcopatus referunt lib. 5. tit. 6. Constit. 5.

pag. 244.

1. Hæresis occulta.

Videatur Nota 1. & id, quòd

circa absolutionem hæresis dicam in 2. part. hujus praxis tract. 17. in explicatione Propositi. 4. ab Alexandro 7. damnatæ.

2. *Incendium domorum, panuum, & aliarum rerum studiò factum; & ad id adjuvantes antequam dictum delictum denuntietur, & publicetur.*

Circa incendiarios videatur Nota 29. circa consilium videatur Nota 19. & circa verba *studiò factum* videatur Nota 55. & ibi citatos.

3. *Sortilegium, aut incantatio, aut Necromantia, qua fiunt circuli, aut invocantur Dæmones pro quacúmque re.*

Videatur Nota 2.

4. *Sacrilegium quocúmque modo commissum.*

Videatur Nota 59.

5. *Falsificatio scripturarum, aut testium.*

Videatur Nota 17.

6. *Violatio immunitatis libertatis Ecclesiæ.*

Videatur Nota 14. & 60.

7. *Blasphemia publica.*

Videatur Nota 34. & 57.

8. *Proles ex negligentia culpabili opprimentes retinendo eas secum in lecto, aut alio modo.*

Videatur Nota 20.

9. *Retentio, aut usurpatio decimarum.*

Videatur Nota 31.

10. *Homicidium voluntarium, aut mutilatio membrorum, & auxilium, aut consilium ad id præstitum, quo ad peccatum.*

Videatur Nota 19. & 35.

11. *Susceptio Ordinum per saltum, aut cum licentia falsa. vel furtiva.*

Videatur Nota 12. & 13. & circa susceptionem Ordinum cum licentia falsa videatur id, quod dicam *in 2. part. hujus praxis tract. 12. cap. 1. num. 23.*

12. *Humatio cadaveris alicujus noti excommunicati, interdicti, aut manifesti usurarij in loco sacro.*

Videatur Nota 4.

13. *Usura publica.*

Nota 63. Videatur Nota 32. & advertendum est, quòd ibi, quamvis usura sit occulta, sit peccatum reservatum, quando subjectum est publicus usurarius; hic verò non sufficit, quòd subjectum sit publicus usurarius, sed etiam necessarium est, ut usura sit publica, ad hoc, ut sit peccatum reservatum, ut constat ex Textu hujus casûs.

14. *Procuratio abortus, aut sterilitatis muliebris, aut quando ipsamet eandem sibi procurat.*

Videatur Nota 21.

15. *Quando Uxor quærit occidere suum Maritum, aut Maritus uxorem ad aliud Matrimonium contrahendum.*

Videatur Nota 22.

16. *Copula cum Religioso, aut Religiosa.*

Videatur Nota 24.

17. *Copula cum filia spirituali.*

Nota 64. Textus hujus casus est difficilis; quia nomine filiæ Spiritualis potest intelligi tam persona à Confessario baptizata, quàm Pœnitens, cujus confessionem exaudivit, & cùm reservatio sit odiosa, videtur restringenda ad copulam in primo, non secun-

secundo sensu sumptam; Sed cùm verba *filia spiritualis* sint communia ad significandam tam unam, quàm alteram, dicendum erit, copulam carnalem in utróque sensu sumptam, esse casum reservatum.

Videatur Nota 28.

18. *Copula cum Infideli.*

Videatur Nota 27.

19. *Incestus.*

Videatur Nota 23.

20. *Peccatum contra naturam.*

Videatur Nota 25. sicut enim ibi reservatur nomine peccati *contra naturam* pollutio, sodomia, & bestialitas, hocidem judico in hoc casu.

21. *Celebrans in excommunicatione, quo ad absolutionem à peccato.*

Videatur Nota 5.

22. *Injectio manuum violentarum in Parentes, & Avos.*

Videatur Nota 18.

23. *Scienter celebrans in Ecclesia interdicta, quo ad peccatum solùm.*

Videatur *Nota* 8.

24. *Celebrans non jejunus, aut in Altari non consecrato, aut sine vestibus benedictis.*

Videatur Nota 9. & 10.

25. *Simonia, quo ad absolutionem à peccato.*

Videatur Nota 15.

26. *Ex Lege reservatur Episcopo dispensatio votorum, juramentorum, & absolutio ab excommunicatione majori non reservata specialiter Papæ, aut alteri Judici Superiori.*

Nota. 65. Vota Papæ reservata, & quorum dispensatio Episcopo non competit, sunt; votum simplex castitatis, votum simplex Religionis, votum peregrinandi Jerosolymam, vel ad S. Petrum, & S. Paulum Romam, & ad S. Jacobum Compostellam. Videatur hæc materia in Dialogo *tract. 2. cap. 4. num. 37. & seq.* Excommunicationes in, & extra Bullam cœnæ Papæ reservatæ videri possunt apud Bassæum, *verb. Excommunicatio* & facultas à Concil. Trid. *Sess. 24. cap. 6. de reformat.* Episcopis concessa absolvendi à casibus Papæ reservatis, & occultis videri potest *in 2. part. hujus praxis, tract. 17.* in explicat. Propositi. 3. ab Alexandro VII. damnatæ.

27. *Qui baptizat proprium filium, aut filiam sine necessitate, vel erit ejus Patrinus.*

Videatur Nota 11.

§. XIII.

Casus reservati in Episcopatu Vagliadolid.

1. *USura, quamvis non sit manifesta.*

Nota 66. De reservatione usuræ dictum est in Nota 32. & 63. & utrobique est sermo de usurario publico, aut usura publica, sed in præsenti casu hujus Episcopatus est sermo de usura, quamvis non sit publica, aut manifesta: verum quidem est, non reservari usuram mentalem, sed completam; quia, ad hoc, ut culpa sit reservata, debet esse perfecta in suo genere secundùm reservationis tenorem.

2. *Omissio Confessionis, & communionis debito tempore.*

Nota 67. Tempus Confessionis, & communionis debitum est semel in anno, & in periculo mortis; & qui his temporibus non confitetur, nec communicat, committit peccatum in hoc Episcopatu reservatum; Pariter incurrit reservationem, qui tempore obligationis Præcepti malè confitetur, ut dicam in simili casu 2. *part. hujus praxis tract.* 17. in explicat. Propos. 14. ab Alexandro VII. damnatæ, quamvis contrarium pro improbabili non teneam, & probabile censeat Torrecilla *in suis consult. tract.* 2. *cons.* 10. *num.* 21.

3. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

4. *Abortus consumatus culpabilis.*

Videatur Nota 21.

Advertendum est, ibi non esse necessarium, ut abortus sit consumatus, sed sufficere, quòd sit procuratus; hìc verò debet esse consumatus, ut ipsemet Textus hujus casus dicit.

5. *Diurnus, aut nocturnus agrorum destructor (id est,* qui de die, aut de nocte destruit agros) *eos accendendo, vel abscindendo.*

Videatur Nota 29.

6. *Sacrilegium.*

Nota 68. Hic casus non dicit omne Sacrilegium, ut casus 7. Episcopatûs Segovienſis, & casus 4. Episcopatus Salmaticenſis; sed solùm dicit hìc, *Sacrilegium* verbo indefinito; & quantumvis Propositio indefinita in materia necessaria æquivaleat universali, non tamen in materia contingenti; cùm materia reservationis sit contingens, videtur, per hanc vocem indefinitam, *Sacrilegium*, non comprehendi omne Sacrilegium, sed solùm magis enorme, quale est, profanatio Sacramentorum, violatio Ecclesiarum, positio manuum violentarum in aliquem Ecclesiasticum, abusus rerum sacrarum, sed non transgressio voti castitatis, quod non teneo pro improbabili, licèt consequenter ad supradicta in hoc tractatu 11. §. 2. in Nota 25. de casu 25. Episcopatûs Pampelonenſis dicendum erit, omne sacrilegium grave, & externum in hoc casu reservatum fore.

7. *Incestus.*

Nota 69. Hoc quòque verbum est indefinitum, & potest intelligi de incestu usque ad quartum gradum, aut solùm intra secundum gradum; secundùm id, quod dictum est in Nota præcedenti, potest etiam sic casus resolvi.

§ XIV.

Casus Reservati in Episcopatu Palentiano.

1. *Excommunicatio lata à Jure, vel à Constitutione, Suæ Sanctitati, aut nobis reservata.*

Nota 70. Si excommunicatio imposita non esset jam reservata, non est reservata vi reservationis hujus casûs.

casûs, si esset reservata Suæ Sanctitati, Episcopus non posset ab ea absolvere, nisi in casibus occultis; ut dictum est supra *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 11. & dicetur etiam *in* 2. *part. hujus praxis tract.* 17. in explicat. Propos. 3. ab Alexandro 7. damnatæ; si verò erit Episcopo reservata, poterit ipsemet ab ea absolvere, vel habens ab eo facultatem.

2. *Absolutio in quocumque casu, quo pœnitentia publica imponi debet.*

Videatur Nota 33.

3. *Commutatio votorum.*

Nota 71. Episcopus nequit illa quinque vota Papæ reservata commutare, benè verò alia; & in hoc casu non prohibetur, quòd Confessarius vi Bullæ, aut Jubilei possit vota commutare, prout ibi conceditur; neque derogatur privilegijs à Summo Pontifice Religiosis concessis pro commutatione aliquorum votorum; quia hæ gratiæ sunt à Papa, qui est Superior Episcopi, & reservatio ab Episcopo super hoc facta non potest gratijs Pontificijs obstare.

4. *Homicidium voluntarium actualiter commissum.*

Videatur Nota 19.

5. *Sacrilegium, violando Ecclesiam, aut ponendo manus in aliquem Sacerdotem.*

Nota 72. Hic casus est clarior omni alio de Sacrilegio; in duobus enim casibus hic expressis solùm incurritur reservatio in hoc Episcopatu, & vi hujus statuti non committit culpam reservatam, qui ponit manus in Clericum, aut Religiosum non Sacerdotem, sed censuram Canonis incurret, *Si quis suadente, &c.* Videatur id, quod circa hoc dictum est in Dialogo *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 36.

6. *Incendiarij.*

Videatur Nota 33.

7. *Falsificatio litterarum, aut instrumentorum publicorum.*

Videatur Nota 17.

8. *Magia, Sortilegium, Incantatio, aut Divinatio.*

Videatur Nota 2.

9. *Stuprum cum Religiosa.*

Videatur Nota 24. Advertendum præterea est, quòd copula cum Religiosa non Virgine non sit peccatum reservatum in hoc Episcopatu.

10. *Abusus Chrismatis, aut Corporis Christi aut alterius rei sacræ.*

Videatur Nota 3.

11. *Retentio Decimarum.*

Videatur Nota 31.

12. *Abortus procuratus cum industria, & effectu secuto.*

Videatur Nota 21. Advertendum est etiam, quòd, quamvis abortus procuretur, nisi sequatur effectus, non sit peccatum reservatum in hoc Episcopatu.

13. *Occultatio scripturarum in præjudicium, & damnum piorum operum per spatium octo annorum.*

Nota 73. Si scriptura operum piorum occultaretur ex justa causa excusante à culpa gravi, reservatio hujus casus non subsisteret; nequè, li-

cèt occultaretur ex culpa gravi, si non esset in præjudicium alicujus pij operis, quamvis ex hoc resultaret præjudicium uni tertio in re profana, & non pia; & licèt etiam esset in præjudicium pij operis, si non occultaretur per spatium octo annorum, non esset peccatum reservatum.

§. XV.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Taraconensi in Synodo ab Illustrissimo Dño, Dño F. Joanne Emanuele de Spinosa celebrata, quos etiam Rituale Archiepiscopatûs in fine refert.

1. *Peccatum, in cujus executione est complex Confessarius in materia luxuriæ, aut gravis furti, aut incantationum solummodò.*

Nota 74. Hic casus loquitur non solùm quando Confessarius in ipsa confessione est complex consilio, aut alio modo in culpis supra positis, sed etiam, quando est complex in ijs extra confessionem; si verò esset complex in alio delicto non nominato in dicto casu, ejus peccatum non erit casus reservatus. Advertendum est præterea, quòd, si confessarius cum Pœnitente in Confessionali in materia luxuriæ labitur, debeat denuntiari S. Tribunali Inquisitionis modo supra dicto *tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 158. *& seq.*

2. *Diminutio solutionis decimarum, & primitiarum.*

Videatur Nota 31.

3. *Contractus illicitus, & usurarius.*

Nota 75. Non specificatur in hoc casu, utrum usura debeat esse publica, vel occulta; quocúmque enim modo fiat, si est completa, erit reservata in hoc Archiepiscopatu,

Videatur Nota 66.

4. *Hæresis quo ad forum internum.*

Videatur Nota 1. & id, quod de absolutione hæresis dictum est tract. 1. cap. 1. num. 5. & dicetur *in* 2. *part. hujus praxis tract.* 17. in explicatione Propositionis 4. ab Alexandro VII. damnatæ.

5. *Percussio Parentum facta baculo, manu, pede, aut alio instrumento.*

Videatur Nota 18.

6. *Levis percussio violenta clerici; quia gravis est reservata Papæ.*

Videatur id, quòd circa hoc dictum est *in Dialogo tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 39.

7. *Sacrilegium, quo violatur locus sacer per homicidium, vel effusionem sanguinis, aut seminis, aut copulam illicitam, aut furtum sacrilegum.*

Nota 76. Alia peccata Sacrilegij præter hæc non reservantur in hoc Archiepiscopatu; néque ista hic expressa erunt reservata, quando aut sunt occulta, aut ob aliam rationem locus sacer non violatur. Circa furtum notandum est, non fore casum reservatum juxta opinionem probabilem furari in Ecclesia rem non sacram, nec sub custodia, aut tutela Ecclesiæ depositam; quia in opinione

ne probabili tale furtum non est sacrilegium, ut dictum est supra *tract. 7. num. 9.*

8. *Compositores libelli famosi, eo utentes, eundémque publicantes, aut dantes alijs, ut publicetur.*

Nota 77. Qui committunt tam grave peccatum infamando suos Proximos, offendendo virtutem Justitiæ, non solùm incurrunt hujus casus reservationem, sed etiam obligantur ad restitutionem famæ injustè Proximo ablatæ. Præterea notandum est, non esse libellum famosum, quando quis in privata epistola alicui manifestat delictum sui Fratris; neque, quando delictum publicum proximi manifestatur, ut videri potest in Bonacina *tom. 2. disp. 2. de restit. in genere. q. 4. punct. 9. num. 2. & 3.* Modus, quo restitui debet fama per libellum famosum ablata, debet fieri cum publica demonstratione: v. g. mediante aliquo Concionatore, aut publica scriptura; ut cum Sà, Sairo, Medina, & alijs dicit Bonacina *ibid. n. 8.*

9 *Falsarij, per quos intelliguntur non solùm adulterantes quascúmque litteras, sed etiam testes in judicio falsum jurantes; & per hos non solùm intelliguntur mentientes, verùm & veritatem occultantes interrogati à Judice, dum tenentur secundùm Legem eam manifestare.*

Nota 78. De falsificantibus litteras aut scripturas Videatur Nota 17. & de testibus occultantibus veritatem videatur *2. pars hujus praxis tract. 15. cap. 1. §. 1. cap. 6. num. 69.* ubi explicabuntur casus, in quibus testis non tenetur Judici manifestare veritatem, adeóque nec tunc incurret reservationem. Notandum est hic, quòd reus, dum interrogatus jurat falsum, aut occultat veritatem, dum eam manifestare tenetur, non incurrat hunc casum reservatum; quia hic solùm loquitur de teste; & cùm aliunde reservatio sit odiosa, ad reum extendi non debet.

10. *Sodomia.*

Videatur Nota 61.

11. *Sortilegium, Divinatio, Incantatio, & alia similia peccata*

Videatur Nota 3.

Advertendum est, per illa verba, *& alia similia peccata*, debere intelligi delicta superstitionis, de quibus dictum est *in Dialogo tract. 1. cap. 4. n. 26. & seq.*

12. *Incendiarij, qui malo animo incendunt, & qui dant consilium, aut sunt causa similium damnorum.*

Videatur Nota 29 & 55.

13. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

14. *Defloratio Virginum, raptus cujuscùmque fœminæ.*

Nota. 79 Circa defloratione videatur Nota 26. pariter advertendum est, ibi solùm reservari, quando vi cognoscitur Virgo, hic verò nulla fit mentio de violentia, & quamvis hæc non adsit, culpa tamen erit reservata; quia propriè erit defloratio, licèt, in opinione aliquorum non habeat

beat malitiam ſtupri. Circa raptum notari debet, quòd, ſi fœmina voluntariè conſentiat in ſui abductionem ab uno loco ad alium, licèt Parentes reſiſtant, non erit caſus reſervatus; quia non erit propriè raptus. Videatur *in Dialogo tract. 6. cap. 4. num. 23. & 24.*

15. *Violatio libertatis Eccleſiaſticæ, aggravando injuſtè perſonas aut res Eccleſiaſticas: & violatio immunitatis Eccleſiaſticæ damnificando proximum, qui in ſui defenſionem ad Eccleſiam, locum ſacrum, aut privilegiatum refugit.*

Videatur Nota 14. & 60.

16. *Suffocatio prolium in cubiculo ex negligentia Parentum.*

Videatur Nota 20.

17. *Inceſtus in primo, & ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu.*

Videatur Nota 23. & 39.

18. *Adulterium.*

Nota. 80. Durum eſt, quòd omne adulterium in hoc caſu ſit reſervatum, & ſic viſum fuit cuidam Religioſo mei Ordinis in Principatu Catalaunenſi, qui mihi ſcripſit, ſe fuiſſe locutum Archiepiſcopo Taraconenſi ſuper hunc caſum, reſponſum fuiſſe, tantùm adulterium ſcandaloſum eſſe reſervatum.

19. *Blaſphemia publica, & notoria.*

Videatur Nota 34. & 57.

§. XVI.

Caſus Reſervati in Epiſcopatu Barcellonenſi in Synodo ab Illuſtriſſimo Dño, Dño Fr. Alphonſo de Sotomayor celebrata.

1. *Peccatum Clerici, per quod irregularitatem incurrit.*

Nota 81. Delicta, ob quæ incurritur irregularitas, ſunt multa: v. g. recipere, aut adminiſtrare bis Baptiſmum eidem perſonæ; recipere Ordines ab Epiſcopo, qui Epiſcopatum renuntiavit; celebrare in excommunicatione majore; homicidium, mutilatio, & alia ſimilia delicta, culpas, quibus eſt annexa hæc irregularitas, poteſt committere Clericus, vel Laicus; ſed quæ committit Laicus, non erunt reſervatæ in hoc Epiſcopatu, licèt illis ſit annexa irregularitas, ſed ſolùm illæ, quæ committit Clericus, reſervatæ erunt: nomine Clerici intelligitur, qui eſt ordinatus primâ tonſurâ.

2. *Incendiarij, qui malo animo incendunt, aut qui ad id conſilium præbent, vel ſunt cauſa talium damnorum.*

Videatur Nota 29. & 55.

3. *Blaſphemia publica, & notoria.*

Videatur Nota 34. & 57.

4. *Diſpenſatio Votorum, & Juramentorũ.*

Videatur Nota 65.

5. *Levis, & violenta percussio Clerici.*

Videatur in Dialogo *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 39.

6. *Hæresis, quo ad forum conscientiæ.*

Videatur Nota 1.

7. *Homicidium voluntarium, aut mutilatio membrorum.*

Videatur Nota 19. & 35.

8. *Falsarij, per quos non solùm intelliguntur adulterantes litteras, aut scripturas, sed etiam testes falsi mentientes, vel veritatem occultantes interrogati à Judice.*

Videatur Nota 78.

9. *Violatio libertatis Ecclesiasticæ aggravando injustè personas, aut res Ecclesiasticas.*

Videatur Nota 14. & 60.

10. *Sacrilegium, quo locus sacer violatur per homicidium, aut effusionem sanguinis, vel seminis, aut per copulam illicitam, aut furtum sacrilegum,*

Videatur Nota 76.

11. *Sortilegium, Divinatio, Incantatio, aut alia similia peccata.*

Videatur Nota 2. & casus 11. in Archiepiscopatu Taraconensi.

12. *Peccatum Parentum, ob quorum negligentiam inveniuntur proles suffocatæ.*

Videatur Nota 20. Ubi in eodem sensu est sermo, prout in isto casu.

13 *Solutio non integra decimarum, & primitiarum.*

Videatur Nota 31.

14. *Contractus illicitus, & usurarius.*

Videatur Nota 66. & 75.

§. XVII.

Casus Reservati in Episcopatu Gerundensi.

1. *Violatio immunitatis Ecclesiasticæ.*

Videatur Nota 14.

2. *Excommunicatio publica, aut occulta, parte non satisfacta.*

Nota 82 Hic non reservatur, quando ad excommunicationem non requireretur partis satisfactio; cum constat ex ipso textu hujus casus; quomodo autem fieri debeat parti satisfactio, explicatum fuit *in tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 48.

3. *Percussio publica, & occulta Clerici, & quæ sit peccatum mortale.*

Videatur in Dialogo *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 39. *& seq.*

4. *Raptus fœminæ.*

Videatur Nota 19. & 79.

5. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

§. XVIII.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Vique in Synodo ab Illustrissimo Domino, Domino Petro de Magarola Anno 1628. celebrata, & quos refert Synodalis pag. 73.

1. *Defloratio Virginum facta per vim.*

Videatur Nota 26.

2. *Raptus Virginum.*

Videatur Nota 37.

3. *Incestus in primo, & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu.*

Videatur Nota 23. & 39.

4. *Falsificatio monetarum, mensurarum, & ponderum.*

Videatur Nota 41.

5. *Falsificatio sigilli, vel litterarum curiæ Ecclesiasticæ.*

Videatur Nota 17. & advertendum est, hunc casum non loqui de adulterantibus sigilla, aut litteras Tribunalium sæcularium.

6. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

7. *Libellus infamatorius quocúmque modo compositus, aut publicatus,*

Videatur Nota 77.

8. *Blasphemia publica.*

Videatur Nota 34. & 57.

9. *Abortus voluntarius.*

Nota 83 Hìc casus non loquitur specificè de procuratione, sed de ipso abortu, & sic, quamvis procuretur, non erit casus reservatus, nisi sequatur effectus; quia cùm reservatio sit materia odiosa, non est amplianda, sed restringenda; & ob eandem rationem non incurrunt reservationem hujus casus præbentes consilium, aut auxilium ad abortum, ut constat ex Nota 45.

10. *Sodomia.*

Videatur Nota 61.

11. *Incendium fructuum, & domorum.*

Videatur Nota 29.

12. *Devastatio vinearum, arborum, si fiat ex professo.*

Videatur Nota 29. & 55.

13. *Testis falsus, qui jurat in judicio.*

Nota 84. Qui jurat falsum, non in judicio, sed in privato extra judicium, non committit peccatum reservatum; neque testis occultans Judici veritatem cum externa amphibologia, dum tenetur eam manifestare; quia quamvis peccet mortaliter occultando veritatem, quando eam manifestare debet, attamen, dum utitur amphibologia externa, non mentitur: quapropter non incurrit hanc reservationem; neque incurrit reus falsè jurans ante Judicem, ut dictum est in Nota 78.

14. *Concubinarius, qui in confessione expulsionem concubinæ promisit, & tamen non fecit.*

Nota 85. Hìc casus rigorosè loquendo non potest dici casus reservatus, sed cautela quædam, quæ Confessario proponitur ut operetur id, quod tenetur in ordine ad negationem absolutionis: Quare in omnibus casibus, in quibus licitè eum absolvere potest ob aliquam rationem ex relatis tractatu 10. in explicatione Propositionum 61. 62. & 63. ab Innocentio XI. damnatarum, & tractatu 17. in explicatione Propositionis 41. ab Alexandro VII. damnatæ, in omnibus his poterit concubinarius absolvi non obstante hac reservatione; in alijs verò casibus, in quibus dico locis citatis, eum non

non posse absolvi, deneganda erit absolutio.

15. *Maritus, & uxor sine Ecclesiæ authoritate separatim viventes.*

Nota 86. Marito non est licitum propria authoritate facere divortium ab uxore, sed requiritur Judicis authoritas; licèt in aliquo casu fieri possit divortium propria authoritate, ut dixi *in Dialogo tract.* 6. *cap.* 8. *part.* 12. *num.* 145. Et in hoc casu non incurret Maritus hanc reservationem. Videatur. materia de divortio, & causæ, propter quas fieri potest, *loco citato.*

§. XIX.

Casus Reservati in Episcopatu Dertusano in Synodo ab Illustrissimo Domino Izquierdo celebrata, & quos Synodalis refert part. 5. titulo ultimo.

1. *Hæresis, & Simonia.*

Videatur Nota 1. & 16.

2. *Sacrilegium, id est actualis pollutio, aut fornicatio in Ecclesia, aut cum Moniali: occisio, aut vulneratio Clerici, aut Religiosi: invasio, seu violatio Ecclesiæ: furtum rei sacræ in loco sacro, aut rei non sacræ in loco sacro.*

Nota 87. Hic casus loquitur in suppositione, quòd effusio seminis in Ecclesia sit sacrilega, & furtum rei non sacræ in loco sacro; Quare in opinione à me relata *in Dialogo tract.* 6. *cap.* 7. *num.* 28. Dicente, quòd copula, aut pollutio occulta in Ecclesia non sit sacrilegium, talis pollutio, aut copula non erit reservata; & juxta opinionem, quam retuli *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* Dicentem, non fore sacrilegium furari in loco sacro rem non sacram, nec sub Ecclesiæ tutela depositam, nec tale furtum erit reservatum: Circa punctum, de quo hic casus loquitur, nempe de occisione, aut vulneratione Clerici, aut Religiosi, videatur *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 39. Et seq. circa peccatum cum Moniali videatur Nota 24. & circa invasionem, aut violationem Ecclesiæ videatur Nota 60.

3. *Homicidium proditorium: id est proditoriè patratum facto consilio, vel favore.*

Nota 88. Videtur, hæc duo ultima verba (quæ Synodalis latinè sic explicat Facto consilio, vel favore) denotare, quòd homicidium debeat fieri mediante consilio, aut favore, receptione pecuniæ idem patrandum, ad hoc, ut sit reservatum; clarius enim esset, si diceret, *factum consilio, vel favore, quàm facto consilio, vel favore*; potest etiam esse, quòd sit error typi, aut æquivocatio mittentis mihi casus reservatos hujus Episcopatûs.

4. *Incestus, ubi est necessaria dispensatio.*

Videatur Nota 47.

5. *Vulneratio, aut percussio Parentum.*

Videatur Nota 18.

6. *abortus procuratus, & secuto effectu.*

Videatur Nota 21. Ibi non est necessarium, ut sequatur effectus, benè verò hìc.

7. *Matrimonium Clandestinum.*

Videatur Nota 48.

8. *Incendium Ecclesiæ.*

Videatur Nota 29.

9. *Testis perjurans in judicio.*

Videatur Nota 84.

10. *Omissio solutionis decimarum, & primitiarum.*

Videatur Nota 31

11. *Abusus SS. Eucharistiæ ad fines malos extra communionem.*

Videatur Nota 3.

§. XX.

Casus Reservati in Archiepiscopatu Jlerdensi in Synodo ab Jlustrissimo Dño, Dño F. Emanuele à Foro Egurorum, & quos refert Rituale hujus Episcopatus pag. 253.

1. *INcendium domorum, messium, & aliarum rerum factum ex proposito, & consilio.*

Videatur Nota 29. & 55.

2. *Peccatum, pro quo imponi debet pœnitentia solemnis, quæ solùm imponitur pro peccato notorio, gravi, & scandaloso.*

Videatur Nota 33.

3. *Blasphemia publica, & notoria.*

Videatur Nota 34. & 57.

4. *Homicidium voluntarium, aut realis mutilatio membri.*

Videatur Nota 19. & 35.

5. *Falsitas scripturarum, aut testatio falsi, aut occultatio veritatis coram proprio Judice.*

Videatur Nota 17. & 78.

6. *Raptus Virginum.*

Videatur Nota 79. Ibi loquitur de Raptu cujuscúmque fœminæ; hìc vero de raptu Virginum.

7. *Procuratio abortûs secuto effectu.*

Videatur Nota 21. In illo casu non est necessarium, ut sequatur effectus, benè verò in isto.

8. *Incestus in primo, & secundo gradu.*

Videatur Nota 23. & 39.

9. *Adulterans pondera, mensuras, aut monetas.*

Videatur Nota 41.

10. *Vulneratio notabilis Parentum.*

Videatur Nota 19.

11. *Exponentes proles, cùm soli eas alere possint.*

Videatur Nota 42.

12. *Abusus rerum sacrarum ad artes magicas, superstitiones, maleficia, & alias facturas.*

Videatur Nota 2. & 3.

§. XXI.

Casus Reservati in Episcopatu Solsonensi in Synodo ab Illustrissimo Dño, Dño Michaële Santos de S. Petro celebrata, & quos refert Synodalis lib. 5. de Pœnit. & remissionib. titulo 7. capite 6. pagina 92. in prima impressione, & in secunda pagina 80.

1. *Raptus Virginum, & defloratio vi facta.*

Videatur Nota 79. Ibi raptus cujuscúmque fœminæ est reservatus, hic verò solùm raptus Virginum: ibi agitur de defloratione quamvis non violentâ, hic verò de violenta dicitur.

2. *Incestus in primo, & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu.*

Videatur Nota 23. & 39.

3. *Falsitas sigilli, aut litterarum curiæ Ecclesiasticæ.*

4. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

5. *Sodomia, & bestialitas.*

Videatur Nota 26. sed hic non est reservata pollutio.

6. *Contractus usurarius, & illicitus.*

Videatur Nota 66. & 76.

7. *Defraudatio causarum piarum.*

Nota 89. Hic casus loquitur de Hæredibus, Tutoribus, Dominis, & Administratoribus operum piorum, qui ex propria negligentia, aut alio modo sunt causa, quòd perdantur, aut non applicentur juxta mentem Fundatoris; hic casus etiam comprehendit eos, qui furantur, aut retinent bona dictorum operum piorum.

8. *Incendium messium, vel fructuum, aut destructio vinearum, & arborum, si fiat ex proposito.*

Videatur Nota 29. & 55.

9. *Omissio solutionis decimarum.*

Videatur Nota 31. & advertendum est, hunc casum non loqui de non solventibus primitias.

10. *Testis jurans falsum in judicio.*

Videatur Nota 84.

11. *Concubinarius, qui ante annum promisit dimittere concubinam, in re autem non fuit executus.*

Videatur Nota 85.

12. *Maritus, & uxor, qui sine Ecclesiæ authoritate separati vivunt.*

Videatur Nota 86.

§. XXII.

Caſus Reſervati in Epiſcopatu Urgellenſi in Synodo ab Illuſtriſſimo Dño, Dño F. Emanuele de Spinoſa celebrata, & eos refert Rituale hujus Epiſcopatus pag. 502.

1. *Raptus, & deſloratio Virginum per vim.*

Videatur Nota 79. & primus caſus Epiſcopatûs Solſonenſis §. 21.

2. *Vulneratio Parentum baculo, manu, pede, aut alio inſtrumento.*

Videatur Nota 18.

3. *Inceſtus in primo, & ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu.*

Nota 90. Advertendum eſt, quando inceſtus reſervatur exprimendo verba *conſanguinitatis, vel affinitatis*, non debet intelligi de copula inceſtûs in cognatione ſpirituali; quia hæc verba, conſanguinitas, & affinitas, ſunt determinata ad ſignificandam cognationem carnalem.

Videatur Nota 23. & 39.

4. *Falſificatio ſigilli, aut litterarum curiæ Eccleſiaſticæ.*

Videatur Nota 17. & caſus quintus reſervatus in Epiſcopatu Vique §. 18.

5. *Homicidium voluntarium.*

Videatur Nota 19.

6. *Sodomia, & beſtialitas.*

Videatur Nota 26. & caſus 5. Epiſcopatûs Solſonenſis §. 21.

7. *Non ſolutio decimarum, non facta reſtitutione.*

Nota 91. Hic caſus eſt difficilis modo, quo refert Synodalis his verbis: *Non ſolutio decimarum, non facta reſtitutione.* Quia hæc ultima verba non videntur concordare, aut habere connexionem cum primis. Exiſtimo, intentum Synodalis eſſe, reſervare non ſolùm peccatum eorum, qui non ſolvunt decimas, ſed etiam admonere Confeſſarios, ne abſolvant eos, qui non ſolutis decimis reſtitutionem ablati, aut debiti Eccleſiæ facere renuunt; quamvis eos abſolvere poſſint, ſi concurrat aliqua ex cauſis relatis in Dialogo *tract. 7. cap. 4. part. 9. num. 88. & ſeqq.*

Videatur Nota 31.

8. *Simonia, quamvis non ſit completa ex utraquè parte.*

Videatur Nota 15.

9. *Incendium, aut devaſtatio, aut deſtructio vinearum, & arborum, ſi fiat ex propoſito.*

Videatur Nota 29. & circa verbum *ex propoſito.* Videatur Nota 55.

10. *Teſtis jurans falſum in judicio.*

Videatur Nota 84.

Referre casus, qui sunt reservati in quolibet Episcopatu, & dare notitiam, explicationémque omnium, nimis prolixum esset; quare existimo sufficere relatos in integro decursu hujus Tractatûs, per notanda verò ijsdem annexa poterit haberi notitia casuum cujuscúmque Diœcesis; cûm vix possit dari casus reservatus in aliqua Diœcesi, cujus notitia non possit haberi per aliquod ex notandis hujus Tractatus.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Et hæc pro nunc dicendis sat scripta visum sit. Reliqua dicenda ad secundam partem refero. Hæc, & illa, & omnia cedant (ò Faxit DEUS) in æternæ Sapientiæ honorem, animarúmque suo inæstimabili cruore redemptarum salutem. Omnia Catholicæ Ecclesiæ censuræ submitto, piorúmque Doctorum sensui meliori subjicio.